ANNOTATIONES
AD
UNIVERSUM
JUS CANONICUM
COMPILATÆ
IN COLLEGIIS PRIVATIS
PLURIMUM REVERENDI, MAGNIFICI,
EXIMII, CLARISSIMI AC CONSULTISSIMI
DOMINI
D. CASPARI BARTHEL
SS. THEOLOGIÆ ET U. J. DOCTORIS, INSIGN.
ECCLESIÆ COLLEG. AD UTRUMQUE S. JOANNEM
IN HAUGIS DECANI, REVERENDISSIMI ET CELSISSIMI
EPISCOPI ET PRINCIPIS BAMBERGENSIS ET WIRCEBURGENSIS,
FRANCIÆ ORIENTALIS DUCIS CONSILIARII INTIMI ET
ECCLESIASTICI, &c.
SACRORUM CANONUM PROFESSORIS PUBLICI
ET ORDINARII
PER ORBEM CELEBRATISSIMI.
NUNC AUCTIUS ET EMENDATIUS EDITÆ.

COLONIÆ ET FRANCOFURTI
MDCCLXV.

P R Æ F A M E N
AD
B. L.

Cum multæ recentiores Conſtitutiones poſt editum Jus Canonicum R. P. Engel prodierint, nec ea, quæ ſunt Juris Publici & Practici in Germania, ab eodem Authore explicentur, prodeunt ad eorum præcipue, qui præfati Domini Profeſſoris Collegia frequentant, aliorumque uſum hæ Annotationes, in quibus, quantum per brevitatem licuit, compendioſe exhibentur ea, quæ Authori hinc inde deſunt. Fructum haud mediocrem brevi ſenties, ſi Authorem ad has Annotationes ſedulo adhibueris. His utere & vale.

AN-

ANNOTATIONES
IN
PROŒMIUM R. P. ENGEL.

Priusquam ipsam Juris Canonici explanationem suscipiamus, methodus in omnibus disciplinis usitata, & a nostro Authore P. Engel observata exigere videtur, ut ad ampliorem eorum, quæ sequuntur, intelligentiam quæstiones aliquæ præliminares præmittantur, ne illotis manibus Sacros Canones angere, aut cæco impetu ad quævis obvia ruere videamur, sed ut majori cum fructu, ordineque rite disposito ab universalioribus ad particularia, a magis notis ad minus nota paulatim deducamur. Proin animus nobis est, hæc Juris Canonici Prolegomena ad peculiaria quædam capita revocare; ac inprimis quidem de ejus quidditate agere libet; *2do* de origine & progressu illius brevem faciemus delineationem; *3tio* partes ejusdem, partiumque authoritatem indicabimus; postea & *4to* quisnam sit usus Juris Canonici apud Protestantes nostro in Imperio, quænam dein ipsius cum Jure Civili convenientia vel disconvenientia, & quam arctus cum cæteris Jurisprudentiæ speciebus sit ejusdem nexus, pertractaturi sumus; ex quibus

denique coronidis loco facile concludemus, quam præstans, jucundum, utile ac necessarium sit Juris Canonici studium.

Ante omnia tamen, quæ investigare promisimus, sciendum est, quod duplex summa divisione distinguatur hominum societas, prout nimirum diverso inter se fine socientur; alia scilicet profana & civilis, alia vero sacra & Ecclesiastica est. Civilis ac profana eo fine in cœtum coaluit, ut pacifice & tranquille sub imperio Magistratus degat, id quod satis lubricum in statu naturali foret. Unde legibus quoque hunc in finem, tranquillitatem videlicet ac felicitatem temporalem tum publicam, tum privatam, coaptatis regitur. Sacra vero cultus divini & salutis æternæ obtinendæ gratia adunatur, quæ *Ecclesia* vocatur, sive cœtus hominum baptizatorum ad colendum Deum & salutem æternam securius consequendam ejusdem fidei professione, & eorundem Sacramentorum communione coadunatus. Concors enim doctrinæ Christianæ professio non in solo corde delitescit, sed foras prodit per actus externos, adeo quidem, ut fidelis se fideli associet, & cum quolibet paris religionis homine conjunctionem quandam sacram ineat. Hæc ipsa conjunctio ex principiis Religionis Catholicæ separatam Rempublicam a civili plane distinctam, & suis quoque Magistratibus sive Pastoribus uni supremo Capiti subordinatis instructam constituit, & sic suas quoque leges peculiares, sine quibus nulla diu persistere potest Respublica, ad utilitatem Ecclesiæ adornatas habet. Ordinari enim nec ista societas, præsertim inæqualis, potuit sine certis Magistratibus ac Legibus, quæ suas cuique membro partes describant, ut singula ex ordine gerantur. Hasce Leges *Canones*, latine Regulas appellari præplacuit, quamvis non a pædagogica duntaxat suasione, aut expressa vel tacita tantum Collegii conventione, sed a vero quoque, sacro tamen, in charitate & humilitate potius fundato, & ad salutem fidelium duntaxat ordinato imperio profectæ sint, ut vel mitiori hoc & modestiori nominis significatu indigitaretur, quantum eorum, qui Ecclesiæ præsunt, regimen dominatum Principum gentium, & arbitrarium despotismum, legumque rigorem paterna charitate & pastorali suavitate præcellere debeat. Unde, ut ex proposito ordiamur,

Jus Ecclesiasticum collectio vel complexus est omnium Canonum fidelibus baptizatis ab Authoritate Ecclesiastica ad sobrie, juste & pie vivendum in hoc sæculo, & æternam felicitatem consequendam præscrip-

scriptorum. Atque vel ideo *Juris Canonici* appellatio communior esse assolet. Vocatur etiam hoc Jus Canonicum alio nomine *Corpus Juris Canonici*, quemadmodum enim corpus diversis, sibi tamen consentientibus, constat membris, quæ pro fine actionum suarum conservationem corporis habent, sic Jus Canonicum est diversarum regularum ad unum eundemque finem supernaturalem ultimato tendentium collectio.

Jus quoque *Sacrum* appellatur, quia Regulæ illæ feruntur a potestate sacra, pro Republica sacra, circa sacrum Dei cultum, res atque personas sacras &c.

Denique & *Juris Divini* nomine gaudet, haud tamen stricte vel proprie, quasi regulæ essent immediate a Deo latæ, in sacris paginis consignatæ, aut per traditionem manifestatæ, sed large ac improprie, quoniam canones sunt conclusiones particulares ex principiis Juris Divini, id est, Verbi Dei Scripti vel traditi deductæ; sic ex Textu *Matth. c.* 18 *v.* 8. *Gratis accepistis, gratis date*; ceu ex principio generali eruuntur omnes canones Simoniam prohibentes; pariter ex illo *Pauli 2. ad Tim.* 2. 4. *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus* &c. ducitur *Tit. Ult. Lib. III. Decret. Ne Clerici vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant.* Atque contra hos, similesque Canones tam parum valet præscriptio, quam adversus S. Scripturam, nec ullo modo per non usum abrogari queunt. Præterea etiam *Jus Divinum* audit, quia latores regularum harum potestatem eas ferendi immediate a Christo acceperunt, cum econtra legislatores profana in Republica suam potestatem quidem a Deo, sed consensu ac translatione populi obtinuerint pro status diversitate, si namque populus supremam potestatem contulit uni *Regimen Monarchicum*, si Primatibus, *Aristocraticum*, si vero sibi reservavit, *Democraticum* est.

Quæres I. An semper fuerint Canones in Ecclesia?

Resp. Tribus primis sæculis non constare de quadam Ss. Canonum collectione, cum ob gravissimas tum temporis persecutiones nascens Ecclesia in speluncis sæpe ac cryptis latere, & suadente prudenti œconomia severissimam arcani disciplinam introducere, introductamque tenere debuerit, nequid habitis forte conventibus de ritibus ac Mysteriis sacris proderetur, ludibrioque aut contemptui a Gentilibus ubique invigilantibus haberetur. Sed quilibet interim Episcopus aut

Prælatus pro se, populoque sibi concredito particularia statuta, queis alii haud stringebantur, faciebat, cumque populus Prælatum suum orare, aliave bona opera agere conspiceret, illum utpote regulam ac normam suam imitabatur; universim vero regebatur Verbo Dei scripto vel tradito, aut quibusdam etiam Apostolorum, summorumque Pontificum institutis raris licet & paucis.

Postquam vero *Constantinus* M. primus Imperator Christianus sub Sæc. IV. initium auream Christianis impertitus fuerat libertatem, Religionemque Orthodoxam gloriose de idololatria triumphantem exaltaverat, celebrari Concilia, fieri universaliora statuta, vitæ & disciplinæ Christianæ regulæ cœperunt. Et quidem

In Concilio *Chalcedonensi* Sæc. V. anno 451. a S. Leone I. sub Imperatore *Martiano* convocato prima Canonum facta fuit mentio *Act.* 4. & 11. Conditi autem sunt ii potissimum in anterioribus Conciliis tum Generalibus, scilicet: *Nicæno I.* sub *Sylvestro* Papa & *Constantino* Imperatore anno 325. *Constantinopolitano I.* Imperii habenas tenente *Theodosio* seniore anno 381., & *Ephesino* sub *Cæestino* Romano Pontifice, & Imperatore *Theodosio* juniore an. 431. tum particularibus: *Ancyrano*, *Néo-Cæsareensi*, *Gangrensi*, *Laodicæno* &c. Atque in unum promiscue collecti in Libro seu Codice quodam conclusi sunt, ad quem sive in formanda disciplina, sive in exercendis judiciis recursus haberetur; fuit autem Codex iste in præfato Concilio Chalcedonensi approbatus, ac per Leonem universali Ecclesiæ propositus, duravitque usque ad Sæculum VI.

Africa tamen usa est speciali Codice Canonum, secundum quem populos suos regebat, primamque hanc collectionem recipere renuit.

Alteram collectionem adornavit circa initium Sæc. VI. *Dionysius* natione Scytha, moribus Romanus, cognomento quidem *Exiguus*, ast doctrina & sanctitate Maximus, Græco & Latino eloquio clarissimus, sacris in Scripturis versatissimus, quemadmodum enim sub Justiniano I. pro Ecclesia Orientali collectionem fecit *Joannes* dictus *Scholasticus*, Antiochiæ Presbyter, postea Patriarcha Constantinopolitanus, ita Dionysius pro Ecclesia occidentali compilavit omnes præcedentes Canones, simulque 50. priores ex Canonibus Apostolicis suo intulit Codici, nec non epistolas Pontificum a Siricio Papa ad Hormisdam usque conclusit, nihilque laboris (ut ex propria confessione in Epist. ad *Julianum* Pres-

Presbyterum patet) in inquirendis statutis ad privilegia Ecclesiæ Romanæ quidpiam conducentibus intermisit. Dionysianus hic Codex prompte receptus est ab Italia, haud vero a Germania & Gallia, ubi antiquior collectio viguit usque ad Sæc. VIII. in quo *Adrianus I.* R. P. Collectionem Dionysii transmisit Carolo Magno Sedi Apostolicæ apprime devoto, cujus ingens Authoritas eam communiter assumi fecit.

Pro Usu Ecclesiarum Hispaniæ *Martinus* Archi-Episcopus Bracarensis natione Pannonius novam collectionem circa finem Sæculi VI. edidit, nova methodo duas in partes eam dispertiens, descriptis in prima parte Canonibus, qui ad Clericos, in secunda, qui ad Laicos spectarent, huic tamen Collectioni non satis genuinæ & integræ extra limites Hispanicos nulla accessit authoritas, quantumvis eam Gratianus sæpe, sed falso, sub nomine Martini Papæ laudaverit.

Tertia ampliorque Collectio *ab Isidoro Mercatore* insigni impostore Sæc. VIII. condita circa annum 784. innotuit, & urgentibus, quorum ob jurisdictionis privilegiorumque extensionem intererat, Romanis Pontificibus, specialiter *Nicolao* I., ab universa Ecclesia (adnitente in Germania *Riculpho* Archi-Episcopo Moguntino) suscepta fuit, *Hincmaro* Rhemensi Episcopo, cæterisque Viris tum temporis eruditioribus propter introductas novitates incassùm reclamantibus. Plures seductor ille codici suo inseruit decretales Pontificum tribus prioribus Sæculis Ecclesiæ clavum regentium epistolas, quarum falsitatem mox detegemus.

Latuit hæc fraus ad Sæc. XVI. usque, dum exorti *Protestantes* omnem moverunt lapidem, ut venerandæ antiquitatis monumenta, quibus dogmata & Ecclesiæ disciplina suæ prætensæ Reformationi contraria afferebantur, vel supposititia, vel dubiæ fidei redderent, aut ad alium, quam Ecclesia hactenus crediderat, sensum detorquerent; cum vero viderent in Catholicorum præsertim recentiorum libris ad confirmationem tum dogmatum, tum disciplinæ cumulatim ex his veterum Pontificum Decretalibus testimonia adduci, omne Catholicorum pene argumentorum armamentarium ereptum iri crediderunt, si has decretales supposititias probarent; atque inter cæteros *Centuriatores Magdeburgenses*, famosi prætensæ Reformatæ Religionis Antesignani, *Dallæus* speciatim & *Blondellus* bellum his decretalibus indixerunt, urgentia pro earum suppositione argumenta opponentes, ast insimul felicem

genuinæ veritatis propiùs indagandæ ansam nonnullis præbuerunt Catholicis, qui seposito præjudicio, ex tot Sæculorum consensione ingesto, præfatas Decretales expendentes, argumentaque tam ab Adversariis advecta, quam in ipsarum epistolarum lectione sponte sua occurrentia ponderantes agnoverunt, ex earum authoritate Ecclesiæ fidem nullatenus dependere, multaque revera esse, quæ dubiam fidem, spuriumque ortum proderent. Nam

I. Illæ Epistolæ usurpant sacram Scripturam secundum vulgatam Editionem a S. Hieronymo post illos Pontifices adornatam; obiit enim Hieronymus anno 420. proin annis 24. post Siricium S. P.

II. In omnibus his Epistolis idem stylus, idem scribendi character occurrit, quod non esset, si a tot Pontificibus diversis temporibus conscriptæ essent.

III. Omnes fere epistolæ falsis temporum consulatuumque notis consignatæ sunt, ut ad calcem singularum accurate observavit *R. P. Labbæus in ult. Concil. collectione.*

IV. Hæ Epistolæ exhibent plurima, quæ nullatenus cum trium priorum Sæculorum disciplina conveniunt: In *Clementis* enim *Epist.* 2. S. Jacobo inscripta fit mentio vestium, quibus Presbyteri induti Missæ Sacrificium offerant, Pallæ, Vasorum sacrorum, calicum, item Ostiarii, Archi-Diaconi, aliorumque Ecclesiæ ministrorum, & cæterorum, quæ Clementis tempore planè erant ignota. Porro Epistola 3tia inscripta est *omnibus Co-Episcopis, Presbyteris, Diaconis, aliisque Clericis, omnibus Principibus magnis & parvis, omnibusque fidelibus.* Ætate autem Clementis, nec nomen Clerici notum erat, neque Ecclesia magnos & parvos Principes sinu suo fovebat. Item Epistola prima *Anacleti* præter alia asserit a sententiis Judicum sæcularium appellari ad Ecclesiastica tribunalia posse, multa de Appellationibus a judiciis Ecclesiasticis ad Sedem Apostolicam, atque de variis causarum Ecclesiasticarum generibus statuit, non Primatum duntaxat & Metropolitanorum, sed Apocrysiariorum quoque mentionem addit, quæ omnia ab Anacleti temporibus penitus aliena esse, nemo vel leviter in historia ac Disciplina Ecclesiastica versatus non videt. &c. Consule Espenium & Alexandrum Natal.

Advertes tamen, Collectionem hanc Isidorianam non esse plane inutilem, *Primo:* quia nobis conservavit antiquum Ecclesiæ codicem.

Se-

Secundo: quia hæc Collectio varia Concilia præsertim Hispaniæ refert. *Tertio*: quia ex ea ipsa novimus discernere bonum a malo in Decreto Gratiani, qui illa persæpe usus est. Habet insuper illa hodie in Ecclesiæ Politia ex constanti possessione atque observantia usum juris, dum occasione insperfæ falsitatis nova invaluit Disciplina.

Quæres II. An Canones Apostolorum sint genuinus eorum partus?

Resp. Canones, qui dicuntur Apostolorum, vulgo circumferri octoginta quinque, quam varie de iis Authores senserint, refert Gratianus in suo decreto *Dist.* 16. Quidam omnes octoginta quinque admisêre, aliqui sexaginta tantum, multi quinquaginta, alii aliter. Omnes 85. recepit Concilium Trullanum anno 692, sed nullius authoritatis fuit utpote acephalum. *Dionysius Exiguus* circa annum annum 530. quinquaginta priores retulit in Ecclesiæ latinæ codicem, admonens tamen in præfatione sua, quod plurimi iis non præberent facilem assensum. Postea successu temporis plures ex istis summi Pontifices inter Ecclesiasticas admisere regulas, ex quo, quamvis sint Apostolis suppositi, ut post severam crisin cum plerisque Catholicis tenemus, authoritatem acceperunt, hodieque melius appellantur Canones Virorum Apostolicorum.

Argumenta autem, quibus rite probatur, Canones istos Apostolis falso esse adscriptos, inter alia sunt hæc: Quia plures ex iis falsam continent doctrinam. *Imo.* Canones 45. 46. & 67. reprobant simpliciter & indiscriminatim Baptismum a quibusvis Hæreticis collatum: *Episcopum* (inquit Canon 45.) *aut Presbyterum Hæreticorum Baptisma suscipientem damnari præcipimus: quæ enim conventio Christi cum Belial, aut quæ pars fidelis cum infideli. IIdo.* Canon 49. præcipit trinam immersionem in Baptismo, cum tamen constet, Apostolos ea non fuisse usos. *IIItio* Canon 65. prohibet jejunium Sabbathi sub pœna depositionis, cum tamen hoc jejunium Romæ tempore S. Ambrosii in usu fuisse certum sit. *IVto.* Canon 84. recenset inter Libros sacros tres Machabæorum Libros &c.

Porro si Canones illi forent ab Apostolis editi, Veteres Patres quatuor priorum Sæculorum eos in sacrarum Scripturarum Canonem, sicut alia Apostolorum opera retulissent. Item eorum meminissent *Eusebius* & *S. Hieronymus*, dum Apostolorum opera summa diligentia recen-

vata nobis fuerint duo Concilia, Triburiense scilicet prope Moguntiam, & Rotomagense in Gallia, quæ aliunde non habemus, quam ex ejus collectione.

Notandum tamen venit circa hunc Codicem, quod Abbas ille haud inconcinne leges Imperatoris &c. inseruerit, cum enim Carolus M. & Ludovicus Pius ejus successor sæpe comitia celebrarent, variasque pro Imperio constitutiones ederent, in iis ipsis comitiis una cum Episcopis (in cameris tamen separatis, exclusis sæcularibus) pro bono Ecclesiasticæ disciplinæ Leges & Canones, qui Capitularia vocabantur (eoquod per Capitula seu sectiones succincte digesti distinctique essent) quique dein ad Codicem referebantur, ediderunt: propterea tamen cum Protestantibus noli inferre, quod potestas circa sacra Principibus sæcularibus competat, nam Episcopi etiam aderant in causis sæcularibus, exin tamen haud sequitur, eos potestatem in sæcularia obtinere; porro ibi non fuere statuti novi Canones, sed ex antiquioribus constitutionibus collecti, & ad executionem propositi, uti patet ex Concilio Troslejano anno 909. ab Archiepiscopo Rhemensi celebrato, quod ista capitularia vocitat Conciliorum pedissequas & appendices. Denique dato etiam novos fuisse editos canones, infundare tamen dicitur Imperator præsedisse, consedisse ut definiens & Hierarcha, sed tantum ut Protector & Advocatus Ecclesiæ sacræ Episcoporum Authoritati suam politicam addere voluit, id est, non ad condendos, sed executioni eo facilius & felicius mandandos canones, eo modo, quo Constantinus M. in Concilio Niceno: hinc etiam Carolus M. humilem se tantum dicebat Ecclesiæ Defensorem.

Post Reginonem *Burchardus* Episcopus Wormatiensis ad Nationis Germanicæ eruditionem anno 1020. antea Monachus Lobiensis O. S. B. vir summæ eruditionis, 20. Decretorum libros nova methodo composuit, Scripturæ Sacræ, Patrumque sententias, Conciliorum Canones, præcipue recenter editos, Pontificum decreta, Imperatorum constitutiones ad certa disciplinæ Ecclesiasticæ capita, & axiomata redigens, statuique Germaniæ accommodans, immixtis hinc & inde suppositis decretalibus Isidorianis, quarum falsitas detecta nondum erat. Ab eodem Burchardo; aut ut alii volunt Brocardo nominis originem trahunt certa axiomata ac regulæ Juris, quæ vulgo dicuntur *Juris Brocardica.*

Sæculo XI. *Ivo* Epiſcopus Carnotenſis ad Eccleſiæ Gallicanæ uſum novam elaboravit collectionem, ſeu potius duas collectiones, quarum una *Pannormia* inſcribitur, alterum *Decretum Ivonis*, ſive *Exceptiones regularum Eccleſiaſticarum* appellatur. Primam germanum Ivonis opus eſſe, negat Bœhmerus, affirmat econtra Eſpenius cum Alexandro Natali. Panormia in partes octo, Decretum in decem & ſeptem partes diviſum eſt; in utramque collectionem plurima ex Digeſtis, Codice & Novellis tranſcripſit, Jus Civile cum Canonico præclare conjungens.

Hæc ſunt præcipuæ priorum Sæculorum collectiones uſque ad ad annum 1150. aſt in noſtro Corpore Juris haud reperiuntur; delabimur nunc ad Decretum Gratiani, quod eſt prima pars Juris Canonici, & quidem anno 1151. *Gratianus* Monaſterii S. Felicis Bononienſis O. S. B. Monachus Jus Canonicum in unum corpus redegit, liber ille, qui ſub *Eugenii III.* Pontificatu adornatus, Dionyſii Exigui, Iſidori, Ivonis collectiones complectitur, novis conſtitutionibus Pontificum, Canonibus Conciliorum, & SS. PP. locis amplificatas, & locupletatas, abuſive & inepte Decretum Gratiani inſcribitur, ipſe enim tanquam homo privatus legem condere nequivit, nec in ullo fere veterum codicum ea invenitur inſcriptio, ſed iſta: *Concordia diſcordantium Canonum*; Gratianus enim non tantum Decretis colligendis, uti antiquiores Canonum Collectores fecerant, operam dedit, ſed eo potiſſimum incubuit, ut certis quæſtionibus propoſitis, quod in utramque partem ex canonibus, qui inter ſe nonnunquam pugnare videbantur, dici poſſet, ipſe & afferret, & ſcholaſtica methodo explicaret, omniumque eorum varietatem, apparentemque diſſenſionem ad concordiam ope diſtinctionum revocaret. Aſt in hoc Monachus ille fuit infelix, quod originalia non inſpexerit, errata ſatis gravia contra hiſtoriæ leges, contra Criticæ accurationem, contra ſanæ Theologiæ principia, item multas falſas decretales ſuæ collectioni inſeruerit, deceptus potiſſimum per Iſidorum Mercatorem; & quantumvis plura fuerint emendata a Correctoribus Romanis viris ſcilicet eruditis, quos ſummi Pontifices *Pius IV.* & *V. Gregorius XIII.* huic caſtigando operi præpoſuerunt; relictæ tamen ſunt præfatæ falſæ decretales ad augendam Pontificis poteſtatem, quas notat Van-Eſpen in ſuo ſupplemento hic legendus. Advertunt præterea eruditiores Canoniſtæ, nulla pene materiarum ſervata connexio-

pue doctrina hæc Catholicis passim regula asseritur: ea nimirum omnia ac sola primigenia & essentialia Pontificis reservata esse, sine quibus Ecclesiæ unitas servari nequit. Atque in accuratiore hujus regulæ applicatione, juriumque Primatus essentialium enarratione constans præprimis usus primitivæ Ecclesiæ maximo sane unitatis bono in ædificationem futurorum sæculorum florentis ante oculos habendus est, & insuper attendendum ad ea præcise, in quibus Catholici ad unum omnes consentiunt; & quidem 1.) nemo Catholicorum diffitetur Romano Pontifici in vim sui Primatus jure divino fundatam esse *supremam & generalem omnium Ecclesiarum curam, sollicitudinem atque superintendentiam*, utpote quæ *vel intuitu fidelium cœtus* in eo sese præcipue exerit, ut fides per universum orbem sit eadem, serveturque illibata, ut unam omnes sanamque moralem doctrinam profiteantur; *vel intuitu Pastorum*, in supremo illo primi Pastoris officio, omnibus totius orbis Episcopis invigilandi, devios ad muneris sui executionem revocandi, negligentiam & absentium quacunque ex causa defectum supplendi, insufficientes ac impotentes eosdem adjuvandi, oppressos tuendi confirmandique, concluditur. 2.) Cum doctrina fidei & morum, seu jus credendorum & agendorum in S. Canonibus contineatur, e suprema hac Romani Pontificis inspectione prone fluit: *Custodia atque vindicta Sacrorum Canonum.* Ast ne hoc ipsum munus custodiendi tuendique canones inefficax sit, eidem adhæret 3.) *Judicium in rebus fidei & morum.* Et 4.) etiam competit *potestas pro omnibus Ecclesiis condendi leges* &c. Denique 5.) ad præcipuum Romani Pontificis munus pertinet *primaria cura & opera, ut ex universo orbe Pastores & Episcopi convocentur*, sub ipsius hierarchico præsidio ortas in fide moribusque controversias ultimato & inerrabili judicio decisuri, definituri, subscripturi.

Cætera vero *vel* sequiori primum ævo Apostolicæ Sedi accesserunt, velut Constitutio, Confirmatio, Consecratio, Translatio, Resignatio, Depositio Episcoporum; Datio Coadjutorum Episcopalium; Erectio, Translatio, Unio, Dismembratio Episcopatuum; Sanctorum Canonizatio; Approbatio Religiosorum Ordinum &c. inde & reservata accessoria, vulgo causæ majores dicuntur: *vel* inter scholarum Doctores insigniter disputantur, velut infallibilitas, superioritas respectu Concilii, immediata in omnes Diœceses jurisdictio &c. Atque propterea non inter dogmata Primatus, sed inter sententias scholarum

quod Confessio soli Deo facta sufficiat, quæ hodie ab omnibus vapulant. 3.) Quod falsæ Decretales in hoc Decreto etiamnum contentæ teneant quoad usum juridicum, quantumvis quoad usum historicum fallant.

Demum cape sis varias memorari Decreti utilitates, quas inter 1*ma* est, quod semper melius sit, Canones &c. ex hoc Decreto allegare, ac si ex ipso fonte adducerentur; quoniam hæc allegatio majorem ideam, venerationem, vim & energiam conciliat. 2*da* est, quod magis in ipsam Ecclesiæ disciplinam deducamur, nec inhæreamus merè forensibus, in hoc enim Decretum Gratianum Decretalibus præhabendum venit, ac Decretistæ distinguuntur a Decretalistis, nam Decretistæ sunt Canonistæ, qui spiritum & medullam disciplinæ Ecclesiasticæ, Ecclesiæque administrationem callent &c. Decretalistæ autem occupantur forensibus potius controversiis &c.

Quæres V. Quid sentiendum de Paleis?

Resp. Quid hæc inscriptio significet, non convenit inter Canonistas. Nonnulli enim credunt, hanc vocem quibusdam Canonibus præfixam esse ideo, ut notaretur esse *paleam*, id est, levioris aut nullius momenti, adeoque tanquam *paleam* a reliquo tritico esse separandam. Verum si quis conferat Canones hac inscriptione notatos cum iis, qui eadem carent, comperiet, multos illorum utilitate & authoritate hisce præstare.

Verosimilius proinde apparet, Canones hac inscriptione insignitos, esse quasdam additiones non eodem tempore factas ad primam collectionem Gratiani, sed eas in margine primum fuisse adscriptas, quæ dein vel librariorum, vel etiam illorum, qui editioni superintenderunt, aut, quod frequentius olim contingebat, Scriptorum incuria vel ignorantia in textum irrepserunt, idque interdum sine additamento, interdum cum additamento istius vocis *palea*, ea forsan ratione, quod, ut quidam credunt, additionum auctor appellaretur *Palea*.

Quæres VI. Qua ex occasione compilati sint Libri Decretalium?

Resp. Post Decretum Gratiani, tum privatorum opera, tum Pontificum authoritate Decretales Epistolæ, eorumque in Conciliis sive extra illa variis temporibus edita Decreta in unum sæpius collecta fuere; occasionem vero & causam factarum tot Collectionum historia subministrat:

nexione, accepta, nescio qua, levi occasione de una in aliam materiam desultare Gratianum.

Tres in partes dividitur hæc Gratiani Collectio, prima distinctiones centum & unam complectitur: secunda causas triginta sex, quarum singulæ in quæstiones dividuntur, & quælibet quæstio in capita: at vero quæstio tertia causæ trigesimæ tertiæ Tractatum de pœnitentia continet, in septem distinctiones per capita divisum. Tertia pars exhibet Tractatum de Consecratione, in quo de Consecratione Ecclesiarum, & Missarum celebratione, de Sacramento Eucharistiæ, de festivitatibus per anni circulum celebrandis, de Baptismi Sacramento, de Confirmatione & jejunio quinque distinctionibus agitur.

Quatuor modis citari solet Gratiani Collectio: primo sic: *Dist.* 5. *C. si lapsis*, ita ut hæc verba sint principium capitis, quod in ea distinctione continetur. Secundo modo sic: 12. *q.* 2. *C. Placuit*, id est, causa 12. quæstione secunda, capite, quod incipit hoc verbo: *Placuit.* Tertio modo tractatus de Pœnitentia sic allegatur: *De Pœnit Dist.* 1. *C. Multiplex.* Quarto tractatus de Consecrat. sic profertur in medium: *De Consecr. Dist.* 1. *C. Missarum.*

Cum igitur Decretum hoc apud nos retentum hactenus & observatum fuerit,

Quæres IV. A quo, & qualem teneat authoritatem, utrum absolutam, & æqualem vim decisivam: an vero mere relativam ad fontes, unde Canones fuere desumpti?

Ante Resp. advertendum venit, posse aliquid obtinere authoritatis pondus *vel* ab ipso condente, quale habent Institutiones Juris Civilis, & Novellæ ab ipsis Imperatoribus confectæ, *vel* ab approbatione authorizante, sive a gravitate superveniente, qualem servant Digesta, quæ quidem non sunt, nisi responsa prudentum videlicet: Celsi, Marcelli, Ulpiani &c. authorizata tamen per Imperatorem vigent, *vel* denique ex usu & recepto, qualem tenent apud Germanos Jus Civile, & Joannis XXII. extravagantes. Jam

Resp. ad primum quæstionis membrum: Decretum Gratiani nullam publicam authoritatem a suo posse mutuare authore, apud omnes in confesso est; cum enim Gratianus Monachus nulla in Ecclesia publica authoritate esset donatus, etiam operi suo eam dare nequivit.

statuerit summus Pontifex, ut imposterum Metropolitani æque ac Episcopi Concilii celebrandi licentiam prius a Pontifice petant, & obtineant, eaque obtenta acta celebrati Concilii Romam transmittant pro approbatione & publicatione, qua de causa Concilia olim frequentissima ab Episcopis, qui non libenter libertatem suam coarctari sinunt, negligebantur. Rite proin concluditur, frequentiores hactenus recursus debuisse fieri ad Pontificem, hisque factis auctas adeo fuisse Decretales, ut ab anno 1150. usque ad annum 1230. sex fuerint conditæ compilationes, donec tandem jussu *Gregorii XI.* P. M. a *S. Raymundo de Pennafort* O FF. Prædicatorum ipsius Capellano & Pœnitentiario, omnium Decretalium in unum corpus collectio adornata, & in quinque libros divisa fuerit, quam dictus Pontifex more approbandi tum consueto ad Universitatem Bononiensem misit, illamque publice prælegi jussit. Et hæc secundam Juris Canonici partem hodie constituit. Materiam quod attinet, de qua tractat, exponi solet vulgari hoc versu:

Judex, Judicium, Clerus, Sponsalia, Crimen.

Videlicet *in libro 1mo* agitur de Judice Ecclesiastico, ubi positis præviè Titulis circa Prolegomena Juris Canonici agitur de persona Judicis, & quoniam Judex in dignitate est constitutus, agitur etiam de modo, quo ad hasce dignitates perveniatur, v. g. de Postulatione, Elect. &c. item de Ordinibus, quia Præsides Ecclesiastici sunt in Ordinibus constituti. Denique, cum in Ecclesia sit verum regimen, tractatur de Judicibus tam ordinariis, quam delegatis, eorumque officiis.

In 2do libro agitur de Judiciis, & explicatur totus processus Judicialis in prima & secunda instantia, hicque propter bonum ordinem & æquitatem utroque in foro observatur, præcipue cum processus judicialis non tam exacte in Jure Justinianæo reperiatur.

In 3tio libro tractatur de Clero sæculari & regulari, tam superiori, quam inferiori; de Beneficiis, officiis ac obligationibus Clericorum, de bonis Ecclesiasticis, eorumque acquisitione, Dispositione &c. item de aliis rebus spiritualibus; de juribus & immunitatibus &c.

In 4to libro de Sponsalibus & Matrimonio differitur, quantumvis hæc materia ad 3tium potius librum pertineat, utpote res Sacramentalis ob Matrimonii Sacramentum, ne tamen liber 3tius propter ingentem materiæ copiam nimium excresceret, specialis pro ea liber deputatus est.

In 5to agitur de Caufis Criminalibus, de variis delictis, de modo contra illa procedendi, deque illorum pœnis; & quandoquidem pœnis oppofita funt privilegia & exemptiones, de his quoque, ficut & de exceffibus privilegiatorum & Prælatorum tractatur.

Quemadmodum vero hæc Gregoriana collectio in dictos quinque libros divifa eft, ita libri in plures titulos, tituli in plura capitula, utpote quæ non funt adeo prolixa, diffecti inveniuntur. Notes tamen velim, quod Raymundus, vir licet multum eruditus, & peritus, ex eo, quod non integras inferuerit epiftolas, fed tantum excerpta, fæpius omiferit neceffaria, ita ut fenfus valde obfcurus & anceps redderetur; neceffum proin eft, ad integras obortis dubiis recurrere Epiftolas, & ex toto tenore genuinum haurire fenfum.

Citatio autem in hac parte inveniri facile poteft, fi duplex index tam titulorum quam capitulorum Corpori Juris infertus inquiratur. Si citatio fiat pofito folo numero, e. g. *Cap. 2. de Electione & Electi poteftate*, quæritur in indice titulorum, fi vero verba initialia citentur, v. g. *Cum dilectus*, *de Electione*, index capitulorum confulitur. Sæpius apponitur in citatione littera X vel λλ *extra*, ut intelligatur effe illud capitulum extra Decretum &c.

Quæres VII. Quantam authoritatem, qualemque ufum habeat hæc Decretalium collectio.

Refp. Habet vim legis decifivam quoad omnia, quia in fpecie eft a *Gregorio IX.* approbata non tantum quoad Refcripta & Conftitutiones, fed & fententias SS. Patrum, plurimosque textus Juris Civilis ei infertos; reperiuntur inibi etiam Canones duorum Conciliorum Generalium, fcilicet *Lateranenfis III.* ab *Alexandro III.* anno 1179. convocati & *Lateranenfis IV.* ab *Innocentio III.* anno 1215. celebrati. Quod concernit ufum, ille eft maximus, cum in fcholis publice hodie prælegatur; quamvis in Gallia, utpote in retinendo jure antiquo primitivæ Ecclefiæ difciplinæ tenaciori, tanto non polleat robore, quanto in Germania; imo & a Germanis quædam principiis Imperii contraria haud admittuntur.

Poft Decretales *Gregorii IX.* fequitur Liber VI. Decretalium *Bonifacii VIII.* qui tertiam Juris Canonici partem conficit. Diftricte quidem Gregorius IX. in Epiftola fuæ Collectionis confirmatoria prohibue-

buerat, nequis aliam Collectionem absque speciali Sedis Apostolicæ authoritate facere præsumeret; quia tamen septuaginta circiter annorum spatio Decretales plurimæ a Summis Pontificibus editæ fuerunt, variaque interim celebrata Concilia, quorum Canones in certum codicem relati necdum erant, hinc sub finem sæculi XIII. anno 1298. Bonifacius VIII. novam compilari collectionem mandavit, & suo nomine publicavit cum inscriptione: *Sextus Decretalium Bonifacii VIII.*, eo quod quinque libris Decretalium Gregorii IX. hic utpote sextus sive supplementum priorum a præfato Bonifacio fuerit adjectus. Proin patescit, scopum Bonifacii fuisse Decretales Pontificum, quæ extra Collectionem Gregorii IX. vagabantur, & quarum fides in judiciis vacillabat, & quæstiones frequentes excitabat, in unum volumen redigere, eaque redactione discernere, quæ recipiendæ, quæve repudiandæ essent. Materia quoque Collectionis non obscure innuitur, constat nimium ex ipsius Gregorii IX. Decretalibus, quas ipse suæ collectioni non incluserat, quæque ante editam Bonifacii compilationem dicebantur *Extravagantes* Gregorii IX., & interdum titulis Decretalium adjungebantur; item continet aliorum Pontificum, qui ipsum inter & Gregorium IX. intercessere, Epistolas & Constitutiones; potissimum autem occurrunt Innocentii IV. Gregorii X. Alexandri IV. Nicolai IV. & ipsius Bonifacii VIII. frequentissima Rescripta atque Decreta. Duorum insuper Conciliorum Lugdunensium, quorum unum sub Innocentio IV. anno 1245. alterum sub Gregorio X. anno 1274. celebratum est, canones inserti sunt. Quamvis vero hic liber appelletur sextus Decretalium, in quinque tamen alios libros dividitur, libris in titulos, titulis in capitula subdivisis, eadem ratione, quam supra in Decretalibus Gregorii IX. observatam esse innuimus. Ast interim tituli non æque multi numerantur, cujus ratio est, quod ibi duntaxat tituli recenseantur, circa quos novæ quædam post Gregorium IX. Constitutiones emanarunt, cum igitur non circa omnium titulorum materiam novi quid constitutum fuerit, omnium etiam titulorum insertionem facere haud conveniebat. Unde sextus Decretalium perinde allegatur, uti de Decretalibus Gregorii IX. dictum est, differentiæ tamen causa addi solet *in 6.* vel *Lib. 6.* e g. *C. gratia de Rescript. in 6.* Usus est autem Bonifacius VIII. in componendis hisce Decretalibus opera Guilielmi Archi-Episcopi Ebrodunensis, Berengarii Episcopi Biterensis, & Richar-

di de Senis, R. E. Vice-Cancellarii & J. U. Doctoris, prout eorum mentionem facit ipse Bonifacius in sua epistola, quam ad imitationem Gregorii Universitati Bononiensi transmisit, ubi non minus volumini suo senario auctoritatem Pontificiam specifice accomodat, Universitatique prædictæ tanquam per Apostolica scripta mandat, quatenus Librum illum multa cum maturitate digestum prompto suscipiens affectu, eo utatur de cætero in Judiciis, nullas alias constitutiones post editionem dicti voluminis promulgatas receptura, aut pro Decretalibus habitura.

Ex quo facile jam colligere fas est, quod eadem huic sexto Decretalium debeatur *per se loquendo* vis ac potestas, quæ Decretalibus Gregorii IX. competit, cum eodem modo, jussu & authoritate Bonifacii sit editus, ab eodemque specifice approbatus, ita ut de illo verum sit dicere: *Nostra facimus, quibus nostram impertimur authoritatem.* Dixi, *per se loquendo*. *Per accidens* enim ex defectu receptionis potest contingere, quod ille per omnia non æqualem cum Decretalibus Gregorianis obtineat authoritatem, sicuti revera in Gallia receptum non fuisse passim referunt Regni illius scriptores, vide *van Espen Oper. posth. Part. III. Differt. historic. in Sextum Decret.* Cujus non receptionis causa refunditur in grande illud dissidium, quod *Bonifacium VIII.* inter & *Philippum Pulchrum* Galliæ Regem exarsit, cujus haud leve incentivum fuere constitutiones quædam ex indiscreto zelo contra inveterata jura & consuetudines illius regni a Bonifacio editæ, quarum prima incipit his verbis: *Clericis Laicos infestos oppido tradit antiquitas* anno 1298. condita, sexto Decretalium tit. *de immunitate Clericorum* inserta, in qua acerrime perstringit excessus Laicorum, qui Clericis collectas, tallias, aliaque onera imponebant, & excessus Clericorum, qui talibus consentiebant &c. Secunda est extravagans, & incipit: *Unam sanctam* &c. in qua Pontifex dominium totius orbis, adeoque etiam regni Galliæ &c. non in spiritualibus duntaxat, sed & in temporalibus sibi arrogat, pluribus contendens, quod omnia potestati Pontificiæ perfecte subjecta sint, quodque Pontifex utrumque gladium habeat, omnia judicet, a nemine autem judicetur; verum hæc posterior constitutio sicuti falso nitebatur fundamento, falsis videlicet Isidori Decretalibus, & præcipue illo sublestæ fidei edicto de donatione Constantiniana *Sylvestro* P. facta, ita etiam absque scrupulo ad instantiam maxime Gallo-

rum

rum a Clemente V. postea correcta fuit in Extravag. Commun. c. 2. *Meruit de privilegiis.* ubi expresse dicit Pontifex, quod per illam definitionem Bonifacii Papæ prædecessoris sui nullum velit Regi & regno præjudicium generari, nec quod per illam Rex, regnum & regnicolæ amplius Ecclesiæ Romanæ sint subjecti, quam antea existebant, sed omnia intelligenda sint in eodem statu, quo erant ante Constitutionem. Prior pariter Constitutio, quantum fieri licuit, temperata est, & ad regulas Concilii Lateranensis revocata a *Benedicto XI.* immediato Bonifacii successore *cap. un. de Immun. Eccles. in Extrav. Comm.*

Liberior fuit usus hujus sexti Decretalium in Germania, ubi maxima ex parte passim receptus vim legis universalis & decisivam obtinet; quod tamen, sicut etiam in Decretalibus Gregorii IX. intelligendum duntaxat est de parte *dispositiva*, non de *narrativa*; Pro quo notandum venit, Decretales & Responsa Summorum Pontificum ut plurimum duplicem habere partem, unam Narrativam, Dispositivam alteram. *Narrativa* tantum continet causam, vel dubium quod exponitur ab instanti, & hæc nunquam tenet vim legis, sed plura juribus contraria sæpe continet. *Dispositiva* vero est, quando Pontifex ad instantiam vel præviam consultationem ex propria sententia respondet, incipitque communiter litteris *F. T. R* id est: *Fraternitati Tuæ Respondemus*, & hæc habet vim & authoritatem decisivam, cum in hac contineatur sententia Pontificum.

Post sextum Decretalium sequuntur *Clementinæ*, sive Collectio Clementis V. utpote quarta pars Juris Canonici. Clemens V. autem primus fuit, qui sedem Pontificiam Roma transtulit Avenionem. Hic ergo Constitutiones generales Concilii Viennensis, cui præfuit anno 1311. una cum nonnullis aliis suis Constitutionibus atque Epistolis Decretalibus ante & post illud Concilium emissis colligi, atque ad editionem parari curavit; sed morte præventus illam publicare non potuit: imo scribunt aliqui, quod lectulo mortuali affixus, jamque morti proximus illius publicationem prohibuerit, prius tamen eandem pro more consueto ad Academiam Aurelianensem adhuc in vivis miserit, etiam ad alias transmissurus, nisi, ut dictum est, pœnitentia ductus de ea abolenda, antequam animam ageret, cogitasset. Nihilominus ejus successor Joannes XXII. eam publica authoritate donandam esse censuit, approbavit, & Doctoribus Bononiensibus inscripsit. Etiam hæ Cle-

mentinæ dividuntur in quinque libros, hi vero in Titulos, continentque Clementis Decretales, quas ante & post Concilium Viennense, vel in ipso Concilio edidit. Eas amplissimo decreto in terminis prægnantissimis concepto pro usu scholarum non duntaxat, sed etiam judiciorum authorizavit Joannes XXII., quod præfationis instar Clementinis in Corpore Juris clausis est præfixum, & omnino legi meretur. Citatio seu allegatio non fit hodie per Capitula, sed verbo Constitutionis initiali præmittitur *Clem.* e g. *Clem. Multorum de pœn.* qui titulus in indice titulorum quærendus est.

Cæterum de hoc Pontifice ex historia hæc notatu digna occurrunt, quod scilicet opera & favore Philippi Pulchri Galliarum Regis post Benedictum XI. in Pontificatum evectus fuerit sub sex conditionibus sat duris, quas in grati animi tesseram post inaugurationem implere incipiens, *1mo* Regem a censuris Ecclesiasticis ob captum Bonifacium VIII. læsamque ejusdem Pontificis majestatem plene ac sine exceptione absolvit, Ecclesiæque perfecte reconciliavit. *2do* Omnes excommunicationes ac censuras in conscios & fautores ejusdem criminis abrogavit. *3tio* Decimas ad quinquennium Regi concessit ad resarcienda damna ob bellum Belgicum perpessa. *4to* Columnenses Cardinales pristinæ fortunæ ac dignitati restituit, novemque Cardinales Gallos ex Regis amicorum numero creavit. Nunquam tamen post frequentes etiam sollicitationes adduci potuit, ut executioni daret articulum illum, quo Regi promiserat, quod Bonifacii nomen ex actis publicis eraderet, sive acta ejus universa rescinderet, memoriam damnaret, eumque tanquam Antipapam declararet; sed intrepide prætendit, hanc rem esse gravioris momenti & indaginis, quam ut a solo Pontifice statui quidquam desuper possit, opus proin esse convocatione Concilii generalis, in quo gravissimum hoc punctum proponendum, mature discutiendum, & sobrie decidendum esset, quemadmodum etiam factum fuit in Concilio generali Viennensi, sub eodem Pontifice in Gallia habito, ubi tamen præter spem & exspectationem Regis Bonifacius VIII. tanquam verus & legitimus Pontifex agnitus & declaratus, omniaque ipsius acta ut valida confirmata fuerunt, facta tamen in aliquibus, quatenus Regi, Galliæque regno officere poterant, moderatione ac temperamento. Satisfecit tamen in eodem Concilio ultimæ conditioni a Rege propositæ, extinguendo nimirum Templariorum Ordinem, cujus excidium Rex vehementer urgebat. De-

Denique Clemens ſedem ſuam adeo ſtabilivit in Gallia, ut deinde per 72. annos, uſque ad Gregorium XI. omnes ibidem Pontifices reſidere perrexerint, multumque exinde alterata fuerit Eccleſiæ diſciplina; cum enim Pontifices illi conſpicerent ſibi nullos amplius reditus a Romanis ſubminiſtrari, venamque auri ad ſuſtentationem neceſſarii exareſcere, & rerum gerendarum nervum incidi, alia ratione de neceſſariis ſibi ſubſidiis proſpicere volentes, induxêre varias in Eccleſiam leges Burſales & Camerales, vi quarum certas ſibi ſolutiones reſervarunt, ut, qui ad Epiſcopatum, Abbatiam, Canoniam promoveretur, ſolveret fructus primo anno reſpondentes, vel loco fructuum certam pecuniæ taxam ſive *Annatas* ab annuis fructibus ſic dictas; invexerunt jus ſpolii, ut relicta a Canonicis &c. ſibi acquirerent; multum imminuerunt jura Ordinariorum, Capitulorum, Abbatiarum &c. ita ut ipſi imponerent Eccleſiis Epiſcopos, Abbates, item conferrent Præbendas, Canonicatus & dignitates &c. Donec tandem per Concordata res fuerit compoſita, de quibus alibi. Si autem

Quæras: *quam authoritatem habeant hæ Leges Burſales &c.*

Reſp. Generaliter in omnibus Conſtitutionibus reſpiciendum ad objectum illarum. Si objectum ſit materia fidei & morum, ſuam utique obtinebunt authoritatem. Si vero objectum ſit ærarium, fiſcus & camera, tolerari potius, quam approbari dicuntur. Nec inde Hæretici omnem Pontificis poteſtatem contemnere valent, cum etiam in ſæcularibus Principibus multa tolerari debeant, quæ male conſtituunt, quin tamen Majeſtas propterea & vis poteſtativa ſit deſtruenda. Porro hæ Leges Camerales pluribus in locis haud ſunt receptæ.

Quinta pars Corporis Juris Canonici complectitur *Extravagantes Joannis XXII.*, licet autem nomen Extravagantium olim eas proprie tetigerit conſtitutiones, quæcunque Corpori Juris Canonici inſertæ non eſſent; attamen modo dantur Extravagantes duplicis generis etiam in Corpore Juris Contentæ, quæ ambæ retinuerunt nomen Extravagantium, videlicet *Extravagantes* dicti *Joannis XXII.*, & *Extravagantes Communes.* Vocantur autem *Extravagantes*, quod ambæ ſingulari reſcripto Pontificio non fuerint munitæ, multo minus authoritate publica in Corpus Juris relatæ; approbavit quidem Joannes XXII. ſuam compilationem, dum in fine appoſuit conſuetam clauſulam: *Nulli*

ergo

ergo &c. Quia tamen ſpeciali decreto cæterarum inſtar confirmata haud fuit, neque ad Academiam Bononienſem, aliasve Univerſitates transmiſſa, eoquod præfatus Pontifex pleniorem compilationem adornare in animo habuerit, ſuum priſtinum locum, nomen & characterem inter Extravagantes retinuit. Comprehenditur autem inibi aliud nihil niſi 20. Conſtitutiones hujus Pontificis, quas ipſe ſub 14. titulis anno Pontificatus ſui nono ſc. anno 1325. promulgavit. Sunt quædam harum Conſtitutionum magni prorſus momenti, uti Extravagans: *Execrabilis de Præb. & Dign.t.* ubi Pontifex ſibi reſervavit reſervatione generali Beneficia incompatibilia; Extravag. *Ad Conditorem de V. S.* in qua a ſe abdicavit Dominium illud famoſum Fratrum Minorum, illudque naturæ rei contrarium eſſe aſſeruit. Fuit Joannes Vir acris ingenii, diffidia valde gravia habuit cum Ludovico Bavaro, cum aſſeruerit ſibi poteſtatem ſede vacante adminiſtrandi imperium, examen item & approbationem, unctionem ac coronationem Imperatorum, authoritatem decidendi, judiciumve ferendi ſuper Imperatore dubio, gratificandique ex æmulis uni, cuicunque velit, caſu quo in electione haud convenirent Electores &c. Annatarum etiam maxima ex parte habetur author; ſtrenue tamen pro juribus ſuis Pontificiis decertavit.

Breviter etiam de Extravagantibus communibus, utpote ſexta Juris Canonici parte ſciendum, quod circa finem ſæculi XV. in lucem emerſerit Collectio quædam Conſtitutionum Pontificiarum ſub nomine *Extravagantium Communium.* Dicuntur vero *Communes*, quia non ſunt unius, ſed plurimorum Summorum Pontificum; ſervatur in iis ordo Librorum ac titulorum, quem ſupra in Decretalibus Gregorii IX. notavimus, niſi quod Libro IV. quo de Sponſalibus & Matrimonio agendum eſſet, careat.

Ambæ Extravagantes quidquid authoritatis habent, id omne ex receptione, praxi, uſu, & conſuetudine acceperunt. Allegantur per rubricas, nomen vero capituli omittitur, & ejus loco additur *Extravag.* e. g. *Extravag. Dierum de Pæn.* Et quidem ad confuſionem evitandam Extravagantes Joannis XXII. ſimpliciter ſub nomine extravagantium citantur; aliæ vero allegantur *Extravag. Comm.* e. g. *Extrav. Comm. Etſi de injur. & dam. dat.*

Quid de Lancelloti Inſtitutionibus, ac de Petri Matthæi Juriſconſulti Lugdunenſis collectione, nec ab ullo Pontifice approbatis, nec

uſu

ufu & confuetudine receptis fentiendum eft, confule R. P. Engel num. IX.

Hæc funt, quæ Corpori Juris Canonici partim privata, partim publica authoritate inferta deprehendimus. Ulterius jam

Quæres VIII. An nullum Jus Canonicum, nullumve aliud fuperfit volumen, quod Sanctiones contineat Ecclefiafticas?

Refp. Quod utique adhuc reperiatur aliud Jus Canonicum quafi Extravagans; funtque diverfæ ejusdem fpecies, videlicet: *Concilium Tridentinum, Declarationes Cardinalium, Bullarium Romanum, Regulæ Cancellariæ, & Decifiones Rotæ Romanæ.* De quibus fingulis ex ordine agemus.

Primum ergo Jus Canonicum, quod extra Corpus Juris Canonici in feparato complexu in folio veneramur, eft jus noviffimum, cujus hodie frequentiffimus in fcholis & foro ufus eft, continetúrque in *Concilio Tridentino* Oecumenico ultimo fub tribus Summis Pontificibus contra impias Novatorum doctrinas Tridenti potiffimum celebrato, prout fufius nos inftruit Concilii hujus hiftoria apud Pallavicinum, Baronium, &c. ex quibus hic pauca recenfere non abs re erit.

Cum *Paulus III. Clementis VII.* in Pontificatu fucceffor cerneret, Martini Lutheri graffantes in Germania, & in toto fere Septentrione bullientes hærefes, tum collapfam undequaque Ecclefiæ difciplinam, corruptosque fidelium mores ingemifceret, follicitus de congruo tot malis ferendo remedio Concilium generale Mantuæ primum indixit, fed oppofito obice a Friderico Mantuæ Duce, illud Vincentiæ celebrandum decrevit, ac tandem novis iterum emergentibus obftaculis Tridentum urbem Germaniæ conterminam, in Alpibus fitam, a Germanis in Conventu Spirenfi acceptatam, omnibusque Oratoribus Chriftianis opportunam tandem convocavit, unde & nomen fortitum eft nomen. Hoc Concilium Generale inceptum anno 1545. continuatum fub *Julio III.* & tandem, licet pluries variis temporum injuriis intermiffum, bellorum procellis jactatum, & inimicorum infidiis turbatum, poft lapfum 18. annorum intervallum fub *Pio IV.* Rom. Pontifice, Deo favente, ad optatum finem perductum eft anno 1563. Præfuere Sedis Apoftolicæ Legati ab iisdem Summis Pontificibus fubmiffi, adfuere etiam Patres ex præcipuis orbis Chriftiani Provinciis, & quidem

ingenti numero; namque præter Sedis Apoſtolicæ Legatos S. R. E. Cardinales comparuere adhuc alii, Patriarchæ, Archi Epiſcopi, Epiſcopi, Abbates, abſentium Prælatorum Procuratores, variorum Ordinum Religioſorum Generales, Theologique plurimi, Viri perfecti omnes, ſi doctrinam ſpectes eruditiſſimi, ſi uſum, peritiſſimi, ſi ingenium, perſpicaciſſimi, ſi pietatem, religioſiſſimi, ſi vitam, innocentiſſimi, in quibus neſcias, quid mireris magis, gravitatem an ſanctitatem illo gradu dignam, eruditionemve & rerum omnigenarum peritiam. Vocati quoque ſunt Proteſtantes, ipſisque datus eſt ſalvus conductus in forma ampliſſima, ne ullam conquerendi anſam haberent, aſt non comparuere in publico, niſi forte unus aut alter.

Hi ergo ſpeciali Dei providentia excitati, atque in Spiritu Sancto congregati Eccleſiæ ingruentium turbarum mole, ac hæreſum colluvie periclitanti remedium attulere, ebullientes ubique hæreſes exterminando, Catholicam fidem illibatam conſervando, & collapſam denique Eccleſiæ diſciplinam ſanctiſſimis legibus ſuis inſtaurando; quod quidem feliciter confecerunt in ſeſſionibus 25. ab ipſis habitis, quarum decem priores celebratæ ſunt ſub *Paulo III.* ſex aliæ ſequentes ſub *Julio III.* Denique novem poſtremæ ſub *Pio IV.* qui, ut jam ſupra inſinuatum eſt, Concilium hoc diu intermiſſum ad inſtantiam S. Caroli Borromæi Archiepiſcopi Mediolanenſis incredibili ſtudio ac providentia reſtauravit, reſtauratum abſolvit, abſolutum confirmavit & publicavit.

In ſeſſionibus bene diſtinguenda ſunt Decreta fidei, quæ anathemata continent, & Decreta, quæ novam quamdam reformationem concernunt, cum enim hoc Concilium non tantum congregatum ſit ad convincendos Hæreticos & tuendam religionem, ſed & ut proſtrata propemodum diſciplina iterum erigeretur, moresque depravati, exceſſus, abuſus, & deordinationes, quæ in Clerum & populum laicum irrepſerant, reformarentur, inde in pleriſque ſeſſionibus duplex quaſi objectum ſimul fuit tractatum, primo ſtabilita eſt Religio, & hæreſes refutatæ, deinde etiam de correctione morum, & abuſum a Patribus actum. Seſſiones fidem tangentes, & decreta fidei continentes laudantur ſimpliciter, aliis non niſi cum addito, ſcilicet: *de Reformatione*, inſcriptis; ſicut & decreta fidem concernentia dicuntur dogmata, cum e contra alia mores tantum ſpectantia dici ſoleant decreta morum vel de refor-

reformat. Exemplum habemus *in Seſſ. 5. de peccato originali.* In hac ſeſſione primo habetur Decretum de peccato originali, ubi per varios canones ſtabilitur fides Catholica de exiſtentia peccati originalis, cui decreto in eadem ſeſſione ſtatim ſubjungitur aliud de Reformatione, in quo de inſtituenda lectione Sacræ Scripturæ, ac de Verbi Dei concionatoribus plura ſalubria ſtatuuntur &c.

De Canonibus, qui Decretis fidei annectuntur, notandum venit, quod per eos nil intelligetur aliud, quam brevis recapitulatio, & ſumma omnium eorum, quæ in Decretis fuſius erant deducta, cum anathemate adjuncto, quo omnes contrarium ſentientes ab Eccleſia percutiuntur. Sic in variis ſeſſionibus varios etiam obſervare licet Canones, & numero quidem 27. ſupra centenos, omnes, ut verbis S. Leonis M. utar, Spiritu Dei conditos, & totius orbis reverentia conſecratos. Hinc quando ſubinde dicitur, Tridentinum non eſſe ubique receptum quoad certa quædam decreta, hoc neutiquam de illis decretis fidem tangentibus intelligendum eſt, iſta enim ab omnibus Catholicis ubivis locorum recipi debent, adeo, ut ſiqui judicium illis ſuum conformare aut ſubjicere nollent, hoc ipſo Hæretici forent, & ab Eccleſia anathematizati. Sic Decretum de Purgatorio eſt decretum fidei, quod omnes obligat, ac proin univerſaliter in toto orbe ab omnibus recipiendum eſt, prout etiam nemo, exceptis Proteſtantibus & Acatholicis, huic veritati unquam obſtrepuit; veritas enim eſt tantum una, ſimplex, indiviſibilis, ſemperque eadem, quæ nec pro diverſitate locorum, nationum, circumſtantiarumque aliarum mutari ullatenus valet, cum Spiritus Sanctus Eccleſiæ in definiendis fidei rebus perpetuo aſſiſtens ſit ſpiritus unitatis, non diſſenſionis aut contradictionis.

Aliter econtra ſe res habet circa decreta morum, hiſce non raro opponitur exceptio, quod non ſint recepta v. g. in Gallia, Germania, uti in ſeſſ. 24. præter Decretum fidei, variosque Canones de Sacramento Matrimonii, habemus etiam decretum de Reformat. ubi certæ ſolennitates & formulæ in matrimonio contrahendo obſervandæ præſcribuntur, ſpecialiter quod Matrimonia deinceps clanculo non debeant fieri, ſed publice in facie Eccleſiæ, præſente ſcilicet Parocho, vel alio Sacerdote de Parochi vel Ordinarii licentia, & duobus vel tribus teſtibus, quodque, non ſervata hac forma, hujusmodi Matrimonia nulla ſint, & prorſus irrita, prout Sacra Synodus taliter contrahere attentan-

tes ad contrahendum omnino inhabiles facit & declarat. Hoc decretum non est ubique receptum, præcipue in Gallia, prohibentur equidem ibi gravissime clancularia hujusmodi Matrimonia, si tamen ea celebrari subinde contingat, non habentur pro irritis, sed potius sunt de eorum classe, quæ fieri prohibentur, facta autem roboris habent firmitatem; Et sic de cæteris necdum receptis, quamvis enim Episcopi & oratores Galli eidem quoque Concilio interfuerint, pluresque innovationes vel reformationes circa politiam externam a Concilio alias statutæ iis monentibus fuerint intermissæ, ob multitudinem tamen negotiorum omnia & singula tam accurate & punctualiter expediri haud potuerunt, quin una alterave constitutio facta fuerit, juribus forte & consuetudinibus hujus vel alterius regni contraria.

Pro recommendanda hujus Concilii utilitate scire juvat, quod sit fons quidam limpidissimus veritatis & sanctitatis, ex quo scientia pura sinceraque pietas hauriri abunde potest; exhibentur enim ibi solidissime sacra dogmata Fideique Catholicæ articuli, Disciplinæ insuper & Politiæ Ecclesiasticæ ratio exactissime pertractatur tanquam *in jure novissimo*, non quidem quasi omnia ejus decreta nova essent, novumque jus fundarent, cum potius plurimæ Constitutiones sint tantum innovationes Canonum jam antea ab aliis Conciliis, aut Summis Pontificibus sancitorum; sed quia hoc ipsum Concilium ea, quæ per temporum injuriam antiquata, sive per hominum incuriam non observata fuere, restituto primævo vigore instauravit, renovavit.

Concilio Tridentino P. Engel immediate subnectit Bullarium Romanum, & Regulas Cancellariæ, sed majorem videntur cum illo habere connexionem *Declarationes Cardinalium Interpretum Concilii Tridentini*, unde de illis tanquam de altera Juris Canonici quasi extravagantis specie ante alia hic agere convenit. Et quidem

Cum Patres Concilii Tridentini sapientissime præviderint, suo tempore quam plurima dubia super Decretis & Canonibus fore enascitura, de quodam remedio cogitandum esse existimarunt, quo incommodis quibuscunque efficaciter obviari posset. Idcirco curam hanc præprimis demandarunt ipsi Pontifici, quatenus ipse, si quæ in decretis recipiendis difficultas oriatur, aut aliqua inciderint, quæ declarationem vel definitionem postulant, dignaretur meliorem in modum prospicere, & curare, ut *vel evocatis ex illis præsertim Provinciis, unde dif-*

difficultas orta fuerit, iis, quos eidem negotio tractando viderit expedire, vel etiam Concilii generalis celebratione, si necessarium judicaverit, vel commodiore quacunque ratione ei visum fuerit, provinciarum necessitatibus pro gloria Dei, & Ecclesiæ tranquillitate consulatur.

Ast nec unum nec alterum placuit *Pio IV.* Pontifici, neque enim aut illam evocationem fuisse factam, aut Synodum celebratam scimus, quapropter de alio remedio opportuno, & ad occurrendum omnibus difficultatibus efficaci cogitavit, & revera excogitavit, illudque in sua Bulla Concilii confirmatoria, quæ incipit: *Benedictus Deus*, universæ Ecclesiæ promulgavit, atque interpretationem Concilii sibi soli reservavit, *authoritate Apostolica inhibendo, tam Ecclesiasticis personis, cujuscunque sint ordinis, conditionis, & gradus, tam Laicis quocunque honore ac potestate præditis; Prælatis quidem sub interdicti ingressus Ecclesiæ, aliis vero, quicunque fuerint, sub excommunicationis latæ sententiæ pœnis, ne quis sine authoritate Pontificis audeat ullos commentarios, glossas, annotationes, scholia, ullumque interpretationis genus super illius Concilii Decretis quocumque modo edere, aut quidquam quocunque nomine, etiam sub prætextu majoris decretorum corroborationis, aut executionis, aliove quæsito colore statuere.* Deinde subjicit: *ut si cui aliquid obscurius dictum, aut statutum fuisse, eamque ob causam interpretatione aut decisione aliqua egere visum fuerit, ad Sedem Apostolicam tanquam omnium fidelium Magistram ascendat*, & ab hac interpretationem, declarationem, & decisionem recipiat &c.

Quoniam vero graviora negotia Pontificem impediebant, quominus hisce laboribus solus sufficeret, idem Pontifex mensibus aliquot post Concilii Confirmationem, & hanc interpretandi Decreta Sedi Apostolicæ factam reservationem, quamdam erexit Cardinalium Congregationem illorum præsertim, qui Concilio interfuerant, & hoc ipso de mente Patrum melius erant informati, eum in finem, ut licet penes ipsos non esset potestas interpretandi, & dubia decidendi, super quibus ad se fieri relationes voluit, nihilominus executionem & observantiam illorum decretorum in se susciperent. Ex quibus patet manifeste, Congregationis hujus potestatem valde restrictam fuisse atque limitatam; advertit tamen Cardinalis de Luca, quod Cardinales huic Congregationi præfecti, non obstante, quod Pontifex sibi soli interpretationem reservaverit, nihilominus partes interpretandi assumpserint, & quasdam declarationes fecerint, eo majoris authoritatis reputandas,

 quod

quod plures ex his Cardinalibus vel tanquam Præsidentes & Legati, vel tanquam Prælati Synodo Tridentinæ interfuerint, ideoque mentem Synodi melius perspectam habuerint. Paulo ampliorem potestatem postea huic Congregationi concessit *Pius V.* demum *Sixtus V.* in sua Constitutione, quæ incipit: *Immensa*, eam potestatis plenitudinem in hanc Congregationem transfudit, ut super dubiis circa decreta morum, reformationem, disciplinam, & ecclesiastica judicia occurrentibus plenam interpretandi facultatem haberent, hac tamen adjecta clausula: *ut ejusmodi declaratio fiat consulto Pontifice.* Decretorum vero, quæ ad fidei dogmata pertinent, interpretationem sibi retinuit Pontifex.

Hæc congregatio componitur ex meris Cardinalibus, excepto solo Secretario; inter ipsos vero Cardinales unus gerit Præfecturam pro subscriptione litterarum & decretorum, qui simul negotia dirigit, in Conventibus præest, & dicitur *Cardinalis Præfectus.* Quapropter omnes declarationes ab hac Congregatione emanantes debent esse munitæ subscriptione Cardinalis Præfecti, & Secretarii, nec non sigillo illius Congregationis, ita ut secus sint sine effectu, & nullam mereantur fidem.

Negotia ad hanc Congregationem spectantia sunt inprimis declarationes & interpretationes Canonum Concilii Tridentini, non tam in casibus particularibus dubiis, & in forma judicii decidendis, hos enim sæpe remittunt ad alias Congregationes, quam in abstracto per viam oraculi; e. g. siquis Episcopus pro futuris casibus, & velut in genere, dubium juris articulum sibi declarari exposcat. Et quidem tanta successu temporis declarationum copia emanavit, atque non tam dubia ad eam delata, sed quæcumque tantum excogitabilia jam habentur ab eadem eliquata & soluta, ut si dubium hodie in abstracto oriatur, non edat declarationes novas, sed duntaxat juxta antiquas respondeat: *Dentur declarationes jam desuper editæ*, ac propterea hodie est magis occupata circa causas etiam contentiosas, maxime si fundentur in Tridentino, & ex illo decisio petenda sit, quas non raro assumit agitandas & decidendas, non quidem in forma processus ordinarii, sed potius summarie, quatenus citius causæ ejusmodi expediantur, cum in Rota processus longius differi ac protelari soleant. Hoc tamen advertendum restat, quod accepta etiam resolutione, nova peti possit audientia ad Congregationem forte melius instruendam, idque bis vel ter, donec

ad-

addatur hæc clausula: *Decretis* (subintellige, standum & acquiescendum est) *& non amplius*, hoc est, audiatur. Qua tamen addita, si causa sit gravior, contra illam a Summo Pontifice restitutio in integrum obtineri potest per signaturam gratiæ, quoad effectum devolutivum, non suspensivum, ita ut adhuc ulterior concedatur audientia Præsidente ipso Pontifice, quamvis rarissime hoc contingat, cum in sententiam tot purpuratorum Patrum tam facile non inquiratur.

Ulterius ad hanc Congregationem pertinet Cura Synodorum Provincialium, non tantum ut diligenter celebrentur, sed etiam ut illarum decreta ab hac Congregatione revideantur, ratihabeantur & approbentur. Ac demum huc pertinent relationes, quas Episcopi de statu suæ Ecclesiæ Romam mittere debent, quando ad præscriptum sui juramenti, quod ante confirmationem suam juxta formulam in Pontificali Romano descriptam emittere debent, singulis quinqueniis vel per se vel per Procuratorem more consueto limina Apostolorum visitant.

Jam vero quæstio exurgit: *An & qualem authoritatem mereantur ejusmodi declarationes*? Responderi quidem posset has declarationes ut leges generales non esse habendas, neque pro hujusmodi Tridentini stricta, a qua recedere nunquam liceret interpretatione, tum quia per modum legis aut constitutionis publicari non consueverint, sed tantum per litteras sigillo Congregationis, ac subscriptione Cardinalis Præfecti, consulentibus intimari soleant; tum quia ipsa non raro Congregatio ab Interpretatione sua recesserit. Verum sententia hodie vix non communis est, quod in Italia & Germania vim legis obtineant, ut responsa prudentum, quæ in Digestis continentur, quoad hunc effectum imitentur. Et ratio est, quod Pontifex *Sixtus V.* illis per specialem constitutionem facultatem interpretandi & declarandi concesserit; ergo sicut declarationes & interpretationes ipsius Summi Pontificis essent authenticæ, sic etiam interpretationes Cardinalium jussu & authoritate Pontificia factas, ut tales agnoscere absque dubio oportet, prout etiam ab omnibus tribunalibus Romæ talem iis authoritatem deferri constat. Ad quod tamen, ut hic bene advertit P. Engel, variæ requiri conditiones videntur. *Prima* est, ut declarationes tales non emanaverint, nisi consulto prius Pontifice. *Secunda* est, ut sint pure declarativæ, neque extensivæ, neque restrictivæ, sed mere explicent & evolvant sensum dubium & obscurum. *Tertia* denique, ut exhibean-

beantur in forma authentica, hoc eſt, cum ſolita ſubſcriptione & ſigillo Congregationis appreſſo, alias nequidem in Germania in vim legis afferri declaratio ejusmodi poteſt. Aliud eſt in Gallia vel Belgio, ubi valde modica ejusmodi declarationibus defertur authoritas, & tantùm ut conſilium, vel privatorum Doctorum probabiles ſententiæ recipiuntur; inſiſtunt enim Galli Belgæque verbis & litteris ipſius Tridentini, maluntque illud recipere, prout ſonat, quam ſecundum diverſas Cardinalium illorum receptas in Curia opiniones, quas ordinarie in favorem Curiæ & Rom. Pontificis cum præjudicio aliarum nationum conceptas eſſe prætendunt; atque exinde venit, quod iſti nunquam ad ipſam Curiam Romanam cauſam quamdam controverſam deferant, ſed petant ſibi a Summo Pontifice deputari judicem delegatum, qui ſit ejusdem nationis & Provinciæ, quatenus ſic coram illo, ſumptibus longe minoribus, in ſua patria omnino impartialiter cauſæ & lites valeant expediri, quod utique optandum quoque foret pro noſtra Germania, ut ſic cauſæ cum tantis ſumptibus Romam transmitti, ac ſecundum præconceptas ibidem opiniones proceſſus decidi haud deberent.

Quid ſi ergo in noſtris partibus exhiberetur Judici declaratio ejusmodi Cardinalium, ſed absque ſolennitatibus? poſſetne ſecundum illam in judicando procedi?

Reſp. Si nec agatur de cauſa graviori, neque pars altera contra illam excipiat, poteſt judex utique illam ſequi, maxime ſi ab aliis authoribus claſſicis adducatur, quibus ſpecialiter accenſeri meretur Fagnanus, cui plures ejusmodi declarationes afferenti fides non eſt deneganda, ſiquidem per 10. annos fuerit Secretarius hujus Congregationis, ac in materia Concilii Tridentini nulli ſecundus ab univerſis celebretur.

Juris noviſſimi tertia ſpecies eſt *Bullarium Magnum*, quod a Bullis ſeu epiſtolis Pontificum plumbeo ſigillo munitis ſuum habet nomen, & eſt nihil aliud, quam Collectio variarum Bullarum & conſtitutionum Apoſtolicarum, opera primum *Laërtii Cherubini* Juris Conſulti Romani compilatum, & dehinc ad noſtra uſque tempora auctum. Primam editionem adornavit modo dictus Laërtius Cherubinus anno 1588 circa tempora *Urbani VII.*, in qua continentur ordinationes Pontificiæ a *Gregorio VII.* uſque ad *Sixtum V.* alteram editionem procuravit *Angelus*

Ma-

Maria Cherubinus, filius Laërtii Cherubini, Monachus Caſſinenſis, ſub *Paulo V.* Tertiam elaborarunt *Angelus a Landuſia*, & *Joannes Paulus a Roma*, Religioſi S. Franciſci; quibus acceſſit editio quarta anno 1727. quæ conſtat tomis quaruordecim, & incipit a *Leone I.* uſque ad *Benedictum XIII.* Præter Bullarium iſtud magnum etiam habemus Collectionem Bullarum & Brevium *Clementis XI.* anno 1724. editum ſub titulo: *Clementis XI. Pontificis M. opera, ſcilicet Epiſtolæ, Brevia ſelectiora & Bullarium.* Demum *Benedictus XIV.* Pontifex ſane Maximus & eruditiſſimus ab innumeris ferme conſtitutionibus, operibus & epiſtolis per omnem orbem celebratiſſimus; ſuas quoque conſtitutiones ſucceſſive imprimi typis curavit, easque more antiquo Doctoribus Bononienſibus inſcripſit, quarum quatuor tomi paſſim obvii ſunt.

Quæres autem, *an Bullarium Magnum ſit authenticum, & quænam ejus authoritas?* & dico communem eſſe opinionem, quod, cum Bullarium iſtud nullam expreſſam, eamque authenticam approbationem præferat, plus ponderis non habeat, quam ipſæ Bullæ Pontificiæ ſeorſim ſpectatæ; quodſi Bullæ, antequam in Bullarium fuerunt relatæ, per viam legis univerſalis editæ, ac legitime publicatæ & acceptatæ ſint, vim legis, quam olim habuerunt, etiam hodie intra Bullarium obtinent, niſi vel lege poſteriori, vel contraria conſuetudine fuerint abrogatæ. Interim eatenus iſthoc Bullarium magnam habet authoritatem, quatenus ad Bullas in eo contentas provocare licet, ita ut illis, in quantum in hoc Bullario continentur, fides ſit habenda, & illi, qui illarum fidem impugnare vellet, probatio de contrario injungenda foret. Quodſi tamen aliquis errorem docere, & authentiam Bullæ expugnare conaretur, absque dubio audiendus foret; vel maxime autem ſimilium Bullarum authoritas elidi poſſet, ſi quis doceret, eas nunquam eſſe legitime promulgatas, aut non receptas, vel uſu contrario abrogatas.

Demum hic nota, facili negotio obſtrui ora Proteſtantium, qui multitudine harum conſtitutionum offenſi, ſanctiſſimam Religionem noſtram, quæ teſtante ipſo Chriſto Domino jugum ſuave eſt, & onus leve, tanquam pondus inſupportabile impie traducunt; nam ex innumeris illis ſtatutis & legibus admodum paucæ ſunt, quæ totam ac univerſam Eccleſiam conſtringant &c. cum plurimæ ex iis, non quidem

ex defectu poteſtatis, ſed conditionis ex parte materiæ, v.g. requiſitæ, in omnibus partibus haud obligent.

Inter Collectiones juris noviſſimi quarto loco apte reponuntur *Regulæ Cancellariæ*, quæ nihil aliud ſunt, quam Conſtitutiones Pontificiæ a quovis Pontifice ad initium ſui regiminis præſcriptæ, quæ normam & ordinem regiminis potiſſimum Cancellariæ Apoſtolicæ, res beneficiales, reſignationes & diſpenſationes concernunt, quemadmodum in ſupremis Imperii Dicaſteriis, Camera ſcilicet Wezlarienſi, & Concilio Aulico Viennenſi, certa habentur ſtatuta legesque quaſi pragmaticæ judiciorum normam ſpectantes. Primarius illarum regularum Author communiter fuiſſe creditur *Joannes XXII.* quas ipſius ſucceſſores pro ſuo libitu auxerunt, in iis ferme omnes dignitates & beneficia Pontifices ad ſe attraxerunt, non ſine gravi Epiſcoporum, Capitulorum, aliorumque Collatorum præjudicio: nam, ut ſaltem unam alteramque reſervationem recenſeamus, reſervarunt ſibi Pontifices omnes Eccleſias Epiſcopales, & Abbatias omnes Orbis Chriſtiani, quarum reditus ſuperant 200. florenos, omnes dignitates Eccleſiarum Cathedralium, quæ primum poſt Epiſcopatum obtinent locum, primas inſuper Eccleſiarum Collegialium &c. & demum collationem beneficiorum quorumcunque, quæ in octo menſibus, quos menſes Papales vocare ſolemus, vacabunt, quatuor non niſi menſibus Epiſcopo, vel ex ſingulari gratia ſex menſibus illi relictis, ſi in ſua Diœceſi & Eccleſia diligenter reſideret. Attamen *Nicolaus V.* qui anno 1447. ſedere cœpit, primus utiliores prædeceſſorum ſuorum regulas colligens, ac plures alias judiciales, ſive normam adminiſtrandæ juſtitiæ determinantes adjiciens, reſervationem beneficiorum, ſimilesque materias beneficiales inſigniter temperavit, hasque regulas ad eum pene ſtatum, in quo nunc habentur, perduxit. Exſpirant hæ regulæ una cum Pontifice, & hinc Sede Pontificia vacante non obligant, ſaltem extra Curiam, & Collatores ordinarii poſſunt conferre beneficia, quæ vi regularum ſunt Pontifici reſervata. Solent autem Pontifices neo-electi poſt unum alterumve diem illas de novo reaſſumere, & prout libuerit, reſtrictas aut multiplicatas publicare. De earum obligatione & authoritate indubitanter affirmamus, quod in Curia Romana faciant jus locale, & Officialibus in ea agentibus ſecundum illas tam in obſervanda forma judicii, quam decidendis cauſis ſit procedendum. Extra Curiam vero aliter non obli-

ligant, nisi in quantum vel sunt promulgatæ, vel receptæ, & non sunt contrariæ aliis juribus particularibus, e.g. Concordatis Germaniæ &c. de quibus pauca hæc tibi cape,

Famosa quoque *Concordata* novissimo Juri Canonico in *Germania* accensentur, quæ nihil aliud sunt, quam solemnis conventio & Sanctio Pragmatica inter *Nicolaum V.* Summum Pontificem, & *Fridericum III.* Romanorum Imperatorem, reliquosque Status tam Ecclesiasticos quam Sæculares, & Proceres Germaniæ facta, in qua Collationes Beneficiorum potissimum certis regulis determinantur; suntque ea salubria admodum & Ecclesiæ & Nationi Germanæ; firmavit enim hisce Germania obedientiam paulo ante cum *Eugenio IV.* post diuturnam neutralitatem restauratam, continuavitque in *Nicolaum V.*, quod profecto tam erat proficuum, quam perniciosum fuerat schisma sub neutralitatis larva delitescens; circumscriptæ sunt reservationes, quæ sine Concordatis fortassis amplius & in immensum excrevissent; restitutæ sunt Germanis electiones, in quibus tantum antiquæ & nativæ libertatis suæ ac publicæ totius Imperii felicitatis vigorem nunquam non reposuerunt; temperatæ sunt eæ, quæ in Curiam Romanam cum graviori ærariorum publicorum detrimento exportari alias debebant subventiones pecuniariæ; tantum tamen ex reservationibus etiamnum relictum fuit, quantum ad arctiorem membrorum & inferiorum Ecclesiarum cum Romana tanquam capite nexum benefactis & favoribus, queis potest, firmius continendum sufficeret, quin & superabundaret, tantum quoque subventionis appromissum fuit, quantum filialis in matrem pietas jubere poterat, atque eo insuper modo determinatum, qui antiquas vel injustitiæ vel simoniæ criminationes refelleret atque excluderet.

Inest autem his Concordatis vis veri & bilateralis pacti, & quam in iis firmitatem lex naturalis requirit, Pontifex tollere aut immutare, nulla valet potestatis plenitudine, quæ ei concessa est non ad destructionem, sed ædificationem Ecclesiæ, sed potius ex plenitudine justitiæ pacem servare, pacta custodire, datamque fidem omnino inviolatam tueri tenetur; ipsa insuper Concordatorum litera, quæ, ut *Æneas Sylvius* loquitur, legem nobis deinde inviolabiliter observandam dedit, Concordata perpetuo deinceps duratura asserit, & non nisi unicum eorumdem abrogandorum modum bis exprimit: *Si in futuro Concilio de* con-

consensu Nationis aliter fuerit ordinatum. Confer doctissimas *Dissertationes de Concordatis Magnifici D. Barthelii.*

Decisiones Rotæ Romanæ P. Engel etiam ad Jus Canonicum reducit, estque *Rota Romana* supremum Curiæ Romanæ tribunal ad cognoscendas & decidendas in forma judiciali causas contentiosas institutum. Ipsam Rotæ appellationem alii deducunt a Camera hujus tribunalis, cujus pavimentum ex marmore Porphyretico Rotæ figuram exhibebat, atque cameram inde nude *Rotam* fuisse dictam credunt; alii vocis hujus rationem suppeditant ex eo, quod Auditores in eadem circulari & rotunda mensa accumbant &c.

Judices in hoc tribunali vocantur *Auditores Rotæ*, nomen autem Auditoris procul dubio inde suam trahit originem, quod antiquioribus temporibus præfati judices meri fuerint auditores causarum, causas solummodo audierint, ac postea suum arbitrium ad Pontificem retulerint, qui dein adhibito Cardinalium consilio eas ultimata sententia definivit. Postquam autem Pontifices & Cardinales longe gravioribus causis & negotiis fuerunt occupati, ipsa etiam causarum decisio hisce Auditoribus commissa fuit. Numerus Auditorum olim erat arbitrarius, & non raro ultra viginti se extendebat, quo tempore duplex constituebant judicium, ita ut a sententia definitiva dimidiæ partis ad alteram partem Auditorum potuerit appellari, donec *Sixtus IV.* eorum numerum ad duodecim reduxerit. Et quoniam ex omnibus nationibus & partibus orbis Christiani causæ contentiosæ ad hoc tribunal deferuntur, idem Sixtus prudentissime constituit, ut Auditores ex nationibus primariis assumantur, inter quos unus est Germanus ad nominationem Imperatoris, Gallus unus ad nominationem Regis Galliarum, duo Hispani ad nominationem Regis Catholici, qui ob regnum in duas olim partes divisum duos determinandi Auditores jus retinuit; reliqui sunt Itali, tres Romani, unus Venetus, Bononiensis unus, Mediolanus unus, Florentinus unus, Ferrariensis unus. Veneti quatuor, Mediolanenses tres nominant Doctores Jurium, ex quibus pro suo libitu seligit Pontifex.

Ante tempora *Sixti IV.* Auditores Rotæ sine præmisso examine a Cardinale Camerlengo simpliciter cum porrectione habitus singularis Cappæ, Rocheti, & impositione Byreti fuerunt introducti. A tempore Sixti IV. speciales in iis requiruntur qualitates, debent enim esse

Do-

Doctores Jurium, & ante suam admissionem in Cancellaria Apostolica in præsentia quorumdam Cardinalium, aliorumque Prælatorum Ecclesiasticorum ac Virorum doctorum disputare. Sequitur dein examen privatum, quod a Vice Cancellario peragitur, quo exanthlato, Cardinalis Camerlengo jubetur a Pontifice eidem Rochetum, Cappam una cum byreto porrigere. Postea solemniter in ipsum Conclave Rotæ introducitur, ubi Decanus eidem os claudit cum impositione silentii, illudque in proximo conventu iterum aperit his verbis: *Esto Auditor.* Tandem præsentatur ipsi Pontifici, a quo Apostolicam benedictionem accipit.

Hodie Auditores Rotæ in tres classes dividuntur, & in qualibet classe sunt quatuor, ex quibus unus vocatur *Ponens* seu *Proponens* aut *Referens*, cæteri autem *Correspondentes*; quotiescunque ergo causa in hoc tribunali discutienda ac decidenda venit, tunc præprimis in elaborando facto & facti specie proponenda laborant Procuratores Rotæ, in ipsis causis decidendis vero Advocati, qui dein paulo ante terminum Auditores, quos ordo dandi suffragium tangit, vel scripto vel verbotenus super facto & jure informant in ædibus privatis, quatenus se ad suffragia ferenda præparare queant. Hi vero de causa satis instructi, vota suæ authoritatibus & rationibus munita domi concipiunt, & in scripturam redacta *Ponenti* tradunt, ut ex iis decisionem formare valeat. Quando ergo Auditores in suis decisionibus conveniunt, tunc *Ponens* ex votis *Corresponsalium* efformatis facit sententiam, quæ præter rationes decidendi seu motiva, quibus Rota ad decidendum inducta fuit, nihil continet: si non conveniant, tunc ait: *Non liquet.* Quo casu processus de novo reassumitur, consultatur, deliberatur, & in id intenditur, ut discordantium vota concilientur. Quodsi nec secunda vice habeatur unio votorum, tunc ipsi quoque *Ponenti*, quod alias non est concessum, licet dare votum suum & suffragium, ut lis eo facilius & felicius suum sortiatur exitum. Postquam ergo hic suam opinionem in scripto communicavit, concipitur sententia, & partibus litigantibus communicatur typis sæpe impressa. Illud prorsus singulare est in hoc tribunali, quod partibus litigantibus, & per sententiam gravatis in eodem judicio quasi ad eundem judicem appellare liceat: nam dictum fuit, quod Rota in tres classes dividatur, & in qualibet classe quatuor sint Auditores ac respective Judices, idcirco si quis litigantium

tium a prima Auditorum classe per sententiam se gravatum existimet, potest ab hac ad secundam, a secunda ad tertiam appellare, postquam non datur amplius appellatio. Suppetit tamen adhuc aliud medium, restitutio scilicet in integrum a Summo Pontifice, qui dein causam remittit ad plenum, ubi ultimata & irreformabilis fertur sententia.

Causæ civiles, quæ inter Laicos versantur extra Italiam & terras Pontifici subjectas, non amplius ad hoc tribunal deferuntur, cautumque fuit per Capitulationes Cæsareas, & Imperii recessus, ut non nisi causæ Ecclesiasticæ illuc mitterentur, ne suprema Imperii Dicasteria passim negligi contingeret.

Vim legalem & authoritatem non habent Rotæ decisiones vel sententiæ in hoc supremo tribunali in causis controversis latæ, & secundum stylum curiæ una cum rationibus decidendi conceptæ, quia Rota novum jus non constituit, neque jus constitutum authentice declarat, aut interpretatur, sed jus jamjam constitutum doctrinaliter & judicialiter applicat ad causas aliorum tribunalium. Item Auditores Rotæ non sunt Legislatores, sed tantum Judices, quorum officium est judicare secundum leges, non leges ferre, aut jus novum condere, unde ex defectu authoritatis publicæ & potestatis legislativæ, quam in forma authentica a Summo Pontifice ipsis unquam concessam esse, haud constat, tantum valent sententiare, & conclusa eorum, licet jus faciant inter partes non secus, ac aliorum judicum sententiæ, nunquam tamen faciunt jus universale sive respectu omnium.

Hoc tamen probe advertendum, quod plures ejusmodi decisiones super eodem juris puncto vel lege dubia ac controversa editæ facere soleant *stylum curiæ*, qui Romæ habet vim legis, & a Rota nunquam dimittitur, si super eodem juris puncto in similibus causis & controversiis respondendum sit, ac proinde *stylus curiæ* nil aliud est, nisi modus conformiter agendi in judicio, sive consuetudo in curia recepta, & per frequentiores uniformes decisiones super eodem juris articulo introducta, aliquam legem controversam eodem semper modo accipiendi, & secundum unam contradictionis partem interpretandi. Est autem discrimen inter Decisiones, aliæ sunt, quæ ita solide & momentose per rationes dubitandi & decidendi deductæ sunt, ut controversiam omnino exhauriant, dicunturque hæ *Magisteriales*, ac majorem utique habent auctoritatem, quam aliæ non æque bene ac solide

de-

deductæ. Aliæ vero ſunt *Individuales*, quæ nimirum in caſu ſimilibus ſeu iisdem omnino circumſtantiis veſtito jam prius emanarunt, tales ſi ſimul Magiſteriales ſint, in noſtris quoque partibus magnum habent pondus & authoritatem, nec facile negligendas putamus.

Hæc de Juris Canonici partibus tam in- quam extra Corpus ejusdem Juris Canonici.

Quæres IX. Qualem authoritatem habeat Jus Canonicum apud Proteſtantes?

Reſp. *Lutherum* Juris Canonici fuiſſe hoſtem capitaliſſimum, illudque Wittenbergæ in magna Doctorum & Studioſorum corona una cum Bulla *Leonis* anno 1520. igni comburendum injeciſſe hoc adhibito effato: *Quia tu impie liber conturbaſti Sanctum Domini, ideo te conturbet ignis æternus: ſicut fecerunt mibi, ſic feci eis: inquit Samſon.* Verum hiſce auſibus impudentiſſimis ſeſe vehementiſſime oppoſuerunt ipſimet Doctores Proteſtantici frendente licet Luthero, & Jus Canonicum ab illo tempore uſque ad hodiernum diem docent in ſcholis publicis, ad illud provocant in judiciis, ſecundum normam illius procedunt in cauſis eccleſiaſticis, controverſias decidunt in ſuis conſiſtoriis; imo quid non egerunt Doctores Wittenbergici, ut illius uſum & conſervarent, & propagarent? Hos æmulati ſunt Profeſſores aliarum Academiarum, qui illud ſuis Auditoribus commendarunt, miris laudibus exornarunt, doctiſſimis Commentariis illuſtrarunt, apologiasque pro illius authoritate inſtruxerunt; longe ſanior proin horum JCtorum intellectui illuxit Phœbus, quibus ratio ſtatus eccleſiaſtici & politici melius perſpecta erat, qui optime cognoſcebant, peſſime etiam ſuæ eccleſiæ, ſuorumque Principum juribus conſultum iri, ſi Jus Canonicum penitus cum Luthero eliminarent & proſcriberent; ac demum intime penetrabant, quantum chaos in judiciis, quanta rerum confuſio in dirigendis finibus jurisdictionis eccleſiaſticæ & politicæ, quanta difficultas in defendendo jure in ſacra ſuis Principibus vindicato ex proſcriptione Juris Canonici ſit pertimeſcenda. Utique ſecundum omnes prudentiores œconomiæ regulas egiſſe cenſendi ſunt, dum authoritatem Juris Eccleſiaſtici ſuſtentare toto conatu, omnibusque viribus allaborarunt. Quam frequens ſit uſus Juris Canonici apud Proteſtantes, quanta illius neceſſitas in dijudicandis cauſis & ſuorum aſſeclarum, & Catholicorum; noverint

verint illi, qui Principibus suis a secretioribus sunt consiliis, præsunt Consistoriis Protestanticis, vel Judices in tribunalibus sunt constituti.

Interim hoc probe notes velim, quod, si principia Protestantium intueamur, Jus Canonicum nostrum eos duntaxat ex recepto, & in subsidium Juris Civilis obliget, nimirum ubi non refragatur legibus fundamentalibus Imperii in favorem Protestantium editis, aut principiis Religionis Protestanticæ, vel specialibus ipsorum constitutionibus ac consuetudinibus. Sic in regula ex recepto obligare ipse *Bæhmerus* fatetur. Dixi: juxta principia Protestantium, nam si spectemus rem, prout est in se, Protestantes Jure Canonico eodem modo & ex eodem capite obligantur, sicuti nos; attamen ob tolerantiam publicam Religionis Protestanticæ cogi ad id nemo potest. Imo vero dicit *Bæhmerus*, quod speciales ipsorum Constitutiones ex Jure Canonico tanquam ex fonte depromptæ sint, ergo. Recipiunt autem id in regula ideo, quia est fundatum in speciali æquitate naturali, & quia ordinatissime tradit pro Jure Civili formam processus, non vero ideo, quia est fundatum in jure nostræ Ecclesiæ, aut proveniens a potestate legislativa Pontificia, quam omnino respuunt. Sed si inquiras:

An, & quomodo per Instrumentum pacis derogatum sit Juri Canonico?

Resp. Quod respectu Catholicorum non sit derogatum, sed tantum respectu Protestantium in foro externo, quatenus nempe Instrumentum pacis pro foro duntaxat externo statuit, ne deinceps in publico religionis suæ exercitio turbari aut impediri possint, nec cogi queant ad solvendas annatas, taxasque ejusmodi pecuniarias; item quod omnis jurisdictio Pontificia & Episcopalis circa ipsos suspensa esse debeat, sicque pari in religionis exercitio cum Catholicis pace & securitate publica gaudere valeant.

Quæres X. num Jus Canonicum prævaleat Juri Civili? quænam illius cum hoc concordia, vel discordia &c.

Resp. Quod in Germania etiam ab eo tempore, quo utrumque jus in fora germanica fuit introductum, Jus Canonicum primatum habuerit, suoque usu & authoritate Juri Civili Romano non in causis solum Ecclesiasticis, sed & in Civilibus prævaluerit. Et quidem Jus Canoni-

nonicum inprimis prævaluit sua antiquitate, quia ex plurimorum sententia ante receptionem Juris Civilis in foris Germaniæ obtinuit; prævaluit pondere, utpote cui honor obtigit, ut a *Friderico II.* & *Rudolpho* Imperatoribus accedente publico Ordinum decreto Sæc. XIII. confirmatum roboratumque fuerit, quæ confirmatio Juris Romani, etiam ibi fora Germaniæ occupaverat, ostendi nequit; prævaluit in praxi, cum in foro civili norma judicii fuerit observata, quæ in Jure Canonico legitur præscripta, & causæ civiles potius secundum Canones, quam leges civiles fuerint decisæ, ita quidem, ut Jus Romanum mere aliquod jus subsidiarium fuisse multis videatur ad supplendum defectum Juris Canonici assumptum; prævaluit dignitate, quia eo tempore communis persuasio fuit, primas deberi Ecclesiæ & Ecclesiasticis Legibus, bonum Ecclesiæ præferendum bono politico, debitum honorem Clero exhibendum, Ecclesiarum privilegia & immunitatem manutenendas esse.

Interim juvat statuere regulas quasdam, secundum quas authoritas usus ve utriusque Juris sit determinanda, explanandumque est, quandonam authoritas Juris Canonici vel civilis obtineat aut prævaleat. *Regula 1ma:* Jura concordanda cum juribus, & correctio, quantum fieri potest, evitanda; fundatur hoc regula in rationibus gravissimis, 1*mo* enim omnis lex præsumptionem habet pro se, quod sit justa, honesta, in bonum communitatis lata, statque favor pro lege & bono publico, ac utrique infertur injuria, si lex sine gravi causa corrigatur, refigatur. Dein stat optima præsumptio pro Principe, quod, priusquam legem tulit, sedulo necessitatem & utilitatem legis examinaverit, nec temere, sed rebus optime expensis sanciverit &c. *Regula 2da:* Vel Lex Canonica colliditur cum Canonica, vel cum civili? in priori casu videndum, utrum antonomia sit in unius & ejusdem Pontificis collectione v. g. utrum in Decretalibus *Gregorii IX.* duo sint canones contrarii, vel contrarietas in duabus collectionibus, ita ut aliter sit sancitum in Decretalibus *Gregorii*, & aliter in Collectione *Bonifacii*; si prius, omni modo studendum est reconciliationi, si tamen salva verborum proprietate fieri queat, aut nisi canon ipse terminos correctorios adhibeat, ut factum esse legimus *in Cap. 2. & 3. de Cens. in 6.* Si posterius, tunc standum est juri noviori ex generali regula, quod posteriora derogent prioribus. *C. 29. de Elect. in 6.* nam potest legislator, & etiam præsumitur velle abro-

rogare legem anteriorem, eoquod omnes leges censeatur habere in scrinio cordis sui. *C. 1. de Constit. in 6.* Si vero Lex Canonica colliditur cum Lege Civili, tunc sequentia sunt observanda. 1 Si Jus Canonicum sit clarum, & Jus Civile dubium, tunc standum est Juri Canonico claro, & econtra. Fundatur regula *in Cap. 1. & 2. de N. O. N.* in quo dicitur, quod *sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita & sacrorum Canonum statuta Principum Constitutionibus juventur.* Excipe in materia spirituali, utpote quæ est extra sphæram legislatoris Civilis, nisi tamen lex civilis a Jure Canonico sit homologata; exemplum habe in cognatione legali, quæ e iam de Jure Canonico facit impedimentum Matrimonii. *2do* Si manifesta sit contrarietas inter Legem Canonicam & Civilem in materia adiaphora & indifferenti conscientiam non tangente, e. g. in materia testamentorum, contractuum &c. *3tio* In materia conscientiæ & peccati prævalere debet Jus Canonicum ex naturali dictamine rationis, & Jure Divino; cum utique peccata & peccandi pericula evitare teneamur, præceptumque divinum habeamus, quo Ecclesiam, & ejus Rectores audire jubemur. *4to* In materia spirituali & maxime Sacramentorum, Jus Canonicum præponderat Civili, idcirco quoad matrimonia filiorumfamilias sine consensu parentum inita prævalet Jus Canonicum &c.

Quæres XI. quo nexu Jus Canonicum cum cæteris Jurisprudentiæ partibus cohæreat?

Resp. 1mo. Quantus sit nexus inter Jurisprudentiam Ecclesiasticam & Civilem, neminem latere potest, undenam enim prima fundamenta intelligendi terminos technicos & modos loquendi juridicos addiscere debemus, nisi ex Institutionibus Juris Civilis? annon plurima præcepta ex Jure Civili mutuarunt conditores Juris Ecclesiastici, quomodo erit possibile, ut ille, qui equidem in studio Canonico egregium fecit profectum, in praxi & tribunalibus suam doctrinam utiliter exerceat, nisi prima Juris Civilis elementa calluerit? hoc ipsum confirmat ordinatio Judicii Imperialis Aulici 1555. ubi præcipit, ut utrumque Jus in judiciis super eandem mensam collocetur, quatenus in controversiis ad utrumque possit recurri, unumque per alterum suppleri.

2do

2do. De *Jurisprudentia publica particulari Germaniæ* quid dicam? Hæc adeo nostris temporibus necessaria est, ut sine ea nemo vel nomen Jurisconsulti mereatur. Sunt in Imperio Romano-Germanico Status Ecclesiastici & sæculares nexu indivisibili confœderati, habemus leges particulares nobis solis proprias, sæpe nobis agendum cum Protestantibus in materia Religionis, in causis Ecclesiam concernentibus, quis ergo necessarium hujus cum Jure Canonico nexum non palpat manibus?

3tio. Idem dicendum venit de *Jure Feudali*, in ipso Jure Canonico habemus titulum de *Feudis*; hinc inde plura disposita legimus, quæ spectant materiam feudorum; quis nescit amplissimam esse materiam feudorum Ecclesiasticorum, a Principibus Ecclesiasticis possideri feuda Imperii, Ecclesias sæpe esse Dominas, & non raro vasallos, & vasallagium subire? quid olim frequentius, quam infeudatio Decimarum, aliorumque bonorum Ecclesiasticorum? annon beneficia Ecclesiastica ad modum feudorum esse erecta scimus? Hæc & his similia, quomodo sine notitia Juris Feudalis intelligi valeant, non videmus.

4to. Quid *de Jure Germanorum privato* disseram? cui illustrando hodie Scriptores summam impendunt operam, eum in finem, ut Jus Romanum e sua possessione immemoriali deturbent, & leges patrias antiquas Germanorum in fora & tribunalia inducant; quantum lucis fundatur Juri Ecclesiastico ex moribus, consuetudinibus & legibus antiquis Germanorum, maxime ex capitularibus Francorum, utroque speculo Suevico & Saxonico, potissimum in materia de judiciis, criminalibus, juramentis, juribus Episcoporum, & Clericorum haud facile enarravero.

5to. *Jurisprudentia criminalis* sua quoque præstat obsequia Juri Canonico; etsi enim Ecclesia non sitiat sanguinem, neque ultimis suppliciis in facinorosos animadvertere consueverit, habet tamen sua judicia criminalia, & contra delicta ecclesiastica æque, ac mixti fori, & non raro etiam civilia, si Clerici eorum rei deprehenduntur, procedit, imo quandoque subditos suos curiæ sæculari puniendos extradere solet, ut nihil dicam de antiquis judiciis criminalibus, & modis procedendi in foro Canonico tunc usualibus.

Quæres denique XII. num utile & necessarium sit studium Juris Canonici in partibus Germaniæ?

Resp. Non utile duntaxat & necessarium, sed & præstantissimum ac jucundissimum est hoc studium. Et quidem utilitatem necessitatemque suadent, tum supradicta utriusque juris connexio, tum systema speciale nostri Imperii, quod non tantum ex Regibus & Principibus constat, sed & ex Episcopis & personis Ecclesiasticis consurgit; aut enim ipsa Ecclesiæ gubernacula quis tenet, & qua arte suum exercebit regimen, si ne quidem sua, suorumque subditorum jura, suas prærogativas, & fines imperii sui noverit? aut quis jurisdictioni præest, & quomodo exercebit judicia, decidet causas, puniet crimina, administrabit justitiam, nisi Jus Ecclesiasticum profunde imbiberit? aut fortassis a consiliis est quis summis Imperantibus & Principibus politicis, & prò quanta pertimescenda mala Ecclesiæ non tantum, sed etiam Imperio, si Princeps a Consiliariis Jurium Ecclesiasticorum imperitis in suo regimine dirigatur? quomodo stabit pax inter Episcopos & Principes, quomodo nexus Sacerdotium inter & Imperium, tranquillitas inter imperantes & obedientes, si ministri Principum jura Ecclesiæ & Sacerdotii ignorent? profecto suum foret Imperium Principibus, sua potestas Pontificibus, sua jurisdictio Episcopis, sua jura Clericis, sua Ecclesiis & personis ecclesiasticis immunitas, si sanioribus Ecclesiæ & Jurisprudentiæ Ecclesiasticæ principiis imbuti essent Ministri & Consiliarii secretiores Principum. Hæc scientia sceptra firmat imperantium, ordinat disciplinam ecclesiasticam, instruit judicia, subditos docet sua officia, mores instruit fidelium, ac demum promovet salutem Religionis.

Excellentiam vero hujus studii aptius & efficacius commendare haud possum, quam si dixero eam esse encyclopediam, quacum nexu individuo cohærent ferme omnes artes & scientiæ, quarum non paucæ eidem ancillantur, haud pauciores ab ea suppetias emendicant, plures mirum in modum ab ea illustrantur &c. Auget præstantiam summa jucunditas, quam studium Juris Canonici affert sedulo incumbentibus, maxime si id cum studio Historiæ Ecclesiasticæ conjungatur, & secundum noviorem methodum instituatur; quid enim delecta-

:ſtabilius, quam per omnia imperantium jura libere evagari, &, quæ nt jura Pontificum, Epiſcoporum, aliorumque Prælatorum Ecclelia. icorum, Principum, Eccleſiarum, Clericorum, ac Laicorum, ſe. ındum decempedam Scripturæ & Traditionis emetiri? Quid nobili genio dignius, quam origines dignitatum & officiorum eccleſiaſti-)rum, jura & prærogativas Prælatorum ex antiquis codicibus & hi- oriarum monumentis eruere, totam quantam diſciplinam eccleſiaſti- m per ſæculorum ordines digerere; diverſa religionum ſyſtemata :rluſtrare, revolutiones, fata, viciſitudines in regimine eccleſiaſtico, judiciis eccleſiaſticis, in cultu publico, in ritibus eccleſiaſticis evol- :re &c.

Hæc circa Prolegomena Juris Canonici ſufficiant.

LIBER PRIMUS.

TITULUS PRIMUS.

De Summa Trinitate & Fide Catholica.

Gregorius Pontifex Maximus Decretalium suorum initium posuit *a SS. Trinitate*, Theodosium & Justinianum Imperatores, qui suos pariter Codices eodem a Principio exorsi sunt, imitatus; nec immerito: omnis enim sapientia est descendens a Deo tanquam Patre Luminum. Porro Jus siasticum, sive Canonicum affine esse scientiæ Theologicæ, pluri- ie materias utrique esse communes, quin & ex iisdem principiis endas, nemo, qui utriusque vel modicam notitiam habet, igno- Pertinet vero ad præfatum jus agere de Altissimo Sacratissimæ atis Mysterio, quatenus Ecclesiam concernit decernere ea, quæ bris suis Baptismate in Nomine SS. Trinitatis collato ablutis cre- sunt & agenda; hocce vero SS. Trinitatis Mysterium primariam lei materiam, ac Religionis nostræ fundamentalem Articulum, us experitur intellectus. Ergo

Situm

Situm est arcanissimum istud Mysterium in eo, quod sit unus numero & individualiter Deus in tribus Personis, sive una & individua Essentia Divina in tribus Personis realiter distinctis, Patre ingenito, Filio genito, Spiritu sancto procedente. Elucet insuper ex Eo Omnipotentia Divina cum creatura rationalis advertat in hoc Mysterio ea possibilia, quæ naturali rationi impossibilia videntur, sicque cum reverentia fateri cogatur, *quia non erit impossibile apud Deum omne verbum*. Luc. 1. Porro promicat ex illo mirabilis œconomia Dei, ut videlicet haberemus meritum ex assensu huic aliisque fidei arcanis firmiter absque formidine præstito, subjiciendo intellectum nostrum in fidele fidei obsequium, cum objectum fidei nequeat per se movere vel intellectum, vel sensum ad sui cognitionem, non enim est adinstar primorum principiorum ex ipsis terminis innotescentium, neque adinstar Conclusionis ex principiis per evidentem consequentiam deductæ, neque aliquid sensibile quod ex - vel internis sensibus percipi valet &c. Denique splendescit exinde sapientia Divina, cum hoc ipsum Mysterium sicut & cætera fecerit nobis evidenter credibilia, juxta illud Psalmi 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*, quatenus testes idonei, conspicua signa, Argumentaque sat persuadentia rationabile dubium excludunt &c.

Altera pars hujus tituli inscribitur *de fide Catholica*, circa quam nobis præcipue Germanis plura sunt notatu digna scituque necessaria, quoniam materia fidei & Religionis hodie facta fuit quasi juris publici, gravissimisque eam impetere tentationibus, & enormissimis defœdare erroribus conantur Authores Protestantici, adeo quidem plausibiliter, ut siquis illos legens, solidis careat principiis, manifesto subsit perversionis periculo.

Quæres igitur I. quid per fidem intelligatur?

Resp. Canonistis haud sermonem esse vel *de fide actuali*, quæ est firmus & certus assensus, quo intellectus lumine supernaturali illustratus actualiter assentitur uni, aut omnibus mysteriis a Deo revelatis, propter infallibilem Dei revelantis authoritatem; vel *de fide habituali*, quæ est habitus infusus seu virtus supernaturalis habilitans & adjuvans intellectum ad firmiter credendum omnia a Deo revelata propter infallibilem revelantis Dei authoritatem. Sed *de fide objectiva*, sive rebus

a Deo

Deo aut per Scripturam, aut per Traditionem revelatis, atque per Ecclesiam in certis symbolis, formis ac normis ad credendum proositis.

Quæres II. Quot sint ejusmodi symbola, & quare sint edita?

Resp. ad I. Esse tria celebriora; Primum *Apostolorum*, vere ab s traditum, non scripto sed ore, cordibus & memoriæ fidelium comendatum; ut cum pluribus aliis SS. Patribus contestatur S. Hieronyus Ep. 61. ad Pammach. his verbis: *Symbolum fidei & spei nostræ, tod ab Apostolis traditum non scribitur in Charta aut atramento, sed tabulis Cordis carnalibus.* Secundum est *Nicænum*, Nicææ in primo oncilio Oecumenico contra *Arium* negantem Divinitatem Verbi edim, deinde auctum in altero Concilio Generali Constantinopolitano ntra *Eunomium* negantem Processionem Spiritus sancti, & *Macedoum* negantem Ejus Divinitatem. Tertium dicitur *S. Athanasii* ab cclesia receptum, hoc a modernis Criticis verisimilius adscribitur *Vilio* Tapsensi Episcopo in Africa sub finem Sæc. V. florenti. His acdit uberrima fidei forma in Concilio Tridentino præscripta, quæ as fidei professio adpellatur. Quinam vero eam teneantur emittere, le N. 9. in Proœmio, & insuper observa, Canonicos Collegiatarum clesiarum non ex dispositione Juris communis, sed ex consuetudine statutis particularibus ad hanc teneri.

Resp. ad II. Edita hæc symbola, & in quadam summa conclusos articulos fidei ab omnibus credendos, tum ut facilius possent omus proponi, ac memoria teneri, tum ut fideles dignoscerentur per us fidei professionem, & non circumferantur omni vento doctrinæ; ntumvis autem in singulis eadem contineatur veritas, occurrentibus ien Hæresibus quædam oportuit distinctius explicari, ut munirenfideles adversus Hæreticorum versutias &c.

Quæres III. Quomodo fides ad Jus pertineat?

Resp. Ad jus Ecclesiasticum Eam pertinere, quatenus Ecclesia *horitative* credenda dijudicat, decretorie pronuntiat, internum assen- & externam professionem imperat, pænas spirituales etiam contraientibus statuit. Pro majori autem & utiliori Assertionis hujus notitia

Advertendum I. Quod Protestantes Ecclesiæ abjudicent potestatem proponendi credenda, dirigendique Conscientias, sed cuique liberam credendi ideam, arbitrariumque modum colendi Deum permittant, Spiritum privatum omnium interpretem & judicem constituant, vociferantes, Ecclesiam injuste involare in reservata divina, durum suos in fideles exercere despotismum, jugemque tyrannidem; item, nihil conducere statui bonove Reipublicæ, qualemcunque quis internum de rebus credendis foveat conceptum &c. Ad hoc Systema penitus evertendum

Advertendum II. Quod Religio, qua homo arctissimo subjectionis ac dependentiæ vinculo Deo religatum sese agnoscit, ac profitetur, indigitet certam Deum colendi rationem, normam & modum, quo homo & debitum gratumque Deo partim intellectus partim voluntatis obsequium præstet, & æternam, ad quam conditus est, felicitatem consequatur. Ac merito propterea præeunte Apostolo sub initium Epistolæ ad Titum appellatur: *Agnitio veritatis, quæ est secundum pietatem ad spem vitæ æternæ.* Deum quippe, quem tanquam Ens perfectissimum & Immensum nostri ac rerum omnium Conditorem, earumque supremum Moderatorem & Arbitrum cognoscimus, honorandum atque colendum, eidemque obediendum a nobis esse, sola etiam rationis luce satis instruimur. Ex eo enim, quod Deus infinitæ perfectionis & sapientiæ creaverit hominem ad finem se dignum, seipsum videlicet, dubium nullum est, quin homo obligatus sit ad prosequendum finem illum, cui destinatus est, utendo ratione sibi concessa ad serviendum Deo, & ad totum id, quod est, quod potest, & quod habet, Ejus obsequio & cultui mancipandum per actus agnitionis, adorationis, humilitatis, reverentiæ, timoris, gratitudinis, confidentiæ, obedientiæ & amoris, cæterarumque virtutum, qui omnes unico Religionis vocabulo comprehenduntur. Ex hac insuper Deum colendi ratione nostra beatitudo pendet & felicitas, quæ utpote cœlestis, & omni natura longissimo intervallo superior Naturæ nulla ratione debita est, sed a solo Deo conferri potest, & nonnisi ut merces exhibiti sibi cultus adultis dari assolet; ut propterea cultus ejusmodi qualiscunque gratus Illi esse nequeat, nisi talis sit, quem ipsemet vult, & a nobis exigit. Ex quo consequitur, normam illam Deum colendi ab ipsa voluntate Divina homini manifestata proficisci debere, ut & illa Deo grata sit, & nos Deo gratos acceptosque efficiat, atque ad finem nostrum ultimum perducat. Inde ne-

necessario penitus fluit, attentis intellectus humani, ut ut communibus circa cultum Divinum ideis a Deo in hominis creatione præditi, angustiis, attenta judiciorum & Consiliorum divinorum profunditate, considerata Mysteriorum multitudine & possibilitate, spectata immensa in rebus Deum & Religionem concernentibus varietate revelari a Deo debuisse, & mediis pariter etiam extrinsecis homini intimari specialem quemdam sui colendi modum, quo infirma hominis ratio, quæ colendum Illum esse, ex impressis sibi divinis ideis agnoscit, ab exorbitante in quascunque absurdas & fanaticas superstitiones libertate ad unum cultum Deo gratum, Ejusque suprema Majestate dignum reduceretur. Quos enim Dei Omnipotentia ad sui cultum & obsequium condidit, eos ejusdem Providentia haud destituit in suppeditandis iis mediis, quibus ad hunc finem & ad suam felicitatem perducerentur. Nec n dubium verti hæc revelationis necessitas prudenter potest, utpote :erta & universali hominum persuasione, & communi omnium populo-um, omniumque temporum consensu probata; cum omnes homines k populi etiam maxime quoad Religionem inter se dissentientes in eo amen consenserint, quod suam singuli Religionem a Deo vel Diis suis evelatam & præceptam venditarint. Nam, ut Cicero ait L. 1. de Nat.)eor. *de quo omnium natura consentit, id verum esse, necesse est.* Sup-osita igitur revelationis Divinæ necessitate, existentiaque, ideæ circa Religionem generatim & quamcunque liberæ esse non possunt. Sed ea ecessario amplectenda est, quam Deo gratam, ab eoque imperatam ıtellexerimus. Injuria enim Deo fieret, si aut ejus revelationi ho-ıini satis manifestatæ fides & mentis assensus, aut mandatis obedientia etrectaretur; inanis prorsus, elusoria ac nulla redderetur Divina illa evelatio atque voluntas, si cuilibet liberum ac integrum permitteret, iam quamcunque Religionem ab illa unica divinitus imperata ac deter-ıinata quam maxime diversam sequi. Religionum denique diversitas ternam Dei destrueret Veracitatem, Sapientiam, & Providentiam, si mnes illas in substantiali colendi Deum ratione longissime discrepantes sibi contradicentes, quarum una permittit, præcipit, laudat, ac æmiat, quod altera vetat, damnat ac punit, æqualiter a Deo reve-tas, æque Illi gratas, & ad finem ultimum perducentes ac sufficientes nere & asserere liceret.

Iam autem, ut propius accedamus ad id, quod est rei punctum, eligionem Christiano-Catholicam esse unice a Deo selectam, & reve-

 latam,

latam, atque a Christo Domino fundatam, ex evidentibus (evidentia scilicet morali, ad finem tamen suscipiendæ Religionis sufficientissima & luculentissima) argumentis & signis credibilitatis satis demonstratur. Sicut enim Deus menti nostræ singulariter resplendet per cumulum trium potissimum nobilissimarum dotum sive attributorum, Sapientiæ videlicet, Potentiæ, & Bonitatis Sanctitatisque suæ, ita Religio Christiana evidenter se credibilem tanquam divinitus revelatam prodit, eoquod in ea hæ ipsæ nobilissimæ dotes singulariter appareant, atque his illa ipsimet Deo se magis assimilet. Siquidem omnia credibilitatis signa, quibus se a falsis sectis distinguit, ad tria illa Divinæ Naturæ attributa reducantur, ita ut Sapientiæ Divinæ Prophetiæ ac Vaticinia, Potentiæ miracula, Bonitati Ejusdem Religionis efficacia, propagatio, puritas & conservatio respondeant &c. Unde, si Christiano-Catholica in mundo sola vera est Religio, etiam scholam esse oportet, aut cætum, sive societatem, in qua eam homines doceantur, ac tradantur ea, quæ a Christo sunt revelata. Hac non admissa, cum ratio humana per peccatum originale sauciata ob infirmitatem atque errandi facilitatem, disciplinæ fugam, pravas passiones ambitionem, vincendi studium, voluntatis perversam indolem & cordis depravationem aberrationi mentis plerumque præviam neutiquam sufficiat, atque Christus ipse singulorum Magister esse noluerit, sed ab initio saltem aliquibus ea revelaverit, pronum esset accidere in rebus auditis id, quod in ipsa accidere solet audiendi facultate, quæ inter reliquas sentiendi facultates perficitur difficillime, amittitur autem facillime: Aut enim nunquam addisceretur cœlestis illa doctrina, aut cito amitteretur, variis illi additis erroribus permixta. Cœtus autem ille dicitur Ecclesia, quod idem est, ac Congregatio hominum ejusdem Christianæ fidei, ejusdem veræ doctrinæ professione, eorundem sacramentorum participatione sub uno Capite Christo, ac legitimis Pastoribus coadunata. Porro neque etiam cœtu illo in quo Religio a Christo revelata custodiatur, cœlestis ejusdem doctrina tradatur & exponatur, constituto, satis Divina Providentia consuluisset infirmitati & perversitati hominum, si mere suasiva & pædagogica ejusdem esset authoritas, non autem publica in interpretanda Christi doctrina, & dijudicandis diversis illis sensibus, in quos a diversis capitibus eadem trahitur, si, inquam, non esset generalis authorizata super iisdem decretorie juxta sacram scripturam tanquam Legem & normam pronuntiandi facultas, cui omnis humana ratio cedere debeat, ac sese humiliter submittere, ejusque

supremæ

supremæ] sententiæ tandem stare & obsequi. Authoritatis enim publicæ vinculo nisi levis & inconstans retineatur mens humana, nihil erit in cœtu isto, ac in ipsa, quam tradit, Christi doctrina fixum ac ratum; unusquisque in suo sensu abundans ad arbitrium dogmata definiet, quæ tot futura sunt, quot erunt hominum in cœtu illo existentium capita; & cum mere privata doctrina aut persuasio id juris non habeat, ut alios in suam sententiam pertrahat, illo authoritatis publicæ vinculo sublato æque, ac si nullus esset cœtus a Christo constitutus, ratio humana sibi permissa ex corruptione sua in omne absurditatum ac errorum genus, absque modo & facultate ulla inde emergendi, præceps ruere pergeret, id quod tristis omnium sæculorum experientia & omnium profanarum disciplinarum historia neminem hactenus sivit ignorare. Ut tamen illa authoritas sufficiat, ac publicæ nomen mereatur, & impleat omen, debet esse hominibus & naturæ cœtus modo memorati, utpote societatis visibilis, & inter homines constitutæ accommodata, & sapientissimo Dei homines per homines instruere volentis consilio proportionata, quam omnes facile cognoscere, & per illam ad veritatem indubitate pervenire possint. Insuper vero etiam ab omni errandi periculo debet esse remota, & infallibilis, ut omnibus absque læsione justitiæ, quæ cuilibet jus evitandi erroris tribuit, obsequium mentis rationabile imperare circa ea, quæ divinitus revelata declarat, & proponit, atque omnem pertinaciam, sive omnem altitudinem extollentem si adversus scientiam Dei reprimere possit. 1. Cor. 10. Quamobrem ipsamet sapientissima Divinæ Providentiæ œconomia exigebat in Cœtu isto constitui auctoritatem, quæ nec simpliciter humana, nec simpliciter divina, sed humana divinitus inspirata & directa sit; non simpliciter divina, quia Deus immediate per semetipsum nos non docet, sed accomode ad homines per Ecclesiæ suæ Ministros & Pastores, nec etiam simpliciter humana, quia certissima & erroris omnis nescia, atque circa Religionem, quæ tota supernaturalis, negotium, ac opus Dei est, ex Ejusque libera voluntate ac institutione pendet, occupata est. Proin dicenda est humana divinitus communicata & inspirata juxta illud, quod ajunt Apostoli in Concilio Hierosolymitano congregati Act. 15. v. 28. *Visum est Spiritui sancto, & nobis.* Inerrantem insuper & indeficientem hanc Ecclesiæ authoritatem esse, divinæ promissionis oracula & bullæ Evangelicæ abunde confirmant, Matth. 16. v. 18. item cap. ult. v. 20. Ad Ephes. 4. v. 11. & 14. Et ad Tim. 3. v. 15. Ex hoc igitur planum est deducere contra Protestantes factæ nuper assertionis veritatem,

ritatem, tres scilicet perfecti regiminis atque authoritatis partes constitutivas & characteristicas, potestatem utpote *Judicativam*, *Imperativam*, & *Coërcitivam* seu *punitivam* Ecclesiæ concessas atque connexas esse. Ac primo quidem

Judicativa Potestatis usum ac praxim prodit ipsa S. Scriptura, dum orta de legalibus Ceremoniis, ad fidem Christianam necessariis, disceptatio ab Apostolis Hierosolymæ congregatis definita, decretorioque judicio, in exemplum futurorum Sæculorum decisa fuit, testantibus Act. Apost. 25. Et quotiescunque inter Christianos post fata Apostolorum de fide, moribusque quæstio dissensioque existeret, suam Ecclesia interposuit authoritatem, repetendo illud Apostolorum: *Visum est Spiritui S. & nobis.* Quamquam non unus semper idemque modus fuerit, quo hanc suam in cognoscendis dijudicandisque fidei controversiis authoritatem explicaret. Aliquando enim per *Solos SS. Pontifices*, quorum deinde judicium Corporis Pastorum consensu vel tacito vel expresso per totam Ecclesiam receptum est; velut in causa Pelagii Innocentius I. fecerat &c. Aliquando *per Episcopos in Conciliis sive Generalibus*, *sive particularibus congregatos*; velut in causa Arii in Concilio Nicæno factum fuit &c. Aliquando *per eosdem extra Concilia per orbem dispersos* per litteras & consensum eorumdem vel expressum vel tacitum super controversiis fidei judicavit, pronuntiavit. Sane cum oporteat hæreses esse, oportet & tribunal esse, quo dijudicentur & damnentur.

Potestas judicativa vero nulla prorsus, inanis, & ad finem a Deo præstitutum insufficiens ac inutilis foret, nisi adjunctum sibi haberet *Sacrum* quoddam *Imperium*, doctrinam judicio suo ultimo definitam per modum Legis & rei judicatæ fidelibus præcipiendi, eosdemque sub lege necessitatis adstringendi, ut non tantum assensum externum eidem præstent, sed & ipsos internos mentis conceptus conforment. Paulus in fine supra citati cap. 15. Act. Ap. postquam orta de Legalibus controversia decisa esset, legitur perambulasse *Syriam* & *Ciliciam* confirmans Ecclesias, *præcipiens*, custodire *præcepta* Apostolorum & Seniorum, & Cap. subseq. 16. ipse & *Sylas* pertransierunt civitates, tradentes eis custodire *dogmata*, quæ erant decreta ab Apostolis & Senioribus, qui erant Jerosolymis. Idem quoque suo Timotheo 1. Ep. C. 4. *præcipe hæc*, inquit, *& doce*. Et ad Titum 2. *Hæc loquere*, *exhortare*, *& argue cum omni Imperio &c.*

Ut

Ut perfecta fit poteftas regitiva a Chrifto Ecclefiæ communicata, etiam vi coercendi rebelles & contumaces inftructa fit, oportet. Nam fruftraneum judicium, inefficax Imperium Ecclefiæ foret, nifi eosdem, qui pertinaciter refiftunt, per pænas fpirituales cogere poffet. Chriftus Ecclefiæ fuæ non tantum remittendi, fed & *ligandi* poteftatem reliquit. Hac non duntaxat Apoftoli, uti ex Paulo inceftuofum Corinthium 1. Cor. 5. v. 3. Hymenæum quoque & Alexandrum 1. Tim. 1. v. 20. Sathanæ tradente conftat, fed Eorum etiam fucceffores ufi fuere. Vid. Differt. Magn. D. Barthel de jure Reform. antiq.

Unde nimium profecto viles, indignas, humanæ tantum prudentiæ Maximis conformes & innixas de Religione divina ideas fe fovere produnt, quot quot facram Ecclefiæ authoratæ Poteftatem velut dominium craffum, vim & tyrannidem confcientiarum, jugum infupportabile, duram mentis carnificinam traducunt, & credenda ab omni lege, qua duntaxat agenda dirigantur, eximunt, refervatum divinum ferentes, internis hominum confcientiis dominari. Mere enim humana fi foret ea, quam adftruximus, veræ Ecclefiæ divinitus inftituta poteftas, fub legem ejusdem ac decifionem non cadere dogmata fidei controverfa, & internas mentis ideas facile confentiremus. Sicuti idem tota poteftas humana & politica fola hominum voluntate in Magiftratus & fuperiores translata fuit: ficut autem Reipublicæ & ftatus civilis conftitutio ac finis ad quietem & tranquillitatem publicam fuis viribus ac fubfidiis tuendam unice tendit, ita & homines in eam focietatem civilem coëuntes fuam tantum voluntatem, non vero intellectum, imo & voluntatem eousque tantum in voluntatem Imperantium tranftuliffe cenfendi funt, quousque unio civilis & tranquillitas id poftulat; quo tamen, cum nihil prorfus faciant interni mentis conceptus, inde facile cuique patet, cur nulla Poteftas Politica internis mentis conceptus ideis & voluntati Principis conformandi neceffitatem imponere poffit. Sic liceat omnino Proteftantibus, omnem Ecclefiæ authoritatem divinitus communicatam negantibus, ab authoritate Synodorum fefe eximere; prædicent illi rationis jura, & pericula dicent iis imminentia, qui Authoritati mere humanæ & fallaci fuam dicunt credulitatem. Liceat & Catholicis hoc argumento ferire prifcos eos Doctores nec authoritate publica, nec erroris immunitate munitos, qui ita privatas fuas fententias, ut ut nullo adhuc publico Ecclefiæ judicio definitas, aut probatas aliis obtrudere conantur, ut

immoderato zelo, dicam? an intolerabili arrogantia, ac præfidentia nulla in re alteri cedere, aut ſuſpenſi hærere, ſupremo ſuo judicio ſtatim omnia definire, contrarium vero ſentientes cenſuris & notis hæreſeos infamare iniquiſſime attentent. Aut liceat demum condolere illis, qui ita ſcholæ cuidam particulari velut glebæ adſcripti ſunt, ut in verba Magiſtri alicujus particularis, mere fallacis, & deceptionis periculo obnoxii jurare cogantur, ut ſenſum contrarium & à ſcholæ ſuæ maximis alienum, licet longe ſibi veriſimiliorem, tenere ac docere, iisdem nefas exiſtimetur. Aſt vera Chriſti Eccleſia eſt authorizata a Chriſto, ut ab omnibus illam audiri, & ex ejus interpretatione doctrinam omnem ſalutis noſtræ & Religionis ſuæ percipi voluerit; eſt inſuper infallibili Spiritus ſancti Aſſiſtentia & inerrantiæ dono ita munita, ut in his ſuis judiciis, interpretationibus ac deciſionibus, nec errare aut falli, nec decipere aut in errorem inducere poſſit: *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam* Matth. 16. v. 18. Quamobrem ſicut Chriſtus aſſenſum etiam internum ſuis revelationibus, utpote veriſſimis, præſtandum absque ulla tyrannide imperat, ita & Eccleſia Catholica tot inſignibus notis præ aliis omnibus conſpicua, & evidenter credibilior, nullam conſcientiis tyrannidem infert, ubi Authoritate ab eodem Chriſto ſibi participata, & ab ipſo Spiritu ſancto aſſiſtente, ex promiſſione Ejusdem in Sacris litteris facta, edocta aſſenſum non duntaxat externum, ſed & internum definitionibus ſuis impertiendum exigit.

Nulla itaque Libertati intellectus humani, qui veritatem naturali inſtinctu ſectatur, ſectandique jus habet, infertur injuria; ſicuti enim homini ratione prædito ipſa recta ratio effrænem in agendo libertatem negat, nec voluntas noſtra ita libera eſt, ut deſinamus eſſe ſervi juſtitiæ (quemadmodum ait Apoſtolus Rom. 6.) & legibus ſubjecti; ita & hominem Chriſtianum ipſa Chriſti Religio non patitur immodica opinionum libertate ferri, quocunque placet, atque ea duntaxat competit, quæ hominem deceant rectæ rationis, fideique Chriſtianæ legibus addictum & erroris inimicum, qua ſcilicet veritatem velut bonum ſuum, quod appetit, aſſequatur.

Porro ſicut tota iſta authoritas Eccleſiæ mere miniſterialis, Vicaria, atque a Chriſto mandata eſt; ita & ſuos mandati fines nunquam egredi tentat Eccleſia; omnis illa poteſtas tendit ad ædificationem Corporis Chriſti in ſalutem æternam, unde eos ſibi limites poſitos ipſamet agnoſcit,

agnoſcit, ut in iis opinionibus & quæſtionibus ſua decreta nunquam interponere ſoleat, imo nec poſſit, quæ mere ſunt profanæ, & ad Phyſicam, Aſtronomiam &c. pertinent; Indigne nimis Catholicis imponitur Pontifici aut Eccleſiæ definienti: duo eſſe tria: aut nullos dari antipodas, cæco impetu eſſe aſſentiendum. In his artibus ſcientiisque cuilibet liberum eſt ſentire ac docere quod & magis lubet, & verum, aut vero videtur ſimilius. Ad Eccleſiæ vero ditionem haud pertinent, niſi aliqua ex parte lædant fidei doctrinam, aut S. Scripturas falſi, erroris, ignorantiæ, aut mendacii ſuſpicione aſpergant.

Veritatis præterea cœleſtis ad fidem, ſalutemque noſtram pertinentis nequaqum ſe Dominam aut arbitram gerit, ut pro ſuo libitu Chriſti doctrinam effingere, reformare, aut invertere poſſit, ſed velut depoſitaria, cuſtos ac judex ex eadem demandata ſibi poteſtate ſemetipſam vinculis, quibus potuit, omnibus adſtrinxit, omnesque innovandi vias ſibi præcluſit; dum ea ſe lege teneri, probe perſpicit & fatetur, ut nulla conſtitui debeant, aut poſſint dogmata, niſi quæ ab ipſo Chriſto revelata, ab Apoſtolis verbo Dei ſcripto & tradito accepta, & jugiter ad nos uſque propagata fuerunt. Celebris eſt illa Vincentii Lyrinenſis Sententia ita de Eccleſia ſcribentis: *Non nova fidei dogmata ſtatuit, ſed vetera eruit:* Scilicet ex ipſis S. Scripturis & traditione per rectam interpretationem, concordem Patrum antiquitatem, legitimamque argumentationem præviis precibus, ſtudio, labore, frequenti collatione, & alia omni humana induſtria, velut e ſpicis grana, ſuas definitiones excutit, obſcura explicat, & adverſus ſiniſtras ac perverſas Adverſariorum expoſitiones defendit. Doctrina enim a Chriſto tradita, perfecta atque integra fuit, & ipſe omnia, quæ audivit a Patre, nota fecit Apoſtolis, eosque juſſit docere gentes omnia, quæcunque ipſe mandaverat; ſine impietate proin ad illam quidquam adjicere non poſſumus, ne veluti mancam & imperfectam temere aut incaute accuſemus.

Cognito igitur Eccleſiæ teſtimonio aut judicio publico quidquid opponitur vel ſuggeſtione ac tentatione dæmonis, vel Libertinorum omnem certitudinem fidei evertentium artibus, id omne neceſſario falſum dignoſcitur: *ut omnes propoſitionum rivulos* (teſte S. Hieronymo contr. Lucif) *uno Eccleſiæ ſole ſiccare* facile fit; & ex S. Aug Lib de hæreſ. *ſuperflue quæratur, cur contra iſta ſentiat Eccleſia Catholica? cum propter hoc ſcire ſufficiat, eam contra iſta ſentire.*

Nec tamen propterea prudens quisquam perspecto & mature expenso integro hoc systemate justam sibi ansam suppetere existimabit, vage adeo fidem Carbonariam, vulgo Kohlerianam simplicitatem, aut Mahometanam ignorantiam ac ignaviam nobis Catholicis imputandi: cum fidem non sine ratione exigamus, imo cuicunque poscenti rationem dare parati simus, priusquam postulemus, ut nostræ doctrinæ fides habeatur. Medio inter duo extrema a se invicem quam maxime dissita tramite incedimus, inter supinam, inquam, inscitiam & vecordiam, & inter curiositatem insatiabilem: non sumus in fide nostra aut leviter creduli aut præfracte obstinati. Mahometi sectatores non possunt suæ fidei rationem afferre, quin eam indagare capitale crimen habeatur; eoque ipso palam faciunt, quo demum ex panno illud segmentum sit, quod nec vendi, nec emi a quopiam permittatur, nisi in officina lucis omnis experte. Nos Catholici vero, quamvis Mysteriorum arcanorumque fidei argumenta talia non afferamus, quæ ratio naturalis capiat, sed Ecclesiæ proponenti necessario mentis obsequio assentiendum doceamus; non tamen omittimus, rationum momenta afferre certissima, dum ostendimus, quod illa sit divinitus fundata & authorizata&c.

Ex hactenus dictis cuilibet colligere fas est, I. Sacram Scripturam in rebus fidei & Religionis non agere judicem, sicut enim in Civili ac politica societate pro vitanda in regno confusione Lex & Iudex duæ res distinctæ sunt, & omnino distinguendæ, lex quippe docet, quid sit agendum, judex vero ex præscripto Legis pronunciat. Ita in Ecclesia, licet Scripturam agnoscamus omnes veluti certam ac indubitatam fidei & morum normam ac publicam Religionis regulam, hæc tamen, si sola fuerit, absque viva & spirante publica authoritate judicandi & interpretandi nequaquam sufficit, tot & tam quotidianis quæ circa ipsam scripturam maxime & fœcunde crescunt, quæstionibus & contentionibus dirimendis, & ultimato dijudicandis; sane tota Sapientia Pauli non obstitit, quo minus Epistolis Ejus & cæteris scripturis ad erroneas pravasque interpretationes homines sibi relicti abuterentur. Teste ipso S. Petro. 2. Petr. 3. v. 16. ibi: *In quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem.* Duo namque in scriptura spectanda sunt, *textus* ipse seu littera, & *sensus*. De textu quot amabo controversiæ? num is, quem præ manibus habemus Dei Verbum genuinum sit? &c. de sensu vero longe plures & graviores exardescere discordias in aprico est,

eſt, & palam vel ex una illa Chriſti ſententia: *Hoc eſt Corpus meum*, in ſenſus varios & plane contrarios ita torta, ut horum verborum octoginta hodie numerentur expoſitiones &c.

II. Neque humanam rationem ſive Spiritum privatum Scripturæ accedentem conficere rem, oſtenditur ex eo, quod regula illa viva ac ſpirans fidei vel ideo publica & nota eſſe debet, ut proportionata ſit naturæ Eccleſiæ, quæ ſocietas viſibilis eſt & conſpicua, non exiguo alicui populo, ſed nationibus & gentibus omnibus parata; debet item eſſe una, non multiplex, non quodlibetica, non varia, nec contraria, ſed ſimplex, conſtans, immobilis & uniformis juxta illud vulgatiſſimum Tertulliani Lib. de velandis virginibus. *Regula fidei una omnino eſt, ſola immobilis & irreformabilis.* Sed quam longe ab his conditionibus diſtet ille Spiritus revelans & proprius unicuique privato homini, quis non videt? proin non eſt Spiritus hominis per ſe ipſum interpretem agere Spiritus Dei juxta illud Petri 2. c. 7. v. 20. ibi: *hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia ſcripturæ propria interpretatione non fit.*

Quæres IV. Penes quem in Eccleſia triplex ſupra memorata Poteſtas proprie reſideat?

Reſp. Alia Catholicorum, alia Proteſtantium eſſe principia; ex parte Catholicorum Sacra Scriptura ſicut in Veteri Teſtamento Pontificibus ac Sacerdotibus (ut patet ex *Deut.* 17. *v.* 8. *& ſeq.* 2. *Paral. c.* 19. *v.* 11. &c.) ita & in Novo Teſtamento Apoſtolis Eorumque Succeſſoribus Epiſcopis immediate a Deo regendi poteſtatem collatam apertiſſime conteſtatur. Act. 20. v. 28. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei*; & alibi. Regere autem Eccleſiam Dei, quid eſt, niſi ſubditos populos Verbi prædicatione docere, Spirituali Sacramentorum pabulo reficere, per ſalutares leges morum ſanctitatem & diſciplinam cuſtodire, Ius dicere, ſubnaſcentes de Religione controverſias divina auctoritate terminare ac definire atque rebelles & contumaces reprimere? quæ porro Epiſcopis ineſt inſita a Spiritu S. auctoritas, hæc populo imponit obſequendi legem ac neceſſitatem: *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis* &c. Hebr. 13. Experientia inſuper omnium ſæculorum hoc ipſum evidenter oſtendit, & ita in ætate omnium puriſſima, trium ſcilicet primorum ſæculorum, eximia apparet: ibi Scriptura Scripturæ, traditiones

traditionibus opponuntur, & exinde rebaptizandos Hæreticos evincere conantur Afri; inde Evangelium Judaismo confœderare Blastus tentabat; inde Ecclesiam universam scindebat Novatus, & Polycrates Christum ipsum in Quartodecimanorum subsidium vocabat; inde Christi Divinitas in periculum venerat apud Theodatum, Sabellium & Simonem; ibi Dei Filium non extitisse ante Matrem dicebatur ab Ebione; ibi novum Paracletum in Ecclesiam introducere contendebat Montanus; & Ecclesiam acutissimis telis feriebat sui ipsius oblitus Tertullianus; ibi Deus ipse a Manichæis dividebatur in bonum & malum; ibi hæreses innumeræ, ibi hæretici gentilibus pejores Nicolaitæ; ibi ubique diffidia. Quisnam vero tunc Ecclesiæ providit definiendo fidei veritates, & condemnando hæreses, quam ipsi Pastores & Episcopi in Conciliis Regionalibus & Episcopalibus, quantum tum temporis fieri potuit, congregati, & vel maxime ipsi Summi Pontifices? cui enimvero non notus est in causa Simonis Petrus? in causa Ebionitarum Clemens; in causa Montani Zephyrinus; in causa Blasti & Paschatis Victor; in causa Novati Cornelius, & in causa Baptismi Stephanus &c. &c. Pace vero Ecclesiæ per Imperatores Christianos a persecutionibus reddita, cui non nota sunt Concilium Nicænum, cæteraque Generalia, & Nationalia, aliaque, ubi exemplo Apostolorum congregati Pontifices & Episcopi de quæstionibus fidei, religionis & disciplinæ Ecclesiasticæ judicium suum depromebant, atque ex suis conclusis decreta & Symbola fidei formata universæ Ecclesiæ decretorie proponebant, disciplinamque Ecclesiasticam constabiliebant: verbo, non alia fuit per omnia sæcula Ecclesiæ, quam judicantis, decidentis, Symbola & decreta fidei morumque condentis idea.

Protestantes econtra Principibus profanis præfatam in sacra potestatem adjudicare præsumunt, irrito tamen conatu; nam si Principes & politici Magistratus ullam habent potestatem in causis fidei & negotiis religionis; aut illam a jure Naturali, Gentium & Civili, aut a jure divino, quod Ecclesiæ revelatum est, acceperunt? Atqui (ut a posteriori membro ordiar) a jure divino Ecclesiæ revelato nil tale Principibus sæcularibus conceditur, nihil quippe aliud in N. T. de Principum potestate revelatum est, quam ut dentur Cæsari, quæ sunt Cæsaris, ut tributa solvantur, ut pro Regibus oretur, ut tam Regi, quam omnibus ab eo missis obtemperetur, ac denique, ut omnis potestas a Deo promanare, & quilibet Magistratus non frustra gladium portare, sed

in

in ea re miniſter Dei eſſe, cognoſcatur. Nihil ergo horum, quod Principes nominatim jubeat de Chriſti Eccleſia diſponere, vel in cauſis fidei & rebus Religionis quidquam ſibi jurisdictionis arrogare, ibidem reperitur. Niſi itaque jure Naturali, Gentium, aut Civili talis poteſtas Principi permittatur, clarum eſt, nullam eum omnino poteſtatem in eas res habere. Certum vero eſt, ea jura non poſſe profano Principi tribuere ullam poteſtatem in eas res, quæ iisdem juribus non ſunt ſubjectæ; nullum enim jus de aliis aut rebus, aut perſonis, aut actionibus conſtituere aliquid poteſt, quam quæ ſub ipſius ambitum cadunt; res autem Eccleſiaſticas ſive fidei & religionis velut alterius & longe ſuperioris ordinis, nimirum ſupernaturalis, omnino excedere ſphæram & poteſtatem juris Naturalis, Gentium & Civilis, aperte dignoſcitur.

Sane actum eſt de tota quæſtione, ſi tria prima ſæcula conſulamus, ubi Regimen Eccleſiæ totum erat Paſtorum, non Imperatorum, aut Regum, Civiliumve Magiſtratuum, quia, quicunque fere illis temporibus reſpublicas geſſerunt, pagani & conjuratiſſimi Chriſtianorum hoſtes fuerunt. Neque poſtquam animum ad Chriſtianam Religionem adjecerant Principes, Chriſtique legem amplexi ſunt, priſtinum jus Epiſcopis abrogatum eſt; poſteriores namque ſub Conſtantino Epiſcopi ſucceſſerunt in vicem & eadem jura Apoſtolorum, ſacra dirigebant ea dignitate & poteſtate, quæ a Chriſto & ab Apoſtolis in ipſos, ut Chriſti Vicarios & Apoſtolorum ſucceſſores propagata erat; an vero Epiſcopi a tempore Conſtantini deſiere Apoſtolorum ſucceſſores eſſe, & regni Cælorum claves adminiſtrare? an ſaltem tot annorum, tot ſæculorum præſcriptio ſive poſſeſſio contemni poteſt? an Chriſtianis Principibus competit, poteſtatem jura & libertatem Eccleſiæ arctius premere & anguſtare, quam ab Ethnicis Principibus factum eſſet? aut an plane traducem poteſtatis hujus Apoſtolicæ in Epiſcopis abruperunt, aut abrumpere potuerunt Conſtantinus, Ejusque ſucceſſores Imperatores Chriſtiani? Imo vero vere tales & orthodoxi Sacerdotum & Epiſcoporum reveriti ſunt potius Authoritatem, eorum vocem audierunt, ſententias ſecuti ſunt, ſacras leges receperunt, quin & pænis ſpiritualibus & pœnitentiis a Paſtoribus impoſitis ſeſe ſubmiſerunt. Conſtantinus M. Chriſtianorum Imperatorum princeps teſte Euſebio L. 3. de vita Conſtantini Cap. 10. in Concilio Nicæno non prius aſſedit, quam Epiſcopi, ut ſederet, annuiſſent; quo ſigno ſatis indicavit, ſe Concilio non præeſſe &c. Theodoſius Junior quæ ſuarum partium ſint, decernit

cernit in epistola ad Synodum Ephesinam Tom. III. Concil. pag. 441. *Igitur*, inquit, *Candidianum præclarissimum sacrorum domesticorum comitem ad sacram vestram synodum abire jussimus, sed ea lege & conditione, ut cum quæstionibus & controversiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quicquam commune habeat: nefas est enim, qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis & consultationibus sese immiscere &c.* Nec aliud sensit Imperator Marcianus in Chalcedonensi Synodo Act. 6. Synod. ibi: *Non ad fidem confirmandam, nec ad aliquam potentiam ostendendam exemplo religiosissimi Principis Constantini Synodo interesse volumus.* Denique missis aliis cognovit idem Basilius, qui in gravissima illa, quam in Octava Synodo orationem habuit, sic inquit: *De vobis autem laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui absolute conversamini, quid amplius dicam, non habeo, quam quia nullo modo vobis licet, de Ecclesiasticis causis sermonem movere, neque penitus resistere integritati Ecclesiæ, & universali synodo adversari. Hæc eadem investigare & quærere Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti, qui solvendi & ligandi potestatem habent, qui Ecclesiasticas & cælestes adepti sunt claves, non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, qui a ligamento solvi egemus.* Quid posterioribus temporibus Christiani & orthodoxi Imperatores, Reges & Principes de Ecclesiæ Regimine circa spiritualia senserint, luculentissima testimonia & exempla ex legibus tam Civilibus & publicis, quam sacris & Canonibus, ex historiis profanis & Ecclesiasticis prostant obvia.

Porro ratio ipsa & æquitas hactenus dicta confirmat. Constituamus ita esse, ut in summa rerum sacrarum, & in fidei dogmatibus judicium & arbitrium sit penes Principem aut Magistratum politicum: qua ratione, amabo, si res quædam in controversiam veniat, decidetur? num unus aliquis Magistratus, qui in una v. g. Civitate aut Provincia jus dicit, causam definiet, vel an opus est, ut omnium, qui Christi fidem ubivis gentium profitentur, consensus accedat? profecto neutrum potest dici. Primo illud hactenus nullus asseruit: sed quis aut qualis est Princeps ille, sive Magistratus? ubi gentium sedem habet? quid aliquando in fidei negotio definivit? quis ab eo in dogmate controverso sententiam petiit? fidei negotium omnium commune est, nec aliud potest Italia, aliud Germania, aliud Gallia, & aliud Oriens, Occidens aliud profiteri. Quemadmodum unum baptisma, unus Deus, ita

ita una fides. Quis vero credat, fieri posse, ut, si singuli Reges, Principes & Magistratus suis Regnis, Provinciis atque urbibus in fidei causa judicium ferant omnes & singuli a se invicem independentes & divisi omnino consentiant, idemque doceant, constituantque? Et quis demum eorum vota colliget, aut ad sacra comitia coget? an Imperator? quid enim, si nullus Imperator aliquando extiterit? quid si ab Ecclesia deficiat? quid si in plures scindatur Imperium? quid si Reges undique irruentes Imperium dilanient, & in suo quovis tractu imperitent? quid si quæ Imperii portio lacera, non Regii, sed sequioris ac decoloris alicujus regiminis sortem experiri malit? atque hæc omnia post Constantinum labentibus sæculis contigere in variis Imperii-Romani tractibus, quo pacto ergo congregari a Principe sæculari Concilium, aut vota aliorum requiri coadunarique poterunt? num Ecclesia interim de summa rerum periclitabitur? minime vero. Non tam male consuluit Christus Ecclesiæ suæ, ut Potestatem rerum sacrarum unitatem Ejusdem & Religionis æternitatem ad tam lubricum, procellosum & labile Imperii terreni sceptrum religaverit.

Quæres V. Quid ergo Regibus ac Principibus Laicis circa sacra competat?

Resp. In jure protectionis & Advocatiæ officium & potestas Principum istorum circa sacra concluditur. Christus enim sacræ suæ Reipublicæ sive Ecclesiæ certos (ut præfati sumus) Moderatores dedit, qui intrinsecam Ejus naturam, puritatem dogmatum &c. curarent, videlicet Episcopos, alios vero, id est Principes Magistratusque civiles prius in naturæ lege ordinatos ita jam lege gratiæ perfecit, ut tum demum perfecte munere suo fungerentur, si mystica per sacramentum baptismi facta regeneratione in Ecclesiam insiti Episcopis regenerantibus politicum suum gladium dirigerent ad extrinsecam Ecclesiæ pacem Religionemque tuendam, & sacerdotio Christi sustinendo, Pastorumque Ecclesiasticas leges corroborando suam regalem auctoritatem, quæ per hoc protectionis & Advocatiæ munus quodammodo sacra, religiosa, ecclesiastica, spiritualis & sacerdotalis efficitur, impenderent; id quod ipsissimum est Regum Principumve ministerium tot antea sæculis a Prophetis prædictum, in eoque præcipue vertitur Regiæ potestatis natura, quando in hominem Christianum incidit; quemadmodum enim apud Paganos Principes in particularibus Legibus scribendis unica suprema &

generalis regula, qua sua omnia cogitata, consulta, decreta dirigebantur, erat illud: *Salus populi suprema lex esto.* Cic. de Leg. l. 2. Ita apud Christianos, quorum regna Christo subjiciuntur, quorum imperia ad salutem animarum & felicitatem æternam simul tendunt, quæ sola Christi fide comparatur, hanc sibi fidem & religionem Principes in omnibus suis edictis perpetuo proponere debent, illudque ut firmum & indubitatum insimul & præprimis tenere: *Salus animarum, æterna beatitudo, vera Christi religio suprema lex esto.* Atque hunc fuisse sensum & sententiam omnium veterum Imperatorum, omniumque bonorum Regum, dicta, scripta, acta & mores eorundem probant; Idemque. convincit Imperatorum & fere omnium Christianorum Europæ Regum, cum creantur, inauguratio; quanquam enim si antiquis moribus viveretur, in nudo Regis verbo satis inclusa intelligeretur ad hoc obligatio, attamen quia plurium Imperatorum, Regumque magna sæpius extitit circa hoc perfidia, hypocrisis & simulatio, propterea tot vincula stipulationum & juramentorum in solenni coronandi cæremonia usurpanda adjuncta sint; hinc fit, ut non nisi in Ecclesiis & ad altare, & dum sacrosanctum Christianorum Mysterium peragitur, ad regendum inaugurentur; hinc fit, ut Episcopi sceptrum & diadema illis porrigant; hinc anathemata & execrationes illis imponuntur, si fidem datam fefellerint; hinc jusjurandum ab illis exigitur, de fide catholica constanter tuenda, & Ecclesiæ Catholicæ Pontificibus honorandis & protegendis; hinc sacerdotum instar sacris vestibus induuntur, & inunguntur, scilicet ut in sacerdotalis ministerii quandam partem se assumptos reminiscantur, seque exterius Episcopos quodammodo effectos, externam Ecclesiæ pacem, disciplinam & politiam debere defendere, quemadmodum interius Ecclesiæ mysteriis Episcopi vere præsunt. Inde est, quod olim Imperatoribus etiam in Conciliis acclamatum fuerit, uti Marciano in Conc. Chalced. act. 6. *Sacerdoti Imperatori multos annos.* Et in ejusdem Chalced. Synodi 3. parte legitur epistola Agapiti Rhodi Episcopi ad Leonem Imperat. hæc habens: *vere namque Sacerdos & natura Imperator existis.* Cujus Sacerdotii Imperatorio nomini agnati coalitique origo repetenda est ab ipso primo Christiano Imperatore Constantino, qui se quoque Episcopum exteriorem esse Ecclesiæ & velut Episcopum communem omnium gloriosa fortis manus assistentia gloriabatur apud Euseb. Lib. 1. de vita Ejus C. 44. & L. 4. C. 23. & 24.

Diffiteri

Diffiteri quidem nullatenus possumus, quod olim non exiguæ fuerint Principum partes in convocandis & dirigendis Conciliis sive Ecclesiasticis conventibus, in quibus de fide, Religione, disciplina Ecclesiastica & morali Christiana agebatur, quibus Imperatores & Principes per se, vel oratores suos intervenisse constat ex Actis & Historiis Conciliorum; verum partes has suas interposuerunt Imperatores & Principes, ut ordo debitus in his Conventibus servaretur, tumultus & simultates compescerentur, omniaque tranquille peragerentur, omni Episcopis tanquam Apostolorum successoribus judicandi, decidendi, decernendi, determinandi, & Symbola conficiendi libertate conservata, authoritateque inviolate remanente; quæ tandem in hisce Conciliis rite decisa & judicata esse videbant, ipsi sua quoque authoritate muniebant, effectusque civiles & publicos illis conferebant, ipsis definitionibus Conciliorum subscribendo; quin & scitur Principes ab Episcopis, & Romanis etiam Pontificibus instanter provocatos fuisse, ut interventu suo suaque auctoritate fidei & morum decreta & Ecclesiæ doctrinam munirent; id autem potissimum desiderabant Patres, ut mediante hac Principum confirmatione & subscriptione earundem definitionum & edictorum executionem & observantiam legibus & edictis publicis urgerent, ut populi laici facilius ad easdem definitiones suscipiendas inducerentur, cum experientia constaret, difficulter ad Ecclesiæ obedientiam populum induci nisi ejusdem decreta Authoritate Principum promulgarentur, & adjectis etiam pœnis temporalibus eorundem Principum authoritate ad observantiam constringerentur; coacta sunt itaque tunc temporis Concilia ab Imperatoribus Principibusve potestate protectionis, non jure Majestatico regiminis & sacræ jurisdictionis; item affuerunt seu præfuerunt Conciliis velut exteriores Episcopi, ut Ecclesiæ ita & Synodi defensores, tumultuantium propulsatores, pacis & ordinis vindices. Præfuit autem summus Pontifex ut Episcopatus & fidei Antistes, ut Apostolicæ Cathedræ hæres, ut Petri successor. &c.

Ad difficultates in Conciliorum celebratione, æque ac Pontificum electione ac constitutione &c. e medio tollendas secernenda sunt *facta* & *jura*, & multa œconomiæ prudenti Ecclesiæ adscribenda veniunt. Non pauca enimvero circa hæc perperam a Principibus Sæcularibus facta esse, & in labefactata semper per hæreses & schismata religione, imbellibusque tum Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ viribus illicita, quæ dete-

deteſtatione magis, quam imitatione digna ſunt, auſos fuiſſe Imperatores præſertim Arianos, aliosque a fide orthodoxa devios, & aliquando Simoniacos contra legitimos & vel ſola ſua innocentia tutos Chriſti Vicarios Pontifices, ex hiſtoriis liquet. Nominarunt præterea Imperatores ſubin perſonas in Pontifices conſecrandas, intervenerunt quandoque vel per ſe, vel per miſſos ſuos electionibus Pontificum, iisdemque aſſenſum & confirmationem ſuam impertiti ſunt; id tamen omne non jure primigenio, ſtricto & vere ſpirituali, ſed magis tolerantiæ, indulgentiæ, & prudentis œconomiæ jure niti, interpretandum eſt. Ex neceſſaria nimirum & ſalutari diſpenſatione pro ratione temporum ſauciari ſinenda fuit Libertas Canonica in electionibus & ordinationibus, ne locus eſſet tumultuoſis & cruentis factionibus, ſimoniacis & violentis intruſionibus, quæ religionem adeo deturpabant, Eccleſiam maxime Romanam pudendo latrunculorum & graſſatorum jugo ſubjiciebant, & tandem electiones ipſas penitus extinxiſſent. Unde conſequitur, quod jure ſuo non exuantur Pontifices & Epiſcopi, dum ex prudenti Oeconomia & ex neceſſaria diſpenſatione aliquam ejus partem relinquunt, nam etiam tum jus ſuum, jus proprium & ſummum penes ipſos eſt, cum alius eo ſibi condonato vel indulto ex diſpenſatione utitur aut abutitur. Hæc nimirum ad diſciplinam Eccleſiæ, quæ juxta circumſtantias, cauſasque utilitatis vel neceſſitatis viciſſitudini obnoxia eſt, pertinere dignoſcuntur, atque in his multum ſecum defert tempus, multa rerum ſtatus mutavit in melius. Id firmum manſit & inconcuſſum ac invariatæ fidei, quod ſuccedaneus hic mos requirendi conſenſum Imperatoris vel Principum ad electionem vel ordinationem Pontificum vel Epiſcoporum, qui ad alendam & retinendam indivulſam Sacerdotii & Imperii pacem ac concordiam maxime inolevit, neutiquam valeat ad veritatem vel auctoritatem ſacræ ordinationis & poteſtatis clavium complendam.

Quæres VI. An Principes Sæculares officii ſui in jure protectionis duntaxat & advocatiæ concluſi limites uſu juris, quod Placetum Regium vocant, non prætergrediantur?

Ante Reſponſionem obſerva nomine *Placeti Regii* intelligi litteras, quibus Princeps permittit publicationem & executionem reſcriptorum, quæ in ſuas ditiones e Curia Romana invehuntur. Vocantur alibi *Regium Pareatis* vel *Exequatur;* alibi *Jus retentionis*, *Supplicationis;* alibi

alibi etiam ſub nomine *recurſus ad Principem* efferuntur. Ejus uſus in Gallia, Hiſpania, Luſitania, Sabaudia, Neapoli & Sicilia Belgioque, imo & in Germania notorie receptus eſt. Iam

Reſp. Quod Reges ac Principes Catholici quocunque in Regno vel Provincia volentes per ſe vel in ſuis Supremis Auditoriis examinari conſtitutiones Eccleſiaſticas, Bullasque Romanas, neutiquam præſumant ſeſe in judices fidei aut Religionis erigere, aut decidere, quid fide credendum, aut non credendum ſit, neque poteſtatem legislativam in negotiis Eccleſiaſticis inde ſibi arrogent; ſed duntaxat ad ſuum examen & extrajudicialem quandam notionem, ſive nudam & generalem inſpectionem eas revocari prætendunt, priusquam in ſuis ditionibus & territoriis per modum legis promulgentur, & executioni mandentur; aliud enim longe eſt, Principem ſe interponere promulgationi novæ legis per ſuas provincias, ejusque executioni; & aliud velle judicare de ipſis articulis & dogmatibus, ſive credenda definire, determinare ac canonem Eccleſiaſticum circa res Spirituales condere; illud pure externum, quod conſiſtit in promulgando, cogendo, pacem cuſtodiendo, in hacce materia a Principis officio haud alienum ab ipſis exiſtimatur. Et ſane, dum Principes nullum decretum Pontificium ſuis in ditionibus publicandum eſſe prætendunt, priusquam Regio fuerit Placeto munitum, unice intendunt præcavere, ne quidquam in ditiones ſuas ſub obtentu novæ diſciplinæ inducatur, quod paci publicæ obeſſe, jura temporalia ſtatus & privilegia Provinciarum, cum notabili populi perturbatione & publicis incommodis invertere poſſit. Tota proinde ratio, quoad placiti hujusmodi uſum fundatur in ſola Eccleſiæ & reipublicæ protectione. Princeps quippe cum ſuæ ſibi commendatæ Reipublicæ rector & protector ſtatus Eccleſiaſtici, nec non reipublicæ ſpiritualis ſit, ad ejusque officium pertineat ſalus populi, quies & tranquillitas publica; per neceſſariam inde conſequentiam ſequi, contendunt, quod iis omnibus in caſibus, in quibus periculum eſt, ne ſua turbetur Reſpublica, vel notabile aliquod damnum patiatur, poſſit pro conſervandis juribus ſtatus, nec non cuſtodiendis intactis inveteratis provinciarum & Eccleſiarum rationabilibus conſuetudinibus interponere protectricem authoritatem, atque hac ſua, ut vocant, regalia eum in finem, ſepoſita æmulatione, omni cum modeſtia & reverentia erga Eccleſiam & Sedem Apoſtolicam uti.

Quæres VII. An Pax Religiosa & Westphalica ex capite usurpatæ a Principibus Sæcularibus alienæ potestatis ceu invalida impugnari queat?

Resp. Negative. Distincta sunt equidem Sacerdotii & Imperii officia; & sicut in regula potestas Ecclesiastica circa externam reipublicæ civilis politiam ordinare potest nihil, ita nec quidquam Magistratus civilis quoad externum rerum Ecclesiasticarum statum. Est nihilominus, ut dictum est, penes Principes Sæculares Advocatiæ munus, vi cujus eisdem periclitantem Ecclesiam defendere incumbit. Ast cui concessus finis, media ad eundem finem obtinendum concessa sint, oportet. Sæpe remedium aliquod in abstracto, ut ajunt, consideratum defensioni Ecclesiæ minus proportionatum creditur, sed si in concreto rem sumas, jungasque præsentes circumstantias, summe, quin & unice proportionatum apparebit. Dum armis res agitur, nemo melius, ac potestas politica cognoscere potest, quid valeant humeri, quid ferre recusent, & in quantum patiantur vires, ut vi armatæ resistatur, aut præpotentiæ aliorum cedatur. Cognita virium propriarum imbecillitate, partisque hostilis præpotentia dum Princeps politicus relinquit in manibus Adversariorum, quod tamen vi extorquere nequit, ut in salvo reponat, quod adhucdum residuum est, & ne totali ac manifestæ ruinæ nutantem Ecclesiam exponat; dici certo nequit, suæ illum potestatis fines excessisse. Hæc omnia in thesi certissima sunt, sed jam applicemus hypothesi. Tempore utriusque supradictæ Pacificationis turbulenta erat rerum facies. Secessus statuum æque ac subditorum ab orthodoxa fide nullis amplius mediis impediri posse videbatur, nec eorum ad sinum Ecclesiæ reductio sperari, extremis, non sine immensa pecuniarum profusione, hominumque clade, in vanum adhibitis. Protestantes exterorum præsertim fœderibus innixi, armisque cæteroquin Catholicis superiores, cogi haud amplius poterant, ut bona Ecclesiastica, suis in manibus constituta, vi armorum sibi extorqueri rursus finerent. Inclinante se fere semper sub finem adversus Catholicos infelici belli alea, justissimis ex causis metuebatur, ne Catholica Religio una cum omnibus Archi- & Episcopatibus, reliquisque bonis Ecclesiasticis per totum Imperium in præsentissimum exilii, ruinæ, ac eversionis periculum, ad exemplum aliarum plagarum septentrionalium, adduceretur. Quid hic Imperator? quid status Imperii Catholici & Compascifcentes? Relinquebant in manibus *Protestantium*, & quidem sub certis

certis limitationibus bona, quæ per vim armorum extorquere amplius haud poterant, ne demum cedere omnia cogantur. Indulgebant parti statuum ac subditorum Protestantium modificatam prætensorum Sacrorum suorum libertatem, ne partem Catholicam reliquam manifesto interitus periculo exponerent. Consensere, sive ut rectius dixero, permissive se habuere ad id, quod mutare ob temporum injurias nequiverant. Tolerarunt politice & ex regulis prudentiæ alienarum Religionum asseclas, eorum dogmata theologice non approbarunt aut canonizarunt. Judica nunc ubi usurpata aliena potestas, ubi excessi limites? Collige an non recte Imperator Ferdinandus III. in litteris instructoriis d. 11. Januarii 1646. Legatis Cæsareis ad pacis negotium dixerit: daß in keinen Catholischen Schrifften dem Römischen Kayser die Macht abgesprochen wäre, *in casu necessitatis vel utilitatis publicæ*, und *ob salutem publicam* einige *dispositión de bonis Ecclesiasticis pro pace publica* zu machen, *dummodo pro virili intendat avertere majus periculum* &c. allegans eam in rem authoritates plurium Theologorum & Canonistarum.

Quæres VIII. Num utraque Pacificatio veram inducat obligationem, stante nihilominus justa simul ac efficaci Summi Pontificis adversus utramque protestatione?

Resp. Ad primum quæstionis membrum affirmative. Perpetua namque Tolerantia semel tempore sic ferente, & necessitate ineluctabili exigente constituta inviolate ex ipsis Juris Naturalis & Divini principiis venit servanda, & adeo liberum alias Advocatiæ ac tutelæ veræ Ecclesiæ jus Principi commendatum adstringit, ut nec rebus Religionis Catholicæ in meliorem statum restitutis, & prævalente rursus Catholicorum potentia ab ea recedere sit permissum. Siquidem fides data præsertim publica etiam Hæreticis imo & infidelibus queiscunque est servanda. Eo collimabat aurea illa Caroli V. Imperatoris sententia: *Fides rerum promissarum, etsi toto mundo exularet, tamen apud Imperatorem salva consistere deberet.* Neque Catholici saniores unquam imputari sibi patiuntur, tam exiguam se fidei publicæ Hæreticis datæ reverentiam habere, ut eam vel tuta conscientia infringere, vel irritatione aut dispensatione Pontificia eadem se eliberari posse credant; quoniam id vergeret in detrimentum & contemptum Ecclesiæ Catholicæ, cui nihil tam fœdum & turpe, quam fidem publice datam frangere,

gere, & fœdera legitima poteſtate inita violare. Unde ſi forte contingat, ut fœdus ſic initum cum infidelibus comperiatur poſtea in grave Eccleſiæ detrimentum redundare, ſatius erit, imo omnino neceſſarium, hujusmodi detrimentum pati, quam indignum illud perfidiæ remedium, quod tunc ſane remedium non eſt, turpiter adhibere, ſperando interim & petendo a Chriſto Domino tanti mali medicinam, ob cujus honorem & Eccleſiæ gloria, & ſarta tectaque fides ſervatur. Fides enim ſocietatis humanæ vinculum eſt, quo rupto nulla ſocietas durabit, cum bellis & contentionibus perpetuis, nec ulla poſthac via terminabilibus ſic plena futura ſint omnia. Palladium ſecuritatis Gentium ſunt pacta, ab his autem ſi intuitu Religionis tam facilis liberandi ſeſe via pateat, aut aperiatur, nullum poſthac ſupererit Religioni Catholicæ in extremis ſuccurrendi, aut controverſa Religionum negotia ad profuſionem ſæpius ſanguinis homines ſtimulantia componendi remedium, ſicque in univerſum damnoſa exiſtet, quæ forte in certo caſu particulari multum lucri afferre videtur, perfidia.

Reſp. II. ad ſecundum quæſiti membrum, de facta a SS. Pontificibus contra utramque pacificationem proteſtatione ex variis monumentis hiſtoricis conſtare; Quoad pacem Religioſam Erneſtus de Euſebiis Sect. 4. rat. 8. §. 2. Bullam a Paulo IV. eo fine emanatam aſſerit, qua ea, quæ in hac pace in favorem Proteſtantium concluſa atque ſtatuta ſunt, a Pontifice improbata fuerunt. Et de Cardinali Commendono Pauli V. Legato Apoſtolico in Polonia refert Thuanus *hiſtoriarum ſui temporis Lib.* 39. quod, cum in reditu e Polonia comitiis Anno 1566. in quibus de confirmanda Pace Religioſa agebatur, juſſu Pontificis interfuiſſet, in mandatis habuerit, ut a Paulo V. ipſi transmiſſam Bullam nullitatis declaratoriam in facie Imperatoris publicaret, a quo tamen ex cauſis relevantibus abſtinuerit; Adverſus Pacem Weſtphalicam nota eſt, quam ex mandato SS. Pontificis Innocentii X. Fabius Chigius Legatus Apoſtolicus die 14. & 26. Octob. 1648. interpoſuit, proteſtatio. Habetur quoque in Bullario Magno Tom. V. ſub eodem Innocentio X. ad annum 1648. Bulla *Zelo Domus Dei &c.* ſubſcripta die 20. Novembr. 1648. ſolenniter publicata die 3. Jan. 1651. ſub tit. *Declaratio nullitatis Articulorum nuperæ pacis Germaniæ, Religioni Catholicæ, Eccleſiis aliisque locis piis, ac perſonis & juribus Eccleſiaſticis præjudicialium.* Aſt proteſtatio unius partis non ſtatim actum alterius, adverſus quem fit proteſtatio, nullum ac irritum reddit.

dit. Sic autem, inquies, & injusta & inutilis seu inefficax fuerit Pontificis protestatio? sed neutrum. *Justa* enim erat, quia de Juribus ejusdem simul agebatur, dum de suspensa jurisdictione Ecclesiastica, de possessione & retentione bonorum Ecclesiasticorum, de Protestanticæ Religionis tolerantia, de suppressione seu suspensione Jurium Palium in Ecclesiis Germanicis in uno alteroque Pacis instrumento transactum atque conventum fuit. *Efficax* est, quod ea stante nunquam Protestantes usum juris in iis, quæ utraque Pace in bona Ecclesiastica obtinuerunt, sibi attribuere possint, neque etiam via præscriptionis; de qua saltem ob taciturnitatem & acquiescentiam quæstio moveri posset, tuti unquam & fundati sua in possessione reddantur.

Quæres IX. Quomodo intelligendæ sint illæ clausulæ: Donec aliter de Religione conventum fuerit; item: usque ad amicabilem Compositionem?

Resp. Liberum utique non fuit de Religione pacisci, nec de fidei Articulis facta est transactio, quæ dicitur pactio de re litigiosa uno dato altero retento, veritas enim est indivisibilis ac perpetua; quamvis de re meræ disciplinæ, utpote pro circumstantiarum exigentia variabilis, transigi potuerit. Porro clausulæ istæ hunc reddunt sensum: donec auxiliante Deo ad amicabilem unionem, avitamque fidem Protestantes redierint.

Quæres X. Quomodo Episcoporum Jurisdictio Ecclesiastica fuerit suspensa?

Resp. Quod jam tempore Pacis Religiosæ acrius institerint Protestantes, ut omnis Jurisdictio Pontificis & Episcoporum in eosdem penitus tolleretur atque amoveretur. Cui tamen petito nunquam acquievere Catholici, rati, id suæ fines Potestatis excedere, unde nec in Pace Religiosa, nec Westphalica penitus sublata, sed salvo radicali jure diœcesano quoad exercitium in A. C. statuum Territoriis *Suspensa* fuit. Sive, quod aliis etiam terminis in P. R. exprimitur: *jussa est quiescere.* Illud porro discriminis Pacem Religiosam inter & Westphalicam hac in materia advertas velim. I. Quod in Priore memorata Jurisdictio tantum in causis, A. Conf. Religionem, fidem, ministeria, ritus, ceremonias, ordinationesque Ecclesiasticas concernentibus,

juſſa fuerit quieſcere; in poſteriore vero ***cum omnibus ſuis ſpeciebus*** ſit ſuſpenſa. II. Pax item Religioſa Statuum ſolummodo, non ſubditorum hic mentionem facit, atque de Jurisdictione Eccleſiaſtica, intuitu ſubditorum Proteſtantium, qui ſub Domino Catholico forte degunt, ſuſpenſa nec verbum ibidem reperire licet. Aſt hos etiam P. W. attigit. Rectiſſime proin hac in materia concluditur, quod, cum ex aperta littera utriusque Pacis Religioſæ & Weſtphalicæ, a qua antiquior quoque communis Proteſtantium doctrina non abludit, jurisdictio & Jus Diœceſanum ſuſpenſum duntaxat, non vero in Status A. C. translatum ſit, ex nullo jure quoad petitorium titulus adduci poſſit, quo jus hoc ſtatibus veluti proprium & radicaliter fixum vindicetur; quoad poſſeſſorium vero nullus alius ſuffragetur, quam praxis communis hactenus in Imperio uſitata, & lege publica jam nixa. Neque tamen exercitium ejusdem juris Diœceſani prorſus abſolutum iisdem Statibus Proteſtanticis competit, ſed hoc ſuas ex inſtrumento Pacis, & eas quidem patitur determinationes & exceptiones, quas §. 48. recenſet.

Primo namque Jurisdictionem Eccleſiaſticam Epiſcopi exercent in ditionibus A. C. Statuum ad conſequendos reditus, cenſus, decimas & penſiones, modo aliqua anni 1624. parte, non autem ſola die 1. Januarii ejusdem anni in poſſeſſione vel quaſi exercitii juris hujus diœceſani fuerint, ita quidem, ut in exigendis cenſibus, decimis &c. poſt trinam denunciationem etiam ad ſententiam excommunicationis, tanquam ultimum Jurisdictionis Eccleſiaſticæ medium, procedi valeat; ut ut autem hanc Epiſcopis reliquam jurisdictionis eccleſiaſticæ partem Authores Proteſtantici eludere aut explodere non vereantur, virum ſenſatum tamen plus clara publicæ legis ordinatio, quam Authorum argutiæ movere ſolent; Lex ita ſcripta eſt, ſane non fruſtra, non otioſe, ergo cum effectu ſaltem *politico* intelligenda & accipienda eſt, eo nimirum, ut poſt vibratum excommunicationis fulmen agi & procedi poſſit iis juris remediis, quæ jure Canonico prodita & in foro Eccleſiaſtico recepta ſunt, cui utrique pragmatica Imperii conſtitutio in ſubſidium venit adverſus eum, qui fulmen hoc velut inane ſperneret. Inſignis porro hæc jurisdictionis Epiſcopalis nota eſt, vel ideo magni facienda, quod, cum excommunicatio a clavium poteſtate procedat, & coactivum in ſacris imperium ſupponat, neque quoad antiquam operandi vim uſus ejusdem hac in parte ullam paſſus ſit reſtrictionem, imo vero indefinite præſervatus, ipſum Inſtrumentum Pacis eo usque ſuffrage-

frangetur, ut censuræ huic Episcopali inobedientes, & hac in parte Ecclesiam non audientes tandem infames, sicut ethnici & publicani, in Imperio habendi sint.

Altera exceptio est de Statibus provincialibus & subditis A. C. addictis. qui in Principum & Statuum Catholicorum Territoriis existunt. Hi si quidem anno 1624. id est, non die 1ma Januar. sed aliqua anni parte (cum Lex indefinite anni mentionem faciat, ipsosque subditos concernat) antiquam Episcoporum jurisdictionem, quæ proprie Ecclesiastica est, agnoverunt, eisdem imposterum subesse jubentur in casibus, qui A. Confessioni vel Conscientiæ repugnat. Casus vero, qui A. Confessionem non concernunt, sunt actus indifferentes, sive medii, qui inter Catholicos & A. C. addictos æque observantur, sive qui punctum Religionis intrinsece non tangunt, neque in principiis fundamentalibus objectivis Catholicos inter & Protestantes dissensum involvunt, sed magis extrinsece ad religionem ejusque statum se habent, cujus rei lumen & argumentum accipi potest ex §. 20. Pacis Religiosæ ibi: **aber in anderen Sachen und Fällen der Augspurgischen Confession, Religion, Glauben, Kirchen-Gebräuchen, Ordnungen, Ceremonien** *&c.* **nit anlangend, soll und mag die geistliche** *Jurisdiction &c. exerciret*, **geübt, und gebraucht werden.** Ad hoc autem, ut ejusmodi Status provinciales & subditi A. C. addicti Jurisdictionem Episcopalem agnovisse dicantur, sufficit, modo ejusdem exercitio, si quod extitit, in aliqua anni decretorii parte acquieverint, vel si nullum per totum annum extitit, reclamatione factove contrario dictæ Jurisdictioni sese publicæ non subduxerint; plus enimvero non requiritur, ut potestatem alterius, quæ antea jam fundata, præexistens & prius jam agnita fuit, ultra agnoscere dicamur. Stat porro præsumptio pro ejusdem jurisdictionis exercitio sub Statibus aut Dominis Territorialibus Catholicis Sæcularibus, utpote qui juri diœcesano Episcoporum nedum præjudicare non voluerunt, sed summa potius opera id egisse dignoscuntur, ut in suos subditos A. C. addictos Episcopis & Clero aliqua jurisdictio relinqueretur.

Tertia limitatio de Statibus Provincialibus & subditis Catholicis, qui in Statuum A. C. addictorum Territoriis degunt, concepta est; licet enim initio §phi 48. dictum sit, quod Jurisdictio Ecclesiastica, quam Status Imperii Sæculares ex communi hactenus in Imperio usitata praxi

sibi ad scripsere, quæque nova ac improprie talis est, intra terminos Territorii cujusque se continere debeat, jurisdictio tamen Ecclesiastica antiqua sive Episcoporum in A. C. Statuum Territoriis in subditos Catholicos ibidem existentes olim extensa, ibidem in eosdem perseverat, quando Episcopi in anno 1624; non in prima solum die Januarii, sed in quacunque anni parte, cum Instrumentum Pacis in cit. §pho anni indefinitam mentionem faciat, jurisdictionem Ecclesiasticam quiete exercuerunt; atque in hos Jus hoc diœcesanum etiam in publico suo exercitio ibidem salvum esse debet, quando publicum in anno decretorio subditi Catholici ibidem habuerunt Religionis suæ exercitium; unde cum publicum Catholicæ Religionis exercitium haberi & subsistere nequeat, nisi cum subordinatione & dependentia Pastorum & populi a potestate & Jurisdictione Episcopali, generaliter statuendum est, quod Episcopi quoad Jus diœcesanum in subditos Catholicos, qui in anno decretorio publicum habuere in Statuum A. C. addictorum Territoriis Religionis exercitium, fundatam intentionem habeant, nec in hujus exercitio impediri possint, usque dum doceatur, quod horum jurisdictio Episcopalis in Catholicos subditos continuo publice contradicta, & impedita, vel saltem turbata ibidem fuerit, ita ut verum sit dicere, quod in nulla anni parte hoc pacifice exercita fuerit. Imo vero cum de Substantia & essentia Religionis Catholicæ & ejus exercitii sit, in materia fidei, ordinis, administrationis Sacramentorum, & usus clavium tam parochos quam etiam parochianos a potestate superiore hierarchica dependere, indeque potestatem ac influxum participare, quoad hanc materiam & ejusmodi functiones jurisdictio Ecclesiastica Episcoporum respectu subditorum Catholicorum, ut ut privatum duntaxat in Territoriis Statuum Protestantium habeant Religionis exercitium, adeo suspensa esse nequit, quin saltem occulte privatimque exerceatur, modo ne juribus Territorialibus Statuum inde præjudicium afferatur, neque discretum sobriumque ejusmodi juris diœcesani exercitium impediri, & subditi Catholici ab usu ejusdem mandatis pœnalibus arceri possint, cum aperte alias aliquid iis injungeretur, quod eorundem Religioni atque conscientiæ adversum foret.

Suspensa igitur in Regula Jurisdictione Episcoporum circa Protestantes

Quæres

Quæres XI. Penes quem nunc resideat Jurisdictio Ecclesiastica?

Resp. Ex dictis patescere, quod penes Episcopos vera & antiqua jurisdictio ex jure divino illis competens maneat in radice & habitu, in actum secundum tamen exire prohibita, neutiquam vero in Protestantes Status translata sit; translatio enim præsupponit duo necessaria: ademptionem omnimodam, vel aliquam saltem ex parte prioris possessoris; & collationem plenariam, vel aliquam saltem etiam certam ex parte possessoris secundi: ambo autem hæc unquam facta esse neque lex, neque legis ratio probare possunt. Attamen ne Status Religionis omnino foret acephalus in Germania & independens, subditique omni penitus superioritate destituerentur, alia quædam Jurisdictio sive pôtius Jus Reformandi novum (sic vocatur in I. P.) substitutum, & Principibus sæcularibus in I. P. W. attributum est. Interea circa hoc Jus novum Reformandi quatuor modo nobis examinanda veniunt: 1. Quid sit. 2. Quodnam illius fundamentum, & quis titulus. 3. Quibus competat. 4. Demum quinam illius effectus sint.

Resp. ad I. Jus reformandi novum duplici respectu considerari valet, primo quid idem *generatius* sumptum sit; secundo quid *specialius* acceptum denotet; *Generatius* spectatum est libera facultas exercitium religionis una cum annexis ordinandi, dirigendi, judicandi, tolerandi, mutandi & abolendi; denotatque totum potestativum, quod universitatem jurium per se, & in regula loquendo, sub se complectitur. *Specialius* vero sumptum innuit potestatem Religionem, cui Dominus Territorii addictus est, inducendi, & aliam sive priorem, quæ hactenus viguit, vel in toto vel in partibus abrogandi; quæ ergo ad Religionem ordinandam, protegendam, dirigendam, conservandam, ampliandam, ornandam, tolerandamque tendunt, ad Jus Reformandi generatius acceptum; quæ vero præcise ad eam mutandam, quod præcipuum est, pertinent, ad jus Reformandi specialius commode referuntur.

Resp. ad II. Fundamentum, cui hoc jus Reformandi innititur est jus territorii, seu superioritatis, quod, sicut in politicis, ita & in Ecclesiasticis liberum fundat exercitium; atque inde ortum est famigeratissimum illud & Protestantibus adeo solenne axioma: *Cujus est Regio, illius etiam est Religio.* Notabile tamen intercedit discrimen, quatenus

Resp. ad IV. Quod effectus juris reformandi variis temporibus varius quoque fuerit; unde ad hoc melius intelligendum in triplici epocha Jus reformandi juvat considerare. Ima Epocha continet tempus ante transactionem Passaviensem & Pacem Religiosam, 2da tempus post illam transactionem Pacemque Religiosam, 3tia exhibet tempus a P. W. sive instrumento Osnabrugensi.

Ima Epocha habuit tres Characteres 1. Introductionem, 2. Expulsionem, 3. Compulsionem; nam in primis Domini Territoriales religionem suam introducere, secundo antiquam seu priorem expellere, tertio subditos etiam mediis coactivis & pœnalibus, confiscatione v. g. & ereptione bonorum, imo nonnunquam mit Leib- und Lebensstraf ad amplectendam suam religionem dominantem cogere poterant, atque sic illimitate obtinuit illud principium: *cujus est Regio, illius est Religio.*

In IIda Epocha ablatus est tertius Character, scilicet effectus compulsionis, duo autem primi omnino retenti sunt; si tamen subditi Religionem Domini Territorialis amplecti detrectarent, flebile beneficium emigrandi illis, indultum est, permissaque copia vendendi bona sua, quæ eripi non amplius poterant. Sicque aliqualiter jam limitatum est præfatum principium: *cujus est regio* &c.

In IIItia Epocha secundus demum effectus coarctatus est, atque amplius tum Statuum independentiam a Jure Diœcesano fulsit, tum libertati conscientiæ ac Religionis subditorum cavit Instrumentum Pacis Westphalicæ, quod in Art. 5. §. 48. sicut jus Diœcesanum & Jurisdictionem Ecclesiasticam cum omnibus suis speciebus in A. Confessioni addictos Status eorumque subditos generaliter suspendit, ita subditis qui in anno 1624. aut aliqua ejus parte publicum aut privatum Religionis habuere exercitium, stabilem non duntaxat in eodem loco permanentiam, sed & suæ Religionis imperturbatam indulsit, liberamque professionem juxta dispositionem §. 31. Art. 5. P. W. sub hac tamen expressa insigni limitatione, quatenus subditi Religionem exercuerunt, & annexa possederunt, & tum exercita possessaque probare poterunt juxta litteram textus cit. §. & Art.

Quæres

Quæres demum XII. Quid ſentiendum circa ſubditos, qui anno decretorio bujusmodi exercitium Religionis non babuerunt?

Reſp. Subditi iſti vel tolerentur, ita ut Conſcientia libera devotioni ſuæ domi ſine inquiſitione aut turbatione privatim vacare, aut in vicinia publico Religionis exercitio intereſſe, liberosque ſuos exteris ſuæ Religionis ſcholis, privatisque domi informatoribus inſtituendos committere valeant. Art. 5. §. 34. vel beneficii emigrandi reddantur participes; concedendo ad hoc triennio & reſpective quinquennio; atque per procuratores adminiſtrandi vel etiam vendendi bona ſua detur copia, citra quod caſu poſteriori inuſitatæ decimationes exigantur juxta diſpoſitionem. §. 37. Art. 5. Plura ſi de hac materia cupias, conſule Diſſert. Magnif. Dni Barthel. de Jure Reform. novo.

TITULUS II.

De Conſtitutionibus.

Summa juris diviſio fit in naturale ſive innatum, & conſtitutum, ſive poſitivum, de naturali diſcurrit Author cum Juſtiniano, neque, quid ſit, bene explicat. Naturale enim varie & improprie poteſt ſumi pro inſtinctu naturali, & hoc modo videtur illud intellexiſſe Ulpianus. II. Pro ſtatu naturali, quam res habet a natura. III. Pro æquitate naturali, & IV. pro lege obligante, de qua hæc quæſtio.

Quæritur I. Quid ſit jus naturale?

Reſp. Eſt complexus legum a Deo tanquam ſupremo Naturæ Authore neceſſaria ordinatione latarum, hominique per rectam rationem intimatarum, quibus præcipiuntur ea, quæ bono finique hominis conſentanea, prohibentur vero ea, quæ eidem ſunt diſſona.

Quæres II. Quænam ſit differentia juris naturalis a conſtituto?

Reſp. Differt imprimis in cauſa efficiente, quæ eſt Deus, II. ejus promulgatio non ab extrinſecis, ſed intrinſecis fit per adventum rationis, III. eſſentialiter in materia, quæ exigit præcipi vel prohiberi &c.

Quæres III. Cur ergo ipsa ratio non sit jus naturale?

Resp. Quia ratio est id, quod dirigitur, & medium, quo nobis applicatur, dein omne jus debet esse superius eo, quod dirigit, ratio autem non est superior natura rationali, ergo ipsa non potest esse jus naturale.

Quæres IV. An jus naturale possit mutari?

Resp. Jus naturæ mutationem proprie talem, quæ est vel abrogatio, vel stante lege unius vel alterius exemptio, non admittit, sed tantum improprie talem, quatenus objectum potest poni in circumstantiis, in quibus non amplius cadit sub jus naturæ. Uti factum in Abrahamo volente occidere filium, Israelitis spoliantibus Ægyptios.

Quæres V. An omnia juris naturæ objecta possint poni in talibus circumstantiis?

Resp. Negative, sed illa tantum, quæ subjacent supremo Dei domino, vel alto dominio hominum, uti in præscriptione, in dispensatione votorum remittit ecclesia obligationem, sicut in aliis promissis potest obligationem naturalem remittere, quæ nomine Dei acceptavit, hinc nulla juris naturæ mutatio.

Quæres VI. Quomodo ergo jus naturale possit dici ordinatio, cum objectum jam sine ordinatione Dei in se sit malum vel bonum?

Resp. Objectum in se ante prohibitionem vel præceptionem est malum vel bonum, malitia vel bonitate fundamentali, id est, habet exigentiam, ut præcipiatur, vel prohibeatur, *conceditur*, formali & morali bonitate vel malitia, *negatur*.

Quæres VII. Cur ergo Deus per Moysen & Christum nobis dedit, & inculcavit præcepta naturalia, si ea sint scripta in cordibus nostris?

Resp. Cum recta ratio per peccatum originale & passiones, peccata item actualia ita fuerit obscurata, ut lumen illud aliqualiter in hominibus extingueretur, Deus per præcepta positiva Ideas illas & impressiones iterum suscitavit, & recenter inculcavit, adjectis etiam pœnis vel præmiis ad observantiam magis nos per Christum & Moysen cohortatus

hortatus est. Similia fere habet S. Augustinus: cum enim nollent inspicere tabulas cordis sui, Deus dedit lapideas, ut ex his legerent jus naturale; *signatum* quidem *est*, ut ait psalmista, *super nos lumen vultus tui*, sed illud peccatis vitiatum & obscuratum erat. Hinc Christus legem naturalem, quoad internos animæ affectus explicavit, uti: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam illam &c.* item: ego autem dico vobis; *Diligite inimicos vestros &c.* & ut fieret jugum suave, & onus leve, gratias nobis, internas scilicet illustrationes, pias voluntatis motiones & affectiones insuper dedit, & ideo vocatur lex gratiæ, lex filiorum Dei, quia suavitate potius trahimur, quam timore pœnarum, judæorum adinstar, qui regebantur ut petulantes pueri castigante virga; populus enim ille erat rudis, crassior & immersus temporalibus. Unde Ethnicus quidam examinans leges Christianorum, Judæorum, & Turcarum, bene hanc, legem porcorum, illam puerorum, male autem legem Christianorum, legem impossibilium, vocavit, quia omnia possumus in eo, qui nos confortat.

Quæres VIII. An detur invincibilis ignorantia juris?

Resp. Cum nativa hominis, in peccato originali concepti, infelicitas & ignorantia; vitæ brevitas, Corporis debilitas animam aggravans, præjudicia juventutis & educationis, prava aliorum exempla &c. sæpius malum pro bono & pro malo bonum apprehendere faciant, communior jam est Sententia Theologorum, quod licet non detur ignorantia invincibilis juris naturæ, quoad principia generalia, & conclusiones, quæ immediate & sine longiore discursu inde deducuntur, uti *e. g. Quod tibi non vis fieri, alteri non feceris. Quodcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Non occides. Dominum Deum adorabis &c.* alias enim imago Dei omnino in nobis extincta esset. Detur tamen invincibilis ignorantia juris naturæ circa ea, quæ mediate per ratiocinium & per longiorem discursum inde deducuntur, uti v. g. mendacium esse intrinsece malum &c. ita scimus gentes in multis, quoad jus naturæ errasse, fornicationem e. g. non esse malam &c. Unde Apostolus inter cætera injunxit abstinere a fornicatione.

Quæres IX. An ergo Ecclesia etiam possit quidpiam statuere circa jus naturæ?

Resp. Cum Divinus Magister, Christus Dominus totus in eo fuerit, ut Juris naturalis præcepta firmius stabiliret, uberius exponeret, plenius perficeret, & ex hoc fine nulla, vel pauca admodum præcepta nova moralia Evangelio addiderit, sed vetera tantum per Moysen promulgata confirmaverit, teste Apost. Joanne Ep. 1. c. 2. v. 7. Sicque ea ad dignitatem Legis Evangelicæ sublimaverit; Ecclesia sicut in aliis quæstionibus æternam salutem concernentibus est infallibilis, ita & in controversiis Legis Naturalis una est Magistra ab omni errandi periculo & suspicione immunis, proin urgentibus circumstantiis ad Eam recurrendum, cujus grave authoritatis pondus in Jure naturæ cognoscendo & interpretando Sancti Patres continua traditione propagarunt, usus omnium Conciliorum perpetuus prodit, & praxis Pontificum in damnandis variis propositionibus Juri naturæ adversis, docet.

Jus gentium quid? Ulterior juris divisio fit in positivum sive constitutum, & hoc est duplex, aliud jus positivum commune, & jus gentium vocatur, aliud positivum particulare, & jus civile dicitur.

Jus gentium aliqui confundunt cum naturali, quod dividunt in abstractum, & contractum, *abstractum,* quod dirigit homines in ordine ad se magis, *contractum* quod dirigit homines in ordine ad bonum commune gentium, voluntque idem esse jus gentium & naturale, & diversam tantum juris applicationem. Improprie jus gentium etiam sumitur pro jure naturali, quatenus hoc ab omnibus gentibus observandum est, uti religio erga Deum, reverentia erga parentes. Item pro jure civili apud plures gentes ob æquitatem recepto, & proprie quatenus a gentibus qua talibus sub obligatione est introductum, & sub hac consideratione hic definitur:

Jus gentium esse jus positivum & consuetudinarium ex uniformibus gentium moratiorum moribus introductum. Hoc penitus distinctum est a jure naturali stricte sumpto (cuique enim juri suum est tribuendum) Prob. 1. Quia ipse Imperator satis innuit, jus gentium esse jus positivum, & constitutum, dum §. 2. Institut. vocat jus, *quod usu exigente & humanis necessitatibus est introductum.* Ob nexum scilicet societatis, quia non omnis fert omnia tellus. Et L. pen. ff. de leg. appella-

appellatur *jus quod necessitas constituit.* 2. Probatur efficaciter hoc Syllogismo: illud non est jus naturale, quod non habet objectum exigens prohiberi vel præcipi, atqui jus gentium non habet tale objectum, ergo P. Min. objecta juris gentium sunt divisio agrorum, dominiorum, servitus, libertas commerciorum, legatorum etiam hostium inviolabilitas. Atqui hæc non habent intrinsecam exigentiam ut prohibeantur, vel præcipiantur, sed ad summum tantum indigentiam, propter nexum socialitatis, & convenientiam; nisi ea velis ultimato resolvere in principia juris naturalis, sed sic omnia essent juris naturalis, quia ultimato resolvuntur in principium naturale, superioribus est obtemperandum, ergo.

Pro Authore hujus juris statuunt aliqui Deum, alii melius, ipsas gentes collective sumptas. Differt in causa materiali ab aliis juris speciebus, cum objecta ejus pertineant præcise ad communem gentium nexum, sicut objecta juris naturæ præcise in se habent exigentiam, ut prohibeantur vel præcipiantur.

Jus positivum particulare, aliud est positivum divinum, aliud positivum humanum. *Positivum divinum* est, quod a Deo ex libera voluntate circa indifferentia statutum est, ut in testamento veteri circumcisio, in novo, susceptio Baptismi, Eucharistiæ &c. Vetus testamentum per Moysen & Prophetas promulgatum est, novum per Christum & Apostolos. Hinc jus positivum divinum duplex, aliud veteris, aliud novi testamenti. In veteri testamento iterum triplicis generis leges habentur morales scilicet, ceremoniales, & judiciales. Hisce legibus subjiciebantur, qui circumcidi se passi sunt. Fuit autem circumcisio speciale signum, aliquem esse de familia Jacob, & inter populum electum, ex quo nasciturus esset Messias.

Quæres I. An omnes populi hisce legibus obligati fuerint?

Resp. Præceptis Moralibus, quia sunt ipsum jus naturæ, omnes omnino gentes obligabantur. Præceptis autem aliis tantum judæi, & circumcisi. Unde per circumcisionem, ait Apostolus, aliquem fieri debitorem universæ legis ceremonialis scilicet, & judicialis.

Quæres II. An Leges Ceremoniales & Judiciales etiamnum obligent, & quando cessarint?

Resp. Ad I. Negat. Quia tantum ad tempus & specialiter pro populo Judaico, tanquam umbra & figura latæ erant, præsente autem figurato cessat figura, ad II. Resp. cessarunt jam in morte Christi, dum dixit: *consummatum est*. Publice autem in Pentecoste, dum lex nova per adventum Spiritus Sancti est promulgata, sed necdum fuerunt omnibus mortiferæ, ut loquuntur theologi, sed mortificatæ, usque ad annum circiter 40. post ascensionem Domini, ad dispersionem scilicet populi & eversionem urbis Hyerosolomitanæ, facta sufficiente Evangelii divulgatione. Poterant proinde tempore intermedio observari. Hinc etiam Apostoli provisorie adhuc statuerunt abstinere a sanguine & suffocato, ut scilicet judæi suis nimium addicti ritibus facilius converterentur, & ut Synagoga cum honore sepeliretur, quia saltem fuit lex Dei, ne Hæretici traducerent illam tanquam legem malam & irrationabilem; cessante vero jam ratione cessat hæc lex provisoria, reliqua vide in Authore.

Quæres III. An lex vetus fuerit durior?

Resp. affirmative. Sanctus Petrus nominat illam jugum insupportabile, ob multitudinem scilicet & molem legum, & ob graves adjectas pœnas, fuit enim populus rudis, insolens, & duræ cervicis, hinc quasi mole legum opprimendus. Licet autem in nova lege aliqua præcepta videantur difficiliora, [illegible] præceptum auricularis confessionis &c. illa abunde compensantur aliis favoribus, gratiis, piis & suavibus motibus, ut amantibus nihil sit difficile, sed jugum suave & onus leve. De confessione quosdam in specie favores, scilicet tranquillitatem conscientiæ &c. enarrat Conc. Tridentinum, de pœnitentia. Tota hinc Lex Nova simpliciter est levior, quia non est tanta moles præceptorum, neque unum vel alterum præceptum, quod videtur gravius, totam legem duriorem facit.

Quid continet testamentum novum?

Resp. Præter jus naturæ, quod Christus dominus explicavit, confirmavit, & ad apicem perduxit, uti *Mutuum date nihil inde sperantes. Qui viderit mulierem &c. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*

stros &c. dedit etiam quædam præcepta positiva circa fidem, sacramenta, & sacrificium, sed hæc sunt paucissima; reliqua, uti dixi, consistunt in interpretatione, & confirmatione juris naturæ.

Quæres, cur Deus non dederit Christianis leges judiciales uti Judæis? ad N. VI.

Resp. Cum populus Judaicus esset unicus, & in aliquo tantum orbis angulo inclusus, facile poterat huic dare leges ceremoniales, & judiciales, utpote quæ non essent universales pro toto terrarum orbe. Cum autem ea, quam Christus dominus tradidit, doctrina esset universalis, omnes omnino obligans, intacta plane reliquit, quæ externam politiam & disciplinam attinent, utpote, quæ pro genio & moribus populorum variari debent, neque universaliter dari possunt. Nihil proinde Christus Dominus principibus sæcularibus detraxit de eorum potestate, qui ultro fassus est, regnum suum non esse de hoc mundo, & præcepit dare Cæsari, quæ sunt Cæsaris, Deo autem, quæ Dei sunt. Ex his patet, leges ecclesiasticas universales tam facile præscribi non posse, quia moribus, genio, inveteratis consuetudinibus debent applicari.

Collige ex hoc, non absque fundata ratione Pontifices se scribere servos servorum Dei; Est enim regimen ecclesiasticum ex institutione Christi revera ad serviendum, regnum suave, & pastorale in charitate fundatum & humilitate temperatum, non arbitrarium & despoticum propriam respiciens utilitatem, sed ecclesiæ. Unde Christus dominus non negavit quidem primatum, dum inter se certarent Apostoli, sed dixit: Principes gentium *dominantur* eorum, vos autem *non sic.* Sed qui primus est vestrum, *ecce non negat primatum*, fit velut omnium servus. Ut autem hoc servitium esset magis proficuum, authoritatem etiam ecclesiæ reliquit. Hac ratione ductus Gregorius Magnus primo assumpsit titulum, servi servorum Dei, quo deinceps cæteri quoque usi sunt Pontifices.

Jus positivum humanum describitur ab Authore, quod sit recta agendorum ratio publica potestate communitati denunciata cum voluntate eam perpetuo obligandi. *Dicitur recta agendorum ratio:* Lex enim, quæ debet esse actus prudentiæ, non debet præcipere interimistica, ad N. VII.

gere, & fœdera legitima poteſtate inita violare. Unde ſi forte contingat, ut fœdus ſic initum cum infidelibus comperiatur poſtea in grave Eccleſiæ detrimentum redundare, ſatius erit, imo omnino neceſſarium, hujusmodi detrimentum pati, quam indignum illud perfidiæ remedium, quod tunc ſane remedium non eſt, turpiter adhibere, ſperando interim & petendo a Chriſto Domino tanti mali medicinam, ob cujus honorem & Eccleſiæ gloria, & ſarta tectaque fides ſervatur. Fides enim ſocietatis humanæ vinculum eſt, quo rupto nulla ſocietas durabit, cum bellis & contentionibus perpetuis, nec ulla poſthac via terminabilibus ſic plena futura ſint omnia. Palladium ſecuritatis Gentium ſunt pacta, ab his autem ſi intuitu Religionis tam facilis liberandi ſeſe via pateat, aut aperiatur, nullum poſthac ſupererit Religioni Catholicæ in extremis ſuccurrendi, aut controverſa Religionum negotia ad profuſionem ſæpius ſanguinis homines ſtimulantia componendi remedium, ſicque in univerſum damnoſa exiſtet, quæ forte in certo caſu particulari multum lucri afferre videtur, perfidia.

Reſp. II. ad ſecundum quæſiti membrum, de facta a SS. Pontificibus contra utramque pacificationem proteſtatione ex variis monumentis hiſtoricis conſtare; Quoad pacem Religioſam Erneſtus de Euſebiis Sect. 4. rat. 8. §. 2. Bullam a Paulo IV. eo fine emanatam aſſerit, qua ea, quæ in hac pace in favorem Proteſtantium concluſa atque ſtatuta ſunt, a Pontifice improbata fuerunt. Et de Cardinali Commendono Pauli V. Legato Apoſtolico in Polonia refert Thuanus *hiſtoriarum ſui temporis Lib.* 39. quod, cum in reditu e Polonia comitiis Anno 1566. in quibus de confirmanda Pace Religioſa agebatur, juſſu Pontificis interfuiſſet, in mandatis habuerit, ut a Paulo V. ipſi transmiſſam Bullam nullitatis declaratoriam in facie Imperatoris publicaret, a quo tamen ex cauſis relevantibus abſtinuerit; Adverſus Pacem Weſtphalicam nota eſt, quam ex mandato SS. Pontificis Innocentii X. Fabius Chigius Legatus Apoſtolicus die 14. & 26. Octob. 1648. interpoſuit, proteſtatio. Habetur quoque in Bullario Magno Tom. V. ſub eodem Innocentio X. ad annum 1648. Bulla *Zelo Domus Dei &c.* ſubſcripta die 20. Novembr. 1648. ſolenniter publicata die 3. Jan. 1651. ſub tit. *Declaratio nullitatis Articulorum nuperæ pacis Germaniæ, Religioni Catholicæ, Eccleſiis aliisque locis piis, ac perſonis & juribus Eccleſiaſticis præjudicialium.* Aſt proteſtatio unius partis non ſtatim actum alterius, adverſus quem fit proteſtatio, nullum ac irritum reddit.

dit. Sic autem, inquies, & injusta & inutilis seu inefficax fuerit Pontificis protestatio? sed neutrum. *Justa* enim erat, quia de Juribus ejusdem simul agebatur, dum de suspensa jurisdictione Ecclesiastica, de possessione & retentione bonorum Ecclesiasticorum, de Protestanticæ Religionis tolerantia, de suppressione seu suspensione Jurium Papalium in Ecclesiis Germanicis in uno alteroque Pacis instrumento transactum atque conventum fuit. *Efficax* est, quod ea stante nunquam Protestantes usum juris in iis, quæ utraque Pace in bona Ecclesiastica obtinuerunt, sibi attribuere possint, neque etiam via præscriptionis; de qua saltem ob taciturnitatem & acquiescentiam quæstio moveri posset, tuti unquam & fundati sua in possessione reddantur.

Quæres IX. Quomodo intelligendæ sint illæ clausulæ: Donec aliter de Religione conventum fuerit; item: usque ad amicabilem Compositionem?

Resp. Liberum utique non fuit de Religione pacisci, nec de fidei Articulis facta est transactio, quæ dicitur pactio de re litigiosa uno dato altero retento, veritas enim est indivisibilis ac perpetua; quamvis de re meræ disciplinæ, utpote pro circumstantiarum exigentia variabilis, transigi potuerit. Porro clausulæ istæ hunc reddunt sensum: donec auxiliante Deo ad amicabilem unionem, avitamque fidem Protestantes redierint.

Quæres X. Quomodo Episcoporum Jurisdictio Ecclesiastica fuerit suspensa?

Resp. Quod jam tempore Pacis Religiosæ acrius institerint Protestantes, ut omnis Jurisdictio Pontificis & Episcoporum in eosdem penitus tolleretur atque amoveretur. Cui tamen petito nunquam acquievere Catholici, rati, id suæ fines Potestatis excedere, unde nec in Pace Religiosa, nec Westphalica penitus sublata, sed salvo radicali jure diœcesano quoad exercitium in A. C. statuum Territoriis *Suspensa* fuit. Sive, quod aliis etiam terminis in P. R. exprimitur: *jussa est quiescere*. Illud porro discriminis Pacem Religiosam inter & Westphalicam hac in materia advertas velim. I. Quod in Priore memorata Jurisdictio tantum in causis, A. Conf. Religionem, fidem, ministeria, ritus, ceremonias, ordinationesque Ecclesiasticas concernentibus, jussa

jussa fuerit quiescere; in posteriore vero *cum omnibus suis speciebus* sit suspensa. II. Pax item Religiosa Statuum solummodo, non subditorum hic mentionem facit, atque de Jurisdictione Ecclesiastica, intuitu subditorum Protestantium, qui sub Domino Catholico forte degunt, suspensa nec verbum ibidem reperire licet. Ast hos etiam P. W. attigit. Rectissime proin hac in materia concluditur, quod, cum ex aperta littera utriusque Pacis Religiosæ & Westphalicæ, a qua antiquior quoque communis Protestantium doctrina non abludit, jurisdictio & Jus Diœcesanum suspensum duntaxat, non vero in Status A. C. translatum sit, ex nullo jure quoad petitorium titulus adduci possit, quo jus hoc statibus veluti proprium & radicaliter fixum vindicetur; quoad possessorium vero nullus alius suffragetur, quam praxis communis hactenus in Imperio usitata, & lege publica jam nixa. Neque tamen exercitium ejusdem juris Diœcesani prorsus absolutum iisdem Statibus Protestanticis competit, sed hoc suas ex instrumento Pacis, & eas quidem patitur determinationes & exceptiones, quas §. 48. recenset.

Primo namque Jurisdictionem Ecclesiasticam Episcopi exercent in ditionibus A. C. Statuum ad consequendos reditus, census, decimas & pensiones, modo aliqua anni 1624. parte, non autem sola die 1. Januarii ejusdem anni in possessione vel quasi exercitii juris hujus diœcesani fuerint, ita quidem, ut in exigendis censibus, decimis &c. post trinam denunciationem etiam ad sententiam excommunicationis, tanquam ultimum Jurisdictionis Ecclesiasticæ medium, procedi valeat; ut. ut autem hanc Episcopis reliquam jurisdictionis ecclesiasticæ partem Authores Protestantici eludere aut explodere non vereantur, virum sensatum tamen plus clara publicæ legis ordinatio, quam Authorum argutiæ movere solent; Lex ita scripta est, sane non frustra, non otiose, ergo cum effectu saltem *politico* intelligenda & accipienda est, eo nimirum, ut post vibratum excommunicationis fulmen agi & procedi possit iis juris remediis, quæ jure Canonico prodita & in foro Ecclesiastico recepta sunt, cui utrique pragmatica Imperii constitutio in subsidium venit adversus eum, qui fulmen hoc velut inane sperneret. Insignis porro hæc jurisdictionis Episcopalis nota est, vel ideo magni facienda, quod, cum excommunicatio a clavium potestate procedat, & coactivum in sacris imperium supponat, neque quoad antiquam operandi vim usus ejusdem hac in parte ullam passus sit restrictionem, imo vero indefinite præservatus, ipsum Instrumentum Pacis eo usque suffrage-

frägetur, ut censuræ huic Episcopali inobedientes, & hac in parte Ecclesiam non audientes tandem infames, sicut ethnici & publicani, in Imperio habendi sint.

Altera exceptio est de Statibus provincialibus & subditis A. C. addictis. qui in Principum & Statuum Catholicorum Territoriis existunt. Hi si quidem anno 1624. id est, non die 1ma Januar. sed aliqua anni parte (cum Lex indefinite anni mentionem faciat, ipsosque subditos concernat) antiquam Episcoporum jurisdictionem, quæ proprie Ecclesiastica est, agnoverunt, eisdem imposterum subesse jubentur in casibus, qui A. Confessioni vel Conscientiæ repugnat. Casus vero, qui A. Confessionem non concernunt, sunt actus indifferentes, sive medii, qui inter Catholicos & A. C. addictos æque observantur, sive qui punctum Religionis intrinsece non tangunt, neque in principiis fundamentalibus objectivis Catholicos inter & Protestantes dissensum involvunt, sed magis extrinsece ad religionem ejusque statum se habent, cujus rei lumen & argumentum accipi potest ex §. 20. Pacis Religiosæ ibi: **aber in anderen Sachen und Fällen der Augspurgischen Confession, Religion, Glauben, Kirchen-Gebräuchen, Ordnungen, Ceremonien** *&c.* **nit anlangend, soll und mag die geistliche** *Jurisdiction &c. exerciret*, **geübt, und gebraucht werden.** Ad hoc autem, ut ejusmodi Status provinciales & subditi A. C. addicti Jurisdictionem Episcopalem agnovisse dicantur, sufficit, modo ejusdem exercitio, si quod extitit, in aliqua anni decretorii parte acquieverint, vel si nullum per totum annum extitit, reclamatione factove contrario dictæ Jurisdictioni sese publicæ non subduxerint; plus enimvero non requiritur, ut potestatem alterius, quæ antea jam fundata, præexistens & prius jam agnita fuit, ultra agnoscere dicamur. Stat porro præsumptio pro ejusdem jurisdictionis exercitio sub Statibus aut Dominis Territorialibus Catholicis Sæcularibus, utpote qui juri diœcesano Episcoporum nedum præjudicare non voluerunt, sed summa potius opera id egisse dignoscuntur, ut in suos subditos A. C. addictos Episcopis & Clero aliqua jurisdictio relinqueretur.

Tertia limitatio de Statibus Provincialibus & subditis Catholicis, qui in Statuum A. C. addictorum Territoriis degunt, concepta est; licet enim initio §phi 48. dictum sit, quod Jurisdictio Ecclesiastica, quam Status Imperii Sæculares ex communi hactenus in Imperio usitata praxi

ſibi ad ſcripſere, quæque nova ac improprie talis eſt, intra terminos Territorii cujusque ſe continere debeat, jurisdictio tamen Eccleſiaſtica antiqua ſive Epiſcoporum in A. C. Statuum Territoriis in ſubditos Catholicos ibidem exiſtentes olim extenſa, ibidem in eosdem perſeverat, quando Epiſcopi in anno 1624; non in prima ſolum die Januarii, ſed in quacunque anni parte, cum Inſtrumentum Pacis in cit. §pho anni indefinitam mentionem faciat, jurisdictionem Eccleſiaſticam quiete exercuerunt; atque in hos Jus hoc diœceſanum etiam in publico ſuo exercitio ibidem ſalvum eſſe debet, quando publicum in anno decretorio ſubditi Catholici ibidem habuerunt Religionis ſuæ exercitium; unde cum publicum Catholicæ Religionis exercitium haberi & ſubſiſtere nequeat, niſi cum ſubordinatione & dependentia Paſtorum & populi a poteſtate & Jurisdictione Epiſcopali, generaliter ſtatuendum eſt, quod Epiſcopi quoad Jus diœceſanum in ſubditos Catholicos, qui in anno decretorio publicum habuere in Statuum A. C. addictorum Territoriis Religionis exercitium, fundatam intentionem habeant, nec in hujus exercitio impediri poſſint, usque dum doceatur, quod horum jurisdictio Epiſcopalis in Catholicos ſubditos continuo publice contradicta, & impedita, vel ſaltem turbata ibidem fuerit, ita ut verum ſit dicere, quod in nulla anni parte hoc pacifice exercita fuerit. Imo vero cum de Subſtantia & eſſentia Religionis Catholicæ & ejus exercitii ſit, in materia fidei, ordinis, adminiſtrationis Sacramentorum, & uſus clavium tam parochos quam etiam parochianos a poteſtate ſuperiore hierarchica dependere, indeque poteſtatem ac influxum participare, quoad hanc materiam & ejusmodi functiones jurisdictio Eccleſiaſtica Epiſcoporum reſpectu ſubditorum Catholicorum, ut ut privatum duntaxat in Territoriis Statuum Proteſtantium habeant Religionis exercitium, adeo ſuſpenſa eſſe nequit, quin ſaltem occulte privatimque exerceatur, modo ne juribus Territorialibus Statuum inde præjudicium afferatur, neque diſcretum ſobriumque ejusmodi juris diœceſani exercitium impediri, & ſubditi Catholici ab uſu ejusdem mandatis pœnalibus arceri poſſint, cum aperte alias aliquid iis injungeretur, quod eorundem Religioni atque conſcientiæ adverſum foret.

Suſpenſa igitur in Regula Jurisdictione Epiſcoporum circa Proteſtantes

Quæres

Quæres XI. Penes quem nunc resideat Jurisdictio Ecclesiastica?

Resp. Ex dictis patescere, quod penes Episcopos vera & antiqua jurisdictio ex jure divino illis competens maneat in radice & habitu, in actum secundum tamen exire prohibita, neutiquam vero in Protestantes Status translata sit; translatio enim præsupponit duo necessaria: ademptionem omnimodam, vel aliquam saltem ex parte prioris possessoris; & collationem plenariam, vel aliquam saltem etiam certam ex parte possessoris secundi: ambo autem hæc unquam facta esse neque lex, neque legis ratio probare possunt. Attamen ne Status Religionis omnino foret acephalus in Germania & independens, subditique omni penitus superioritate destituerentur, alia quædam Jurisdictio sive pôtius Jus Reformandi novum (sic vocatur in I. P.) substitutum, & Principibus sæcularibus in I. P. W. attributum est. Interea circa hoc Jus novum Reformandi quatuor modo nobis examinanda veniunt: 1. Quid sit. 2. Quodnam illius fundamentum, & quis titulus. 3. Quibus competat. 4. Demum quinam illius effectus sint.

Resp. ad I. Jus reformandi novum duplici respectu considerari valet, primo quid idem *generatius* sumptum sit; secundo quid *specialius* acceptum denotet; *Generatius* spectatum est libera facultas exercitium religionis una cum annexis ordinandi, dirigendi, judicandi, tolerandi, mutandi & abolendi; denotatque totum potestativum, quod universitatem jurium per se, & in regula loquendo, sub se complectitur. *Specialius* vero sumptum innuit potestatem Religionem, cui Dominus Territorii addictus est, inducendi, & aliam sive priorem, quæ hactenus viguit, vel in toto vel in partibus abrogandi; quæ ergo ad Religionem ordinandam, protegendam, dirigendam, conservandam, ampliandam, ornandam, tolerandamque tendunt, ad Jus Reformandi generatius acceptum; quæ vero præcise ad eam mutandam, quod præcipuum est, pertinent, ad jus Reformandi specialius commode referuntur.

Resp. ad II. Fundamentum, cui hoc jus Reformandi innititur est jus territorii, seu superioritatis, quod, sicut in politicis, ita & in Ecclesiasticis liberum fundat exercitium; atque inde ortum est famigeratissimum illud & Protestantibus adeo solenne axioma: *Cujus est Regio, illius etiam est Religio.* Notabile tamen intercedit discrimen, quatenus

nus præfatum jus territorii fundat liberum exercitium in Politicis, & quatenus idem exercitium in Ecclesiasticis: quippe primum ex jure Territorii velut propria & connaturali causa & principio fontali effluit; Titulus autem, ex quo alterum competit, est communis per totum Imperium hactenus usitata praxis: proin ad hoc superioritas territorii se habet tanquam mera conditio sine qua non, id est, nemo qui sublimi jure territorii præditus non est, jus Reformandi habet, quisquis vero eodem gaudet, habet jus Reformandi, sed non *ex* jure territorii, sed *cum* jure territorii *ex* praxi communi in Imperio hactenus usitata, prout conceptis verbis loquitur Instrumentum P. W. art. 5. & §. 30. ibi: *cum ejusmodi Statibus immediatis cum jure territorii & superioritatis ex communi per totum Imperium hactenus usitata praxi etiam jus Reformandi exercitium Religionis competat.*

Resp. ad III. Certum esse perspectumque, quod Jus Reformandi novum Dominis Territorialibus Catholicis in subditos Catholicos haud competat, cum apud eos salva manserint Episcopis & integra omnia, quæ jus diœcesanum ipsis addicit ex sanctione Juris divini & Canonici, & sacræ Hierarchiæ institutis. Neque enim Pax Westphalica hac in re quidquam mutavit, nec quidquam alicui ademit, quia Protestantium non interesat, quo loco status & subditi Catholici essent, quove jure viverent, inter ipsos vero Episcopos & Status Catholicos nulla desuper lis, nulla fuit controversia, nec ulla prætensio, quin potius eo unitis studiis & viribus connitebantur, ut antiquus Ecclesiasticæ Disciplinæ vigor pleno robore subsisteret, & potestas regiminis hierarchici Episcopis sarta tectaque servaretur, ergo inter ipsos nulla desuper necessaria fuit, & nulla intercessit sanctio aut transactio. Unde consequitur, quod, si A. C. Status ad antiquam Religionem Catholicam redeat, Jurisdictio Ecclesiastica, totumque jus diœcesanum, tam in ipsum Principem, quam in subditos suos Catholicos subito reviviscat, remoto jam impedimento, quod ejusmodi exercitium remorabatur, Augustana nimirum Confessione; nemo siquidem tam hospes in jure fuerit, ut Principi aut statui Catholico jurisdictionem ecclesiasticam in subditos suos vicissim Catholicos adscribat, quam ille nulla ratione possidere aut exercere habilis est, nequidem pro se ab eadem independens.

Porro ex Principiis Protestanticis, quæ sæcularibus Principibus jus in sacra plene concedunt, concluditur, novum jus Reformandi

Domi-

Dominis territorialibus Proteſtanticis in ſubditos æque Proteſtanticos competere. Sola proin controverſia Catholicos inter & Proteſtantes agitatur, num videlicet Dominis territorialibus Catholicis in ſubditos Proteſtanticos, & viciſſim Dominis territorialibus Proteſtanticis in ſubditos Catholicos Jus Reformandi novum competat? Et affirmamus utrumque. Sicut enim Sanctio Pragmatica Pacis Weſtphalicæ nullam inter ſtatus Catholicos & Proteſtantes quoad jus Territoriale admittit differentiam; ita pariter nullum agnoſcit diſcrimen inter ipſos circa jus Reformandi, & jurisdictionem Eccleſiaſticam ſub jure Reformandi neceſſario comprehenſam; idcirco termino medio praxeos ſcilicet in Imperio hactenus uſitatæ provide utitur, ne ſtatus Catholicos a juris ejusmodi exercitio & jurisdictionis Eccleſiaſticæ uſu excludere videatur, imo vero inter utriusque Religionis Electores, Principes, ſtatus omnes & ſingulos mutuam exactamque ſtatuit æqualitatem, ita, ut, quod uni parti juſtum eſt, alteri quoque æquum ſit; qua mutua & exacta æqualitate ſtante concipi non poteſt, quo jure, & qua legis ratione jus Reformandi veluti Territorio annexum & reale Principi Catholico adimatur, & jura Epiſcopalia in ſubditos transfundantur, atque hoc modo territorialis ſuperioritas inter Principem & ſuos ſubditos dividatur, contra §. 1. Art. 8. ubi omnibus Statibus liberum in eccleſiaſticis atque politicis ſuperioritatis exercitium tribuitur. Atque hinc fruſtra agunt, qui ſolos Status Proteſtantes jure reformandi uti poſſe exiſtimant, Catholicos autem ſæculares ab eo excludunt; per totum enim Imperium communis hæc praxis hactenus uſitata eſſe dicitur (ſcilicet in textu) ut Statibus Imperii immediatis ſive Eccleſiaſticis ſive ſæcularibus cum jure territorii ex hac praxi jus etiam Reformandi competens fiat. Nec valde commovebuntur Catholici etiamſi objeceris illis, non poſſe Eos integra Cleri ſui Auctoritate hoc negotium ſuum facere, quod ſecundum domeſtica hujus religionis principia plane alieni eſt fori; præfata enim communis praxis ſufficiens, tutum, & æquale Eis attribuit jus Reformandi, cujus objectum eſt religio non ſecundum principia intrinſeca & eſſentialia fidei, ſed extrinſeca duntaxat v. g. tolerantiam Religionis &c. circa quæ ex ſupradictis diſponere queunt. Neque id mirum eſſe debet, nam irregulari principio ſemel admiſſo, vi cujus Epiſcopis & Ordinariis jus diœceſanum & jurisdictio Eccleſiaſtica ſuſpenſa, liberum e converſo æque de Eccleſiaſticis ac politicis diſponendi exercitium ſuperioritati Territoriali annexum eſt, irregulares ſequuntur concluſiones, ac in ſyſtemate prorſus novo novi paradoxique reſultant effectus.

Reſp.

Resp. ad IV. Quod effectus juris reformandi variis temporibus varius quoque fuerit; unde ad hoc melius intelligendum in triplici epocha Jus reformandi juvat considerare. Ima Epocha continet tempus ante transactionem Passaviensem & Pacem Religiosam, 2da tempus post illam transactionem Pacemque Religiosam, 3tia exhibet tempus a P. W. sive instrumento Osnabrugensi.

Ima Epocha habuit tres Characteres 1. Introductionem, 2. Expulsionem, 3. Compulsionem; nam in primis Domini Territoriales religionem suam introducere, secundo antiquam seu priorem expellere, tertio subditos etiam mediis coactivis & pœnalibus, confiscatione v. g. & ereptione bonorum, imo nonnunquam **mit Leib- und Lebensstraf** ad amplectendam suam religionem dominantem cogere poterant, atque sic illimitate obtinuit illud principium: *cujus est Regio, illius est Religio.*

In IIda Epocha ablatus est tertius Character, scilicet effectus compulsionis, duo autem primi omnino retenti sunt; si tamen subditi Religionem Domini Territorialis amplecti detrectarent, flebile beneficium emigrandi illis, indultum est, permissaque copia vendendi bona sua, quæ eripi non amplius poterant. Sicque aliqualiter jam limitatum est præfatum principium: *cujus est regio* &c.

In IIItia Epocha secundus demum effectus coarctatus est, atque amplius tum Statuum independentiam a Jure Diœcesano fulsit, tum libertati conscientiæ ac Religionis subditorum cavit Instrumentum Pacis Westphalicæ, quod in Art. 5. §. 48. sicut jus Diœcesanum & Jurisdictionem Ecclesiasticam cum omnibus suis speciebus in A. Confessioni addictos Status eorumque subditos generaliter suspendit, ita subditis qui in anno 1624. aut aliqua ejus parte publicum aut privatum Religionis habuere exercitium, stabilem non duntaxat in eodem loco permanentiam, sed & suæ Religionis imperturbatam indulsit, liberamque professionem juxta dispositionem §. 31. Art. 5. P. W. sub hac tamen expressa insigni limitatione, quatenus subditi Religionem exercuerunt, & annexa possederunt, & tum exercita possessaque probare poterunt juxta litteram textus cit. §. & Art.

Quæres

Quæres demum XII. Quid sentiendum circa subditos, qui anno decretorio bujusmodi exercitium Religionis non babuerunt?

Resp. Subditi isti vel tolerentur, ita ut Conscientia libera devotioni suæ domi sine inquisitione aut turbatione privatim vacare, aut in vicinia publico Religionis exercitio interesse, liberosque suos exteris suæ Religionis scholis, privatisque domi informatoribus instituendos committere valeant. Art. 5. §. 34. vel beneficii emigrandi reddantur participes; concedendo ad hoc triennio & respective quinquennio; atque per procuratores administrandi vel etiam vendendi bona sua detur copia, citra quod casu posteriori inusitatæ decimationes exigantur juxta dispositionem. §. 37. Art. 5. Plura si de hac materia cupias, consule Differt. Magnif. Dni Barthel. de Jure Reform. novo.

TITULUS II.

De Constitutionibus.

Summa juris divisio fit in naturale sive innatum, & constitutum, sive positivum, de naturali discurrit Author cum Justiniano, neque, quid sit, bene explicat. Naturale enim varie & improprie potest sumi pro instinctu naturali, & hoc modo videtur illud intellexisse Ulpianus. II. Pro statu naturali, quam res habet a natura. III. Pro æquitate naturali, & IV. pro lege obligante, de qua hæc quæstio.

Quæritur I. Quid sit jus naturale?

Resp. Est complexus legum a Deo tanquam supremo Naturæ Authore necessaria ordinatione latarum, hominique per rectam rationem intimatarum, quibus præcipiuntur ea, quæ bono finique hominis consentanea, prohibentur vero ea, quæ eidem sunt dissona.

Quæres II. Quænam sit differentia juris naturalis a constituto?

Resp. Differt imprimis in causa efficiente, quæ est Deus, II. ejus promulgatio non ab extrinsecis, sed intrinsecis fit per adventum rationis, III. essentialiter in materia, quæ exigit præcipi vel prohiberi &c.

Quæres III. Cur ergo ipsa ratio non sit jus naturale?

Resp. Quia ratio est id, quod dirigitur, & medium, quo nobis applicatur, dein omne jus debet esse superius eo, quod dirigit, ratio autem non est superior natura rationali, ergo ipsa non potest esse jus naturale.

Quæres IV. An jus naturale possit mutari?

Resp. Jus naturæ mutationem proprie talem, quæ est vel abrogatio, vel stante lege unius vel alterius exemptio, non admittit, sed tantum improprie talem, quatenus objectum potest poni in circumstantiis, in quibus non amplius cadit sub jus naturæ. Uti factum in Abrahamo volente occidere filium, Israelitis spoliantibus Ægyptios.

Quæres V. An omnia juris naturæ objecta possint poni in talibus circumstantiis?

Resp. Negative, sed illa tantum, quæ subjacent supremo Dei domino, vel alto dominio hominum, uti in præscriptione, in dispensatione votorum remittit ecclesia obligationem, sicut in aliis promissis potest obligationem naturalem remittere, quæ nomine Dei acceptavit, hinc nulla juris naturæ mutatio.

Quæres VI. Quomodo ergo jus naturale possit dici ordinatio, cum objectum jam sine ordinatione Dei in se sit malum vel bonum?

Resp. Objectum in se ante prohibitionem vel præceptionem est malum vel bonum, malitia vel bonitate fundamentali, id est, habet exigentiam, ut præcipiatur, vel prohibeatur, *conceditur*, formali & morali bonitate vel malitia, *negatur*.

Quæres VII. Cur ergo Deus per Moysen & Christum nobis dedit, & inculcavit præcepta naturalia, si ea sint scripta in cordibus nostris?

Resp. Cum recta ratio per peccatum originale & passiones, peccata item actualia ita fuerit obscurata, ut lumen illud aliqualiter in hominibus extingueretur, Deus per præcepta positiva Ideas illas & impressiones iterum suscitavit, & recenter inculcavit, adjectis etiam pœnis vel præmiis ad observantiam magis nos per Christum & Moysen cohortatus

hortatus est. Similia fere habet S. Augustinus: cum enim nollent inspicere tabulas cordis sui, Deus dedit lapideas, ut ex his legerent jus naturale; *signatum* quidem *est*, ut ait psalmista, *super nos lumen vultus tui*, sed illud peccatis vitiatum & obscuratum erat. Hinc Christus legem naturalem, quoad internos animæ affectus explicavit, uti: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam illam &c.* item: ego autem dico vobis; *Diligite inimicos vestros &c.* & ut fieret jugum suave, & onus leve, gratias nobis, internas scilicet illustrationes, pias voluntatis motiones & affectiones insuper dedit, & ideo vocatur lex gratiæ, lex filiorum Dei, quia suavitate potius trahimur, quam timore pœnarum, judæorum adinstar, qui regebantur ut petulantes pueri castigante virga; populus enim ille erat rudis, crassior & immersus temporalibus. Unde Ethnicus quidam examinans leges Christianorum, Judæorum, & Turcarum, bene hanc, legem porcorum, illam puerorum, male autem legem Christianorum, legem impossibilium, vocavit, quia omnia possumus in eo, qui nos confortat.

Quæres VIII. An detur invincibilis ignorantia juris?

Resp. Cum nativa hominis, in peccato originali concepti, infelicitas & ignorantia; vitæ brevitas, Corporis debilitas animam aggravans, præjudicia juventutis & educationis, prava aliorum exempla &c. sæpius malum pro bono & pro malo bonum apprehendere faciant, communior jam est Sententia Theologorum, quod licet non detur ignorantia invincibilis juris naturæ, quoad principia generalia, & conclusiones, quæ immediate & sine longiore discursu inde deducuntur, uti *e. g. Quod tibi non vis fieri, alteri non feceris. Quodcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Non occides. Dominum Deum adorabis &c.* alias enim imago Dei omnino in nobis extincta esset. Detur tamen invincibilis ignorantia juris naturæ circa ea, quæ mediate per ratiocinium & per longiorem discursum inde deducuntur, uti v.g. mendacium esse intrinsece malum &c. ita scimus gentes in multis, quoad jus naturæ errasse, fornicationem e.g. non esse malam &c. Unde Apostolus inter cætera injunxit abstinere a fornicatione.

Quæres IX. An ergo Ecclesia etiam possit quidpiam statuere circa jus naturæ?

Resp. Cum Divinus Magister, Christus Dominus totus in eo fuerit, ut Juris naturalis præcepta firmius stabiliret, uberius exponeret, plenius perficeret, & ex hoc fine nulla, vel pauca admodum præcepta nova moralia Evangelio addiderit, sed vetera tantum per Moysen promulgata confirmaverit, teste Apost. Joanne Ep. 1. c. 2. v. 7. Sicque ea ad dignitatem Legis Evangelicæ sublimaverit; Ecclesia sicut in aliis quæstionibus æternam salutem concernentibus est infallibilis, ita & in controversiis Legis Naturalis una est Magistra ab omni errandi periculo & suspicione immunis, proin urgentibus circumstantiis ad Eam recurrendum, cujus grave authoritatis pondus in Jure naturæ cognoscendo & interpretando Sancti Patres continua traditione propagarunt, usus omnium Conciliorum perpetuus prodit, & praxis Pontificum in damnandis variis propositionibus Juri naturæ adversis, docet.

Jus gentium quid? Ulterior juris divisio fit in positivum sive constitutum, & hoc est duplex, aliud jus positivum commune, & jus gentium vocatur, aliud positivum particulare, & jus civile dicitur.

Jus gentium aliqui confundunt cum naturali, quod dividunt in abstractum, & contractum, *abstractum,* quod dirigit homines in ordine ad se magis, *contractum* quod dirigit homines in ordine ad bonum commune gentium, voluntque idem esse jus gentium & naturale, & diversam tantum juris applicationem. Improprie jus gentium etiam sumitur pro jure naturali, quatenus hoc ab omnibus gentibus observandum est, uti religio erga Deum, reverentia erga parentes. Item pro jure civili apud plures gentes ob æquitatem recepto, & proprie quatenus a gentibus qua talibus sub obligatione est introductum, & sub hac consideratione hic definitur:

Jus gentium esse jus positivum & consuetudinarium ex uniformibus gentium moratiorum moribus introductum. Hoc penitus distinctum est a jure naturali stricte sumpto (cuique enim juri suum est tribuendum) Prob. 1. Quia ipse Imperator satis innuit, jus gentium esse jus positivum, & constitutum, dum §. 2. Institut. vocat jus, *quod usu exigente & humanis necessitatibus est introductum.* Ob nexum scilicet societatis, quia non omnis fert omnia tellus. Et L. pen. ff. de leg. appella-

appellatur *jus quod necessitas constituit.* 2. Probatur efficaciter hoc Syllogismo: illud non est jus naturale, quod non habet objectum exigens prohiberi vel præcipi, atqui jus gentium non habet tale objectum, ergo P. Min. objecta juris gentium sunt divisio agrorum, dominiorum, servitus, libertas commerciorum, legatorum etiam hostium inviolabilitas. Atqui hæc non habent intrinsecam exigentiam ut prohibeantur, vel præcipiantur, sed ad summum tantum indigentiam, propter nexum socialitatis, & convenientiam; nisi ea velis ultimato resolvere in principia juris naturalis, sed sic omnia essent juris naturalis, quia ultimato resolvuntur in principium naturale, superioribus est obtemperandum, ergo.

Pro Authore hujus juris statuunt aliqui Deum, alii melius, ipsas gentes collective sumptas. Differt in causa materiali ab aliis juris speciebus, cum objecta ejus pertineant præcise ad communem gentium nexum, sicut objecta juris naturæ præcise in se habent exigentiam, ut prohibeantur vel præcipiantur.

Jus positivum particulare, aliud est positivum divinum, aliud positivum humanum. *Positivum divinum* est, quod a Deo ex libera voluntate circa indifferentia statutum est, ut in testamento veteri circumcisio, in novo, susceptio Baptismi, Eucharistiæ &c. Vetus testamentum per Moysen & Prophetas promulgatum est, novum per Christum & Apostolos. Hinc jus positivum divinum duplex, aliud veteris, aliud novi testamenti. In veteri testamento iterum triplicis generis leges habentur morales scilicet, ceremoniales, & judiciales. Hisce legibus subjiciebantur, qui circumcidi se passi sunt. Fuit autem circumcisio speciale signum, aliquem esse de familia Jacob, & inter populum electum, ex quo nasciturus esset Messias.

Quæres I. An omnes populi hisce legibus obligati fuerint?

Resp. Præceptis Moralibus, quia sunt ipsum jus naturæ, omnes omnino gentes obligabantur. Præceptis autem aliis tantum judæi, & circumcisi. Unde per circumcisionem, ait Apostolus, aliquem fieri debitorem universæ legis ceremonialis scilicet, & judicialis.

Quæres II. An Leges Ceremoniales & Judiciales etiamnum obligent, & quando cessarint?

Resp. Ad I. Negat. Quia tantum ad tempus & specialiter pro populo Judaico, tanquam umbra & figura latæ erant, præsente autem figurato cessat figura, ad II. Resp. cessarunt jam in morte Christi, dum dixit: *consummatum est*. Publice autem in Pentecoste, dum lex nova per adventum Spiritus Sancti est promulgata, sed necdum fuerunt omnibus mortiferæ, ut loquuntur theologi, sed mortificatæ, usque ad annum circiter 40. post ascensionem Domini, ad dispersionem scilicet populi & eversionem urbis Hyerosolomitanæ, facta sufficiente Evangelii divulgatione. Poterant proinde tempore intermedio observari. Hinc etiam Apostoli provisorie adhuc statuerunt abstinere a sanguine & suffocato, ut scilicet judæi suis nimium addicti ritibus facilius converterentur, & ut Synagoga cum honore sepeliretur, quia saltem fuit lex Dei, ne Hæretici traducerent illam tanquam legem malam & irrationabilem; cessante vero jam ratione cessat hæc lex provisoria, reliqua vide in Authore.

Quæres III. An lex vetus fuerit durior?

Resp. affirmative. Sanctus Petrus nominat illam jugum insupportabile, ob multitudinem scilicet & molem legum, & ob graves adjectas pœnas, fuit enim populus rudis, insolens, & duræ cervicis, hinc quasi mole legum opprimendus. Licet autem in nova lege aliqua præcepta videantur difficiliora, [illegible] præceptum auricularis confessionis &c. illa abunde compensantur aliis favoribus, gratiis, piis & suavibus motibus, ut amantibus nihil sit difficile, sed jugum suave & onus leve. De confessione quosdam in specie favores, scilicet tranquillitatem conscientiæ &c. enarrat Conc. Tridentinum, de pœnitentia. Tota hinc Lex Nova simpliciter est levior, quia non est tanta moles præceptorum, neque unum vel alterum præceptum, quod videtur gravius, totam legem duriorem facit.

Quid continet testamentum novum?

Resp. Præter jus naturæ, quod Christus dominus explicavit, confirmavit, & ad apicem perduxit, uti *Mutuum date nihil inde sperantes. Qui viderit mulierem &c. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*

ſtros &c. dedit etiam quædam præcepta poſitiva circa fidem, ſacramenta, & ſacrificium, ſed hæc ſunt pauciſſima; reliqua, uti dixi, conſiſtunt in interpretatione, & confirmatione juris naturæ.

Quæres, cur Deus non dederit Chriſtianis leges judiciales uti Judæis? ad N. VI.

Reſp. Cum populus Judaicus eſſet unicus, & in aliquo tantum orbis angulo inclufus, facile poterat huic dare leges ceremoniales, & judiciales, utpote quæ non eſſent univerſales pro toto terrarum orbe. Cum autem ea, quam Chriſtus dominus tradidit, doctrina eſſet univerſalis, omnes omnino obligans, intacta plane reliquit, quæ externam politiam & diſciplinam attinent, utpote, quæ pro genio & moribus populorum variari debent, neque univerſaliter dari poſſunt. Nihil proinde Chriſtus Dominus principibus ſæcularibus detraxit de eorum poteſtate, qui ultro faſſus eſt, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, & præcepit dare Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, Deo autem, quæ Dei ſunt. Ex his patet, leges eccleſiaſticas univerſales tam facile præſcribi non poſſe, quia moribus, genio, inveteratis conſuetudinibus debent applicari.

Collige ex hoc, non abſque fundata ratione Pontifices ſe ſcribere ſervos ſervorum Dei; Eſt enim regimen eccleſiaſticum ex inſtitutione Chriſti revera ad ſerviendum, regnum ſuave, & paſtorale in charitate fundatum & humilitate temperatum, non arbitrarium & deſpoticum propriam reſpiciens utilitatem, ſed eccleſiæ. Unde Chriſtus dominus non negavit quidem primatum, dum inter ſe certarent Apoſtoli, ſed dixit: Principes gentium *dominantur* eorum, vos autem *non ſic*. Sed qui primus eſt veſtrum, *ecce non negat primatum*, ſit velut omnium ſervus. Ut autem hoc ſervitium eſſet magis proficuum, authoritatem etiam eccleſiæ reliquit. Hac ratione ductus Gregorius Magnus primo aſſumpſit titulum, ſervi ſervorum Dei, quo deinceps cæteri quoque uſi ſunt Pontifices.

Jus poſitivum humanum deſcribitur ab Authore, quod ſit recta agendorum ratio publica poteſtate communitati denunciata cum voluntate eam perpetuo obligandi. *Dicitur recta agendorum ratio:* Lex enim, quæ debet eſſe actus prudentiæ, non debet præcipere interimiſtica, ad N. VII.

ſtica, irrationabilia &c. *Publica poteſtate:* legem enim ferre non poteſt, niſi ſuperior. *Communitati denunciata:* Hinc differt a præcepto, quod uni tantum datur, & ſicut communitas, ſic etiam lex ſuo ſenſu ſtabilis eſt, *cum voluntate* &c. alias enim merum eſſet conſilium.

ad N. VIII. Conditiones ad legem requiſitæ recenſentur in Cap. II. diſt. 4. *Erit enim lex honeſta*, non repugnans ſcilicet juri naturæ & divino; *juſta*, id eſt, debet ſervare proportionem æqualitatis inter ſubditos, unum præ altero non gravare, niſi ex publica cauſa vel neceſſitate; *poſſibilis*, id eſt practicabilis, obſervatu non nimis difficilis, ut ex obſervantia non plura mala & turbæ invehantur in rempublicam. Defectu hujus conditionis multæ leges & canones in Germania non obligant, quia ſcilicet non ſunt practicabiles e. g. Concilium Tridentinum ad valorem matrimonii requirit aſſiſtentiam Parochi proprii & duorum teſtium. Sed in ſenſu Concil. Trident. Miniſter proteſtanticus non eſt parochus proprius, adeoque nec verum eſſet eorum matrimonium, non filii legitimi, non capaces feudorum, quod ſane impracticabile, ergo etiam non obligat. Ex hac eadem ratione multi affirmant, quod valide in gradibus etiam prohibitis extra leviticum Proteſtantes contrahant matrimonia. *Secundum naturam, ſecundum patriæ conſuetudinem, loco, temporique conveniens, neceſſaria, utilis*, nullo privato commodo, ſed pro communi civium utilitate deſcripta.

Videatur jus reformandi antiquum. *Poſitivum humanum*, aliud iterum eſt *eccleſiaſticum*, aliud *ſæculare*. Hoc a principe ſæculari, illud a prælatis eccleſiaſticis fertur. Datur enim vera in Eccleſia Hierarchia & poteſtas ferendi legem, ſuntque hæc ambæ reipublicæ omnino diſtinctæ, neque una in alterius materia fert leges. Juvant tamen ſeſe invicem, atque conſervant, decet enim, ut ſit Sacerdotium inter & Imperium Concordia, ne Regio Religionem, aut e converſo Religio Regionem evertat &c.

§. II.

De Cauſa materiali & efficiente legum.

ad N. IX. Cum ex lege 7. ff. LL. Legis virtus quadruplex eſt: imperare, vetare, permittere, & punire. Quæres. Quænam ſit materia vel objectum legis præceptivæ, prohibitoriæ & permiſſivæ &c. & quidem

Quæres

Quæres I. An actus omnium virtutum possint præcipi?

Resp. Negat. Leges enim debent esse humanæ & humanitus obligare, non obruere homines. Debent esse possibiles, non nimis difficiles & arduæ, sed accommodari fragilitatibus, unde frustra præciperetur paupertas perpetua &c.

Quæres II. Quomodo ergo ecclesia præceperit cœlibatum &c.

Resp. Non generaliter & absolute præcepit, sed tantum aspirantibus ad certum statum & volentibus, qui scilicet ad ordines majores ascendere & beneficiis ecclesiasticis frui volunt.

Quæres III. An adiaphora possint præcipi?

Resp. Cum lex publicam inducat obligationem, & ex necessitate vel utilitate ferri debeat, adiaphora, si maneant adiaphora, neque ex circumstantiis fiant utilia vel necessaria, aut nihil conducant ad finem legislatoris, non possunt præcipi, neque etiam prohiberi.

Objectum legis prohibitoriæ sunt, quæ justitiæ aliisque virtutibus, **ad N. X.** quarum observatio reipublicæ utilis & facilis est, adversantur &c. Si legi prohibitoriæ adjecta sit pœna, dicitur punitiva, & tunc Judex inferior non potest esse durior nec mitior lege, quia ipse non est supra legem, sed infra eam, & secundum illam tenetur judicare, non vero de illa. Princeps autem, qui est superior lege, & jus aggratiandi habet, subinde potest vel in parte vel totam pœnam remittere; subin etiam exasperare; si non sit adjecta pœna, relinquitur prudenti judicis arbitrio. Vide N. XII.

Quæres IV. An etiam mala possint permitti? **ad N. XI.**

Resp. Affirmat. Ut scilicet nullis pœnis coërceantur & impunitas iis detur ad evitanda scilicet majora, regula enim prudentiæ est, malum bono loco positum non movere, & inter duo mala minus eligendum est: ex his principiis valent capitulationes in Imperio circa religionem &c.

Quæres V. An actus mere interni sint objectum legis præceptivæ, sive an possint præcipi?

Resp. Licet actus mere interni, qui non transeunt ad potentiam exteriorem, sed in solo Voluntatis affectu consistunt, sint extra sphæram juris Civilis, cujus finis est publica tranquillitas, quæ nec promovetur, nec turbatur actibus istis internis, Lex tamen Ecclesiastica, cujus finis est bonum spirituale animæ, ac salus æterna per actus internos utique promovenda, istos præcipere valet. *Confirmatur.* Licet actus occultus non cadat sub potestatem judicativam, tamen potest præcipi sub pœna spirituali ab Ecclesia, ut patet in eo, qui occulte animo serio profert propositionem hæreticam. Ergo a pari, licet Ecclesia non possit judicare de actibus mere internis, cum desit requisita ad judicandum causæ cognitio, tamen potest illos præcipere & pœnas spirituales, quæ ad elinquentibus sine interventu Judicis etiam incurruntur, infligere. 2. Christus illimitatam & indistinctam dedit S. Petro potestatem solvendi & ligandi, non illam restrinxit ad actus externos, neque ergo nos restringere illam debemus, cum præcipue Ecclesia multos actus mixtos externos simul & internos præcipiat. Cur ergo non possit præcipere Ecclesia meditationem pure internam?

Si dicis: Regimen Ecclesiæ est visibile. Resp. Respectu personarum, quæ illud exercent, conced. Respectu objecti, quod præcipitur, negatur.

ad N. XV. *Quæres VI. hic, quinam possit leges ferre?*

Resp. Ad Potestatis Legislativæ sive Ecclesiasticæ sive Politicæ limites leges restringuntur, ita, ut quilibet Legislator pro modo tantum, & termino suæ jurisdictionis leges ferre queat; extra territorium enim & supra Jurisdictionem suam jus dicenti impune non paretur. L. ult. ff. de Jurisdict.

I. Igitur Summus Pontifex in materia spirituali pro tota Ecclesia potest ferre leges, quia illimitatam a Christo accepit potestatem pascendi, solvendi, & ligandi, &c. quæ Ipsi tam in- quam extra Concilium competit; alioquin male provisum esset Ecclesiæ, cum Concilia non semper convocari possint. Movet hic ulterius Author quæstionem

nem de subjecto, quod autem non ad causam efficientem pertinet, & de quo infra tractabitur.

II. Leges pro tota ecclesia etiam ferre possunt Concilia generalia & œcumenica. Dicitur autem œcumenicum, ad quod orbis totius, vel ex potissima saltem parte Episcopi convocantur, & cui Pontifex vel per se, vel per suos legatos præest. Voluit autem Deus Concilia in Ecclesia institui, ut securius & cautius, ac cum majore ponderatione & deliberatione omnia agerentur. *Omnia fac cum Consilio, & post factum non pœnitebit*, est effatum sapientis. Neque enim solus Petrus a Christo potestatem solvendi & ligandi accepit, sed & reliqui Apostoli eorumque successores, Episcopi: *quodcunque solveritis &c. Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.* Ergo & hi possunt leges universales condere, qui simul cum Pontifice constituunt Ecclesiam imperantem. ad N. XVII.

III. Concilium Nationale, ad quod convocantur omnes Episcopi alicujus nationis, leges potest statuere pro tota natione, non autem pro tota Ecclesia, nisi forte recipiantur. Magna olim hujus Concilii fuit authoritas, & Petrus de Marca multis argumentis defendit, hoc Concilium in decretis morum non potuisse reformari a summo Pontifice. Aliud deinde Concilium est provinciale, aliud diœcesanum. Horum autem jus ultra provinciam, vel territorium non egreditur.

Quæres, an Episcopi possint aliquid statuere contra jus Commune? Respondendum est negative, quia Imperium est Hierarchicum, & subordinatum. Licet enim proprio jure, ut verus Hierarcha & princeps Ecclesiæ suæ vel diœcœsi præsit Episcopus, non vicario jure, subordinatus tamen & inferior manet respectu legis universalis summi Pontificis, & Concilii Generalis; adeoque illam mutare vel tollere non potest.

Quæres VII. Quid possint capitula? ad N. XXI.

Respondetur. Per se loquendo solus Episcopus habet potestatem ferendi leges. Capitulis autem nulla competit jurisdictio de jure Communi, vel scripto; siquam tamen hujusmodi potestatem ex speciali privilegio vel consuetudine probent, possunt statuta facere, quæ quidem non obligant in vim strictæ authoritatis, sed tantum in vim pacti

& conventionis, & cum fubordinatione ad Epifcopum, qui ea libere reformare poteft, fi quid contra bonum ordinem, contra difciplinam &c. contineant, & pro affectu tantum privato condita fint. Concilium Colonienfe 1536. habitum ampliffimam Epifcopis dat facultatem revidendi Statuta, & corrigendi ea, fi quid contra bonum ordinem & difciplinam in fe contineant, etfi juraverint, fe illa fervaturos; nam juramentum non debet effe vinculum iniquitatis.

Sede tamen vacante Capitula Cathedralia, quia repræfentant perfonam Epifcopi, & in ejus jurisdictionem fuccedunt, utique leges ferre poffunt, quæ etiam durant in tempus futuri Epifcopi.

ad N. XXII. *Quæres VIII. Quid cenfendum fit de capitulationibus?*

Refp. Solebant canonici præcipue cathedrales pacta fubinde & conventiones inire, ut, quisquis futurus effet Epifcopus, illa fervaret, quandoque etiam juramento fe obftringere. Sed cum hac in materia nimium excederent capitulares, authoritatemque Epifcoporum anxie fubinde pacifcentium nimium reftringerent, multaque in privatam authoritatem ftatuerent, opus fuit, ut de remedio fibi profpicerent Epifcopi, quod factum circa finem præteriti fæculi ab Epifcopo Herbipolenfi Godefrido de Guttenberg, qui magna conftantia hoc opus ad finem perduxit, (licet Capitula etiam alia per totam Germaniam caufam communem fecerint, eique reftiterint) ut tandem 1695. Innocentius XII. non tantum ftabiliverit alias jam a Nicolao V. Pio V. & Gregorio XIII. editas in hac materia conftitutiones, fed & in bulla fua, quæ eft fexagefima tertia in bullario magno §. 5. fpecialiter annullaverit, & caffaverit iftas capitulationes, ita ut fi ante electionem factæ fint, etfi juramento etiam vallatæ, plane fint irritæ & nullæ, & pœnis infuper graviffimis capitulares fubjecti. Si autem poft electionem factæ fint, non quidem fimpliciter fint nullæ & irritæ, quia tunc Epifcopus majore cum libertate agit, nullum tamen habeant effectum, & fint in fufpenfo, donec a Pontifice fuerint confirmatæ. Hoc ipfum etiam ad alia capitula collegiata regularium ibidem extenfum.

Sicut has capitulationes Pontifex in fpiritualibus annullavit, caffavit, vel fufpendit, eodem plane modo easdem in fæcularibus ante electionem factas Imperator Leopoldus 1698. caffavit, & annullavit,

&

& post electionem factas suspendit, donec fuerint ab Imperatore confirmatæ.

Defenditur tamen adhuc, quodsi factæ sint in bonum publicum, reformationem morum &c. valere has capitulationes tanquam monita, excitatoria, & consilia, neutiquam autem in vim pacti.

An ordines religiosi eorumque prælati leges & statuta ferre possint? ad N. 23.

Dico: ad sæculum usque XII. non specialis fuit Hierarchia ordinum, sed erant subjecti Episcopis. Dum autem sequentibus sæculis invaluere exemptiones, ordines etiam specialem Hierarchiam cœperunt constituere, ut alii essent imperantes, servata tamen legitima subordinatione, ut Generalis, Provincialis &c, alii subditi, quibus leges ferre possent, de quo vide Authorem hoc numero eumque sequere.

§. III.

De obligatione legum in utroque foro.

Egit Author in §. 1. de divisione legis. In §. 2. de causa efficiente & materia legis. Jam agit in hoc §. de obligatione vel potius subjecto legis, de quo in N. 26.

Quæres I. An legislator teneatur suis legibus? ad N. 26.

Resp. Teneri illum, si materia sit communis, & conveniens principi, non quidem *vi coactiva*, quis enim tantæ authoritatis est, ut principem ad suas leges cogere possit, neque etiam *vi directiva* directe, non enim intendit se ipsum obligare lege sua, nisi diversas sustineat personas, uti Carolus V. ut Imperator sibi ipsi tanquam Archiduci Austriæ leges præscripsit. Nemo enim sibi ipsi imperare potest, sed indirecte, non quidem vi, sed occasione legis ex dictamine æquitatis naturalis, cum ipse sit pars reipublicæ, & quidem principalis & caput. *Turpis* autem, ait S. Augustinus, *est omnis pars suo universo non congruens* Ergo, ut excitentur subditi, ipse debet bono exemplo præire & observantiam legis possibilem ostendere, ne det forte scandalum. Juxta datam explicationem intelligenda L. 4. C. de legibus: *digna vox majestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri.* Similes

 huic

huic assertioni contrariæ leges eodem modo explicantur. Quæ autem principem eximunt, intelliguntur de vi coactiva vel directiva directa, vel legibus repugnantibus suo statui & dignitati.

Inferes, ergo fortius obligatur legislator, quia obligatur jure naturali. Resp. Non stricto, sed ex æquitate naturali, subditus autem jure naturali, & civili, & vi coactiva obligatur, hinc ille versus.

Subditus in legem peccat regumque, Deumque,
Rex peccat soli, rex quia nempe, Deo.

Quæri hic etiam potest, an Pontifex teneatur legibus universalibus, quas ipse tulit, item, an legibus Conciliorum Generalium?

Resp. Ad 1. Affirmat. Indirecte scilicet ex dictamine æquitatis naturalis, & quidem magis, quam alii principes, cum ex natura regiminis ecclesiastici pastor bono debeat præire exemplo, & majus semper est scandalum, si eas non observet. Quis enim ordo esset in ecclesia, si Pontifex vellet uxorem ducere, carnibus diebus abstinentiæ vesci. Hinc etiam facilius cum aliis quam secum dispensare potest.

Resp. Ad 2. decisio dependet ab illa quæstione præjudiciali: an Pontifex sit supra vel infra Concilium. Galli affirmant, illum esse inferiorem Concilio, & proinde hisce legibus subjiciunt Pontificem, ita tamen, ut vi primatus concedant ei potestatem hasce temperandi, & in iis ex causa necessitatis & utilitatis dispensandi. Alii, qui Pontificem supra Concilium esse affirmant, superiorem tuentur sententiam.

Quæres II. An etiam Reges & Principes obligentur legibus ecclesiasticis?

Resp. Quoad ea, quæ concernunt salutem animarum affirmative, & quidem directe, quia sunt oves Christi, quas pascendas & dirigendas Christus dominus sine exceptione Petro & Apostolis, eorumque successoribus commisit.

Quæres III. An etiam infideles obligentur legibus ecclesiasticis?

Author tractat hanc quæstionem, sed loco minus apto de materia legis. Resp. 1. Certum est, infideles, Ethnicos, Turcas &c. obligari lege

lege divina, & lege Chriſti, utpote, quæ eſt univerſalis, non ſpecialis, uti Judæorum, quæ tantum circumciſos obligabat. Chriſtus enim ait: *data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra*, & Apoſtolis præcipit: *ite in univerſum mundum, & prædicate evangelium omni creaturæ.* Ergo omnis creatura obligatur hac lege. Hinc, ſi Judæus, qui dedit libellum repudii, converteretur, vel Turca, qui plures habuiſſet uxores, tenerentur adhærere primæ, quia obligantur lege Chriſti. **Quid deducatur ex hoc principio.**

Aliud eſt de legibus mere eccleſiaſticis, quæ ab Apoſtolis, Pontificibus, vel Conciliis latæ ſunt, hæ non obligant niſi baptizatos, quia per baptiſmum aliquis fit ſubditus eccleſiæ, & quid mihi de iis, qui foris ſunt, ait Apôſtolus. Hinc non peccat Judæus, comedendo carnes diebus prohibitis, contrahendo matrimonium in gradibus jure eccleſiaſtico prohibitis.

Quæres IV. An Hæretici obligentur legibus eccleſiaſticis?

Reſp. In theſi & ſecundum principia juris canonici obligantur, ſunt enim revera ſubditi eccleſiæ, licet rebelles. Ex rebellione autem ſua commodum referre non debent. Peccant ergo per ſe loquendo, comedendo carnes diebus prohibitis, niſi excuſet ignorantia invincibilis; pœnis tamen coactivis ad obſervantiam legis non poſſunt compelli, quia publicis pactionibus tolerantur & libertas eis conceſſa eſt &c.

Inferes, ergo etiam non valent eorum matrimonia, in gradibus prohibitis, filii eorum illegitimi, & incapaces feudorum habendi &c. Reſp. Per ſe loquendo affirmat. ſed per accidens ſtante hoc ſyſtemate Theologi & Canoniſtæ complures dicunt, has leges non obligare, non ex defectu authoritatis, quaſi Eccleſia non poſſet hæreticos obligare, ſed defectu ipſius materiæ, quia ſcilicet fiunt impoſſibiles, ſive impracticabiles, cum ex obſervantia majora redundarent in religionem incommoda, & difficilior fieret eorum converſio, hinc etiam non revalidantur eorum matrimonia in gradibus ab eccleſia prohibitis contracta.

Quæres

ad N. 31. *Quæres V. An peregrini teneantur legibus locorum, per quæ transeunt?*

Resp. P. Engel hic tuetur negativam, probabilior tamen videtur affirmativa. Ratio est cum enim deobligentur legibus sui territorii, videntur obligari legibus territorii, per quod transeunt. Leges enim illæ affixæ sunt territorio; & vix unquam scandalum abest, neque aliter nisi sub hac conditione videtur transitus esse concessus. Sortiuntur autem semper forum prorogatæ jurisdictionis, sicut in casibus cit. Num. exceptis. E. g. Si leges sint latæ ad præcavendum grave damnum, ad servandam specialiter tranquillitatem reipublicæ de non gestandis armis, pro extraneis æque ac subditis: fiunt ergo subditi transeuntes, licet non permanentes.

Quæres VI. An Clerici politicis etiam Legibus stringantur?

Resp. Communior est sententia, quam tradit Author, quod directe ex defectu jurisdictionis non obligentur. Indirecte tamen, ut membra reipublicæ & in regula obligantur, & per privilegia fit tantum exceptio. Ergo per se loquendo, salvis eorum privilegiis, revera stringuntur. Sicut enim reges & imperatores, quoad ea, quæ concernunt animarum salutem obligantur legibus ecclesiasticis, sic etiam quoad ea, quæ concernunt salutem & tranquillitatem publicam etiam clerici obligantur politicis, cum sint membra reipublicæ, & de ejus commodis participent. Sunt tamen membra privilegiata. Hinc dixi notanter, salvis eorum privilegiis, quæ amplissime ipsis ab Imperatoribus fuere concessa. Christus ipse & Apostoli se subjecerunt potestati sæculari solvendo censum; & Apostolus ait: *omnis anima subdita sit potestatibus sublimioribus*, utique de sæculari loquens &c. Pœnis tamen coactivis tam facile non possunt compelli, quia hæ ex jurisdictione proficiscuntur.

Quæres VII. Cur hæc privilegia Clericis concessa?

Resp. Cum nihil æque subditos in obedientia contineat, quam religio, ea autem in honore & æstimatione sit, si Doctores ejusdem honorentur, principes videntes inde maximam sibi securitatem nasci, tam amplis privilegiis religionis Doctores exornarunt. Quod enim ferro & igne evincere non poterant, id sola religione stabilitum est.

Egit

Egit hactenus Author de subjecto legis. Jam tractat de effectu legis. ad N. 36.

Quæres VIII. An Leges humanæ obligent in Conscientia?

Resp. De lege Ecclesiastica minus videtur esse dubium. Cum enim hæc dirigat conscientias in ordine ad æternam salutem, has utique etiam poterit obligare. De civili dubitandum videtur, quia leges non agunt ultra legislatorum intentionem, Cap. ult. de præbendis, sæcularium autem intentio non sit ferre leges in ordine ad conscientiam. Hoc tamen non obstante respondendum est affirmative. Ratio est ex Apostolo, quia rex est minister Dei; & ad Rom. 13. generaliter præcipitur, obediendum esse omnibus superioribus etiam discolis; maximeque inculcatur obedientia, & simul insinuatur obligatio in Conscientia v. 5. cit. cap *ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Ad rationem obstantem resp. Reges omni meliore modo, quo possunt, velle obligare, ergo etiam in conscientia, cum ut Dei ministri hanc habeant potestatem.

Aliqui, qui non satis distinguunt jus naturale, gentium, & civile, dicunt obligationem in conscientia inde oriri, quia hæ leges sunt determinationes juris naturalis, sed sic nimis remote obligationis ostenditur origo, quatenus jus naturale dictat omnibus superioribus justa præcipientibus obtemperandum esse non proxime, uti fit, si aliquis actus jam in specie sit præceptus vel prohibitus, & dein determinatio accedat. Uti v. g. lex de confessione annua est determinatio juris divini, quod præcipit agere pœnitentiam; item de Communione Paschali &c. quia hic tantum tempus determinatur, actus autem jam sunt in specie præcepti. Proxime ergo oritur ex authoritate, quam reges a Deo habent, tanquam ministri Dei. **Unde oriatur hæc obligatio in conscientia.**

An autem lex generaliter obliget in conscientia, hoc ex materia vel per se gravi, vel circumstantiis, vel pœna adjecta, vel ex fine & intentione legislatoris colligendum. Sic præceptum Adamo injunctum ex fine erat grave, quia Deus per hoc sibi voluit exhiberi primum actum obedientiæ generis humani &c. sed quæres

ad N. 37. *An omnis lex obliget in conscientia?*

Resp. Excipitur, si lex se fundet in præsumptione, uti in hærede non conficiente inventarium, in dante chirographum non numerata pecunia, & veritas præsumpta non subsit. Hinc tamen bene observandum, leges aliquas fundari in generali & communi periculo; alias in præsumptione particularis facti; si lex fundetur in communi & generali periculo, tunc etsi in uno vel altero casu non subsit periculum, legis tamen obligatio manet &c. Nam quare v. g. prohibita est fornicatio lege naturali? Resp. Ob commune periculum, ne proles male educentur. Jam si rex vel dives aliquis optime vellet educare prolem ex fornicatione susceptam, an propterea licita fieret in hoc casu fornicatio? Resp. Negat. Quia lex non fundatur in periculo actualis malæ educationis, sed in communi & generali periculo, quod per hunc casum non tollitur. Item, quare potius licet occidere aggressorem vitæ & maximæ partis bonorum, si in continenti non aliter possent recuperari, quam aggressorem honoris? Respondetur, quia honor est bonum imaginarium neque tam facile potest taxari, & commune subest periculum, ne mundus cædibus repleretur. Sic quilibet vel minime læsus suum honorem maxime vulneratum crederet & læsorem occideret. Si autem lex fundatur in præsumptione facti particularis, & hoc non subsit, lex etiam non obligat.

ad N. 41. Aliud est si lex fundetur in fictione, hoc etiam in conscientia locum habet. Fictio enim non fit ab hominibus, sed a jure, & est, quando manifesta falsitas pro veritate, aliqua æquitate sic suadente, assumitur. Sic jura fingunt; hæredem eandem esse personam cum defuncto, adeoque hic in conscientia, tenetur exonerare conscientiam defuncti; modico tempore absens, qui fictione juris præsens habetur, fructus salva conscientia retinet.

ad N. 42. Altera exceptio est, si lex sit mere pœnalis. In hoc autem maxima est difficultas, quænam lex sit pure pœnalis. Subinde enim legislator adjicit pœnam non ad tollendum reatum, sed ad aggravandam conscientiam, ut, quos reatus non absterret, pœna saltem cohibeat. Si ergo lex non sit clara, hoc ex communi mente & sensu doctorum est colligendum.

Quæres jam, an teneatur quis in conscientia ad pœnam. Pœna alia est ferendæ, alia latæ sententiæ. Quænam sit ferendæ, vel latæ sententiæ, ex verbis legum intelligendum venit; si v. g. ipsa lex actu infligat pœnam dicendo: ipso facto sit excommunicatus, ipso jure sit privatus &c. est pœna latæ sententiæ; si autem dicat: excommunicabitur, privabitur &c. est pœna ferendæ tantum sententiæ. Jam si sit latæ sententiæ, distinguendum est, an pœna sit exterior, quæ ad sui executionem requirat actum exteriorem, & privet jure jam quæsito, & tunc non obligat, nisi post sententiam declaratoriam. E. g. Canones dicunt, Clericus homicida ipso jure sit privatus suo beneficio, an statim post homicidium tenebitur dimittere beneficium? respondetur, quia agitur hic de jure jam quæsito, non tenetur ante sententiam declaratoriam. Leges enim debent esse humanæ & humanitus obligare, non nimis arduæ & difficiles; nimis autem arduum esset, hanc pœnam statim in se exequi.

Si autem pœna non sit exterior, neque privet jure quæsito, neque ad executionem actum exteriorem requirat, sed tantum inhabilitatem & pœnam spiritualem inducat, obligat in conscientia etiam ante declaratoriam judicis sententiam, uti sunt irregularitates; &c. Si sit pœna ferendæ sententiæ, requiritur sententia condemnatoria.

Quæres, quid ergo in effectu intersit, si sententia condemnatoria vel declaratoria requiratur. Resp. Sententia declaratoria retro trahitur ad tempus commissi delicti, condemnatoria autem incipit a tempore dictæ sententiæ: si e. g. dicatur: qui commiserit homicidium, privabitur suo beneficio: qui vero simoniace acceperit beneficium, ipso jure sit privatus, & utrumque primo Januarii commissum fuisset delictum; primi pœna hodie inciperet, alterius retro trahitur, ita ut fructus perceptos teneatur transgressor ab illa die restituere.

In hoc tamen adhuc prodest sententia declaratoria, quod fructus perceptos interea & consumptos, nisi locupletior sit factus, non teneatur restituere.

Movet hic Author dubium; an leges tributorum & vectigalium obligent in conscientia? & resp. aff. ex rationibus in Authore adductis. ad N. 46.
Monendum tamen venit, defraudatorem tributi & vectigalis maxime

 noviter

noviter impositi in Confessionali non esse facile condemnandum gravis peccati & restitutionis, uti nec pœnæ subeundæ ante sententiam Judicis, quia multæ requiruntur Conditiones, ut ejusmodi onera juste imponantur, pluresque sentiunt, ejusmodi Leges tributa &c. imponentes esse mere pœnales.

ad N. 47. Ulterius quæres in hoc numero de effectu legum irritantium, quæ non tantum prohibent sed plane irritant, & annullant actum, hic inprimis quæri potest

An omnis lex prohibens actum sit etiam simul irritans?

Et Resp. in regula affirmative, excipe, nisi prudenter ex circumstantiis, ex verbis Legis, ex communi persuasione & sensu Doctorum colligi possit, Legislatorem duntaxat actum prohibere, non vero simul irritare voluisse. Patet assertio ex claris textibus juris lege quinta C. de LL. *ea quæ lege fieri probibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam baberi, licet legislator fieri probibuerit tantum, nec specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est*, & confirmatur ex locis citatis, ab Authore folio 40. Quod ergo dicitur in capite 16. de Regularib. *multa fieri probibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* Est tantum exceptio ab hac regula; sicut ea, quæ de matrimonio sine denuntiationibus contracto &c. Author adducit in N. 49.

ad N. 54. *Quæres hic potissimum, an leges irritantes actum pro foro externo, irritent eundem etiam pro foro interno, uti author exemplum adducit in testamento solennitatibus debitis destituto?*

Resp. Dantur utique leges, quæ non assistunt actui, non tamen tollunt internam ejus obligationem, uti jura romanorum pactis nudis. Potest enim legislator pro foro externo & interno tollere obligationem, uti in Con. Trid. de matrimonio certum est, & ex energicis ejusdem verbis patet. Quæstio igitur eo recidit, si lex non tam energica verba adhibeat, nihilominus actus irritatus pro foro externo sit etiam pro foro interno irritatus; & Resp. affirmative, quia in regula omnis lex justa pro foro externo est etiam justa pro foro interno, & quam maxime debemus allaborare, ut forum internum cum externo concordet. Quæ enim alias oriretur confusio, si judex adjudicaret, & ille

in

in conscientia non teneretur. Dein lex est domina rerum, ergo potest ex justa & publica causa uni auferre dominium, & transferre in alium. Denique duo requiruntur ad valorem actus, voluntas, & potentia. Cum autem desit in condente testamentum non paganum vel privilegiatum potestas, actus simpliciter erit nullus, nisi hæres sponte voluntatem testatoris agnoscat. Plures rationes vide in Authore, ubi respondet etiam ad argumenta contraria.

§. IV.

De Promulgatione, acceptione, & abrogatione legum.

Nolumus hic immorari speculationibus illis: an promulgatio sit pars essentialis. Sufficit eam esse conditionem sine qua non & essentialiter requisitam; nemo amplius ambigit ad inducendam obligationem requiri promulgationem legis. Non enim leges mere positivæ sunt scriptæ in cordibus, sed extrinsecus proveniunt, & aliunde debent innotescere, aliud est de jure naturali. Circa modum autem, quomodo debeat promulgari lex, magna est dissensio. In jure civili Nov. 66. præscriptus est certus modus pro legibus civilibus, ut scilicet non obligent, nisi post promulgationem in metropolibus, & elapsis a promulgatione duobus mensibus. Pro Ecclesiasticis generalis modus non est determinatus; in Concilio quidem Trid. determinatus est modus pro decreto irritante matrimonia clandestina, ut in singulis parochiis promulgetur, & post 30. dies a promulgatione obliget, ubi ergo ejusmodi modus est determinatus, exacte debet servari, & quia hoc decretum in multis parochiis ob Lutheranismum non fuit promulgatum secundum modum a superiore præscriptum, etiam non obligat.

Habemus quidem in hac materia stilum curiæ, ut bullæ Pontificiæ statim obligent in universo orbe, quam primum Romæ fuerint promulgatæ, & in locis consuetis, in acie Campi Floræ, Basilica Apostolorum, Basilica S. Joannis, in Cancellaria &c. affixæ. Sed

Quæres I. Quid de hoc stilo sentiendum, an sit sufficiens ad inducendam obligationem in toto orbe promulgatio Romæ tantum facta?

Resp. Negat. Promulgatio enim, ut sit sufficiens, debet esse talis, ut possit majori & potiori orbis parti innotescere, per hanc autem promulgationem non sufficienter innotescit, ergo.

Si ais: Roma eſt orbis domina, ubi eſt concurſus omnium gentium, ubi ex omnibus nationibus Catholicis habentur Agentes, ergo ſatis poteſt innoteſcere. Reſp. Ad obligationem legis non ſufficit notitia incerta & vaga ex litteris & novellis, ſed requiritur certa, authoritativa, & publica, ne ſubditi fraudibus exponantur. Hæc autem ex iſta promulgatione non habetur: ergo.

Si ais 2. habentur in bullis iſtis clauſulæ, ut ſtatim obligent, quam primum fuerint Romæ promulgatæ. Reſp. Hæ clauſulæ ſunt noviſſimæ diſciplinæ, & non habent majorem authoritatem, quam lex ipſa. Deficit enim promulgatio eſſentialiter requiſita, ut poſſit potiori orbis parti innoteſcere. Ex defectu hujus legitimæ promulgationis multæ bullæ non obligant.

Quæres, quis ergo modus ſervandus in promulgatione legum Eccleſiaſticarum? Reſpondetur: Juſtinianus in novella 6. Cap. 8. in Epil. §. 1. modum valde conformem antiquæ diſciplinæ & utilem promulgandi leges eccleſiaſticas præſcripſit, ut ſcilicet Patriarchæ eas proponant in Eccleſiis ſub ſe conſtitutis, & eas manifeſtas faciant Metropolitanis, hi iterum illas in ſuis proponant Eccleſiis, & manifeſtent Epiſcopis, qui in ſuis pariter diœceſibus eas promulgent. Cum ergo in jure Canonico modum expreſſum & determinatum non habeamus, jus autem Canonicum in iis, quæ clara & determinata non ſunt, in materia non concernente ſalutem animæ jus civile ſequatur, hic optimus erit modus, & antiquæ diſciplinæ apprime conformis, ubi ſemper in Conciliis provincialibus leges Conciliorum Generalium fuerunt promulgatæ.

Quæres II. Quare ergo introductus ſit iſte Stilus Curiæ?

Reſp. Quia paſſim hodie in orbe Chriſtiano, ipſo adeo regno Neopolitano, quod tamen eſt feudarium Romani Pontificis, Reges & principes ſæculares non permittunt publicationes, antequam leges iſtæ ſint a parlamentis vel magiſtratibus reviſæ, & approbatæ, & regis conceſſus accedat, qui vocatur placetum regis, de quo ſupra jam egimus, id quod diſplicet admodum Romanis, ideo hunc ſtilum introduxere.

Quæres

Quæres III. An reges & principes ſæculares bene faciunt, quod velint prius inſpicere, revidere, & examinare leges eccleſiaſticas, annon ſint contra libertatem eccleſiarum, jura imperii &c.

Reſp. Axioma juris eſt, *melius eſt jura intentata ſervare, quam poſt vulneratam cauſam medium quærere.* Cum ergo iſtæ leges, ſi non ſint de fide & dogmaticæ, multum dependeant a circumſtantiis, & externam politiam concernant, adeoque ſic attemperari non poſſint, ut non ſubinde repugnent inveteratis regnorum moribus, & conſuetudinibus, ſtatutis & juribus, ſanctionibus pragmaticis & rationi ſtatus, ita ut ex earum promulgatione motus & turbæ ſæpius excitari ſoleant; Regum autem & principum ſit, jura regni & ſui ſtatus defendere, & omnem turbarum cauſam avertere: poſſunt utique jure defenſionis has leges inſpicere, revidere, examinare, & illas approbare. Hæc autem reviſio & approbatio non eſt jurisdictionalis, ſed ut dictum eſt provenit ex jure defenſionis, nihilque eſt aliud, quam teſtimonium, has leges nihil continere contra jura imperii, & ſi in his terminis conſiſtant principes, non video, quomodo placetum regis ſit improbandum. Religio enim non debet evertere regionem, neque regio religionem, ſed ut duæ ſorores ſe debent invicem juvare. Aliud eſſet, ſi ex æmulatione, & odio nollent permittere promulgationem, quod tamen de ſummis imperantibus non eſt præſumendum. Hæc de promulgatione, nunc de acceptatione Legum agendum venit.

Quæres IV. An ad leges requiritur acceptatio? ad N. 68.

Sæpiſſime audivimus, legem non obligare, quia non eſt acceptata, & in Cap. in iſtis 3. diſt. 4. dicitur. *Leges inſtituuntur dum promulgantur, firmantur, cum moribus utentium comprobantur.* Sed hoc de extrinſeca magis, quam intrinſeca legis firmatione intelligendum, adeoque per ſe loquendo, niſi in ſtatu democratico non requiritur acceptatio legis quaſi ad complendam & perficiendam poteſtatem legislatoris. Hinc ſine acceptatione obligant.

Interim tamen, quia præter poteſtatem in legislatore plures conditiones requiruntur, ex parte ipſius legis: ut videlicet ſit *honeſta, poſſibilis, loco temporique conveniens, neceſſaria, utilis &c.* & quidem in concreto, ut mos eſt loquendi, non in abſtracto, hinc ſi lex non ſit acceptata ſignum eſt eam deficere in requiſitis conditionibus, ſicque

accepta-

acceptatio vel non acceptatio habet ſe a poſteriori ad legis obligationem &c. Obſerva inſuper ab Alexandro VII. hanc propoſitionem eſſe proſcriptam: Populus non peccat, etiamſi absque juſta cauſa non recipiat legem a Principe promulgatam.

Inferes: Si autem ad Legem v. g. Eccleſiaſticam non requiratur acceptatio populi, ergo non poteſt opponi exceptio *de non Recepto*, vel legem non eſſe receptam; cum tamen multæ conſtitutiones Pontificiæ ſicut & leges Tridentinæ &c. non ſint receptæ ac vel ideo non obligent. Reſp. Exceptionem illam opponi, non, quaſi receptio eſſet ratio a priori, daretque legi vim obligandi, aut ſine ea Legislator mancam haberet authoritatem, ſed quia receptio a poſteriori & ex conſequenti ſe habet ad legitimas legis conditiones, ex quarum defectu lex nec uſu recipitur, nec vigorem acquirit.

Expediret proin ad evitandas frequentes exceptiones, ſi Pontifex prius peteret informationem ab Epiſcopis proprio jure in Diœceſibus utentibus, num lex ferenda loco, tempori, genio moribusque populi &c. ſit conveniens, utilis & practicabilis; regimen enim Eccleſiæ ex natura ſua eſt paſtorale, ſuave, Ariſtocratia temperatum non pure Monarchicum, multo minus deſpoticum. Neque id præjudicaret poteſtati Pontificiæ, ſicut nec Imperatoribus olim in præjudicium ceſſit, quod legem quamdam univerſalem condere volentes, prius Præſides, vicario modo provincias gubernantes, & notitiam pragmaticam ſubditorum habentes, conſuluerint, an lex indoli, conſuetudini & ipſius populi congrua & practicabilis videretur. Talis enim informatio eſt res facti, & facta prudentiſſimos etiam latere queunt.

ad N. 70. *Quæres V. An Pontifex etiam poſſit derogare Conciliis Generalibus?*

Reſp. Hæc quæſtio iterum dependet ab illa quæſtione præjudiciali: an ſit infra vel ſupra Concilium. Galli, licet eum infra Concilium eſſe defendant, vi tamen primatus authoritatem illi concedunt moderandi & temperandi leges Conciliorum Generalium, excipe niſi leges fundentur in jure naturali & divino. Sicut enim illud jus eſt indiſpenſabile, inabrogabile, ita etiam ipſæ leges. Et licet hinc inde non obſerventur, tamen non poſſunt dici abrogatæ, ſicut præcepta decalogi, ex eo, quod non obſerventur, non ſunt abrogata. Aliud enim eſt non

non obſervari, aliud abrogari. In alia ſententia quæ defendit Pontificem ſupra Concilium, res per ſe clara eſt.

Imprudentem & futilem quidam Authores Pontifici nimium adulantes movent hic quæſtionem, eamque tuentur: Quod ſcilicet SS. Pontifex poſſit abrogare totum jus Canonicum. Sed pro qualem tunc habebimus Rempublicam ſacram? Magnifice quidem de Pontifice ſentire oportet, ſed & ſobrie in his præcipue partibus loqui decet: Pontifex enim non duntaxat ex plenitudine poteſtatis, verum & ex plenitudine juſtitiæ agere tenetur. Specialis etiam hic movetur quæſtio circa Conc. Trid.

An ſcilicet Pontifici major poteſtas competat circa abrogationem decretorum Conc. Trid. quam aliorum.

Conc. Trid. ſeſſione XXV. Cap. 21. declaravit, ut in decretis de reformatione ſub quibuscunque clauſulis: *Salva ſemper authoritas ſedis Apoſtolicæ & ſit, & eſſe intelligatur.* Hoc Romani ita explicant: ut ſalvum ſit arbitrium, & voluntas Pontificis; & in praxi majorem tribuunt ipſi poteſtatem circa hæc decreta. Sed hoc eſt contra mentem Conc. Trid. & ideo tantum addita ſunt illa verba, quia maxime a proteſtantibus oppugnata fuit authoritas Pontificis, pariter enim alia concilia, licet non expreſſe, eam ſemper ſalvam voluere. Hinc etiam in bullis ſemper additur, ſi quid contra Conc. conceditur: *per hoc tamen nolumus derogare decretis Conc. Trid.* Alias generaliter reſcriptum, quod continet aliquid contrarium Concilio Generali, cenſetur, ſub- & obreptitie obtentum.

Quæres VI. An Pontifex etiam Concordatis Germaniæ poſſit derogare?

Reſp. Si ſtilum curiæ ſequamur, liberrime poteſt his derogare Pontifex. Ajunt enim Romani, hæc concordata ex parte Pontificis eſſe meram gratiam & privilegium, & contractum claudicantem, qui nationem tantum in vim Pacti obligaret. Gratioſæ autem conceſſioni pro libitu derogari poteſt; ſed in hoc non ſtilus curiæ attendendus eſt, ſed litteram, mentem, & hiſtoriam, tanquam lucem & ducem ſequi debemus. Cum autem ex his conſtet, concordata eſſe pacta publica; hæc autem ſummos etiam Imperantes ſtringant, non poteſt, utique invita parte altera iis derogari. Hinc Natio etiam ſibi proſpexit, ſiquidem

dem Imperator semper in suis capitulationibus jurare debeat, se hæc concordata contra sedem Pontificiam defensurum. Vide Capit. Francisci primi. Art. 24.

Quæres VII. An instrumento pacis possit derogare?

Resp. Videtur affirmative, quia revera Innocentius X. in bulla, *Zelo domus Dei:* illud annullavit & cassavit. Instrumentum autem Pacis Art. 17. §. 3. ait, contra hanc pactionem nullas excogitabiles abrogationes, contradictiones, & exceptiones &c. valituras. Cum ergo principes, ut supra dictum, non excesserint suam sphæram, sed œconomice tantum, non dogmatice & definitive statuerint, & magis regulam vivendi quam normam credendi præscripserint: per hanc & similes protestationes Pontifex non potuit unquam illi derogare, sed ideo id tantum fecit, ne tacite videretur illud approbare, &, quod est facti, in usum juris emergeret.

ad N. 73. Post abrogationem & derogationem sequitur declaratio. Subinde enim lex ob verba obscura vel circumstantias, quas non potuit legislator prævidere, indiget interpretatione. Sæpe etiam lex, quæ debet esse utilis, in quibusdam circumstantiis evaderet noxia, nisi fieret declaratio.

Quæres VIII. Quid est declaratio?

Resp. Legis obscuræ, vel dubiæ, vel ob certas circumstantias nimis arduæ, difficilis vel noxiæ interpretatio. Si verba legis sunt dubia & obscura, proprie dicitur declaratio. Si autem ob certas circumstantias evaderet nimis dura, & difficilis, vocatur Epiikia. Epiikia vero est acceptatio legis secundum æquum & bonum, ob speciales circumstantias.

Quæres IX. In quo casu valeat Epiikia?

Resp. Si lex nimis dura, & loco hujus, quod sit utilis, noxia evaderet, ob certas & speciales circumstantias, casusque de novo emergentes.

Quæres X. Quotuplex sit interpretatio legis?

Resp. Triplex. *Authentica*, quando ipse legislator vel superior, vel ejus successor legem interpretatur. Qui enim tulit legem, vel

vel est superior lege, ille etiam eam potest authentice interpretari; & hæc interpretatio, quia vim legis habet, ideo vocatur decisiva. *Bene tamen adverte* si ipse solus legem condiderit. Hinc

Quæres XI. An ad solum Pontificem pertineat interpretatio Concordatorum?

Resp. Secundum stilum curiæ & eorum principia utique esset affirmative respondendum, uti famosam etiam habemus interpretationem Greg. XIII. In Concordatis legitur: si beneficium in mense Papali vacaverit, & intra tres menses, a die notionis, in loco vacaturæ *non apparuerit;* provisum esse a Pontifice, provideri posse ab Episcopo. *το non apparuerit*. Pontifex interpretatus est, idem esse, ac *si non provisum fuerit*, contra verba satis clara. Sed Resp. Negat. sunt enim pacta publica, quibus, sicut non potest derogare, nisi in Concilio Generali, & cum consensu Nationis, uti expresse habetur in concordatis, sic etiam solus non potest illa interpretari; qui enim condidit, ille potest legem interpretari; atqui solus Pontifex concordata non condidit, ergo: Eodem modo ipsius etiam non est interpretari Instrumentum Pacis Westphalicæ. Sic etiam dicasteria imperii non possunt interpretari leges Pragmaticas, sed ad Comitia hoc pertinet; Illa enim eas leges condiderunt.

Alia est usualis, quæ fit ex consuetudine & observantia, regula juris est: *Consuetudo est optima legum interpres;* & si consuetudo & observantia vigeat, & sæpius eodem modo in iisdem circumstantiis ex lege dubia decisum est; judex tenetur illam consuetudinem sequi. Hæc consuetudo in dicasteriis vocatur stilus curiæ.

Demum Interpretatio doctrinalis est, quæ fit ab Authoribus & Doctoribus circa legem dubiam. Hic non tam ad numerum, quam ad famam, doctrinam, fundamenta & solidas rationes respiciendum. Sæpe enim, ut aves & oves se invicem sequuntur Authores, & sunt testes ex auditu, debent ergo examinari ut testes, eadem enim, quæ constituunt bonum testem, scilicet bona fama, morum integritas, & rei, de qua fit testimonium, recta notitia &c. bonum pariter commendant authorem.

Circa interpretationem doctrinalem author varias dat regulas, quas vide & sequere, & ad N. 82. adhuc adde, quia correlativorum & æqui-

æquiparatorum in jure est eadem ratio, hinc quæ in matrimonio de viro, etiam de uxore statuta censentur, & quia legata & fideicommissa in jure sunt æquiparata, quod de uno, etiam de altero procedit.

ad N. 85. Ultimo agit author de dispensatione. Cujus usus cœpit Sæc. XII. exortis variis circumstantiis, casibus & causis, quæ rigorem Canonum mutare aut lenire suaserunt. Et generaliter hic tantum adverte, leges naturales & divinas plane esse indispensabiles, licet hinc inde declarari possit, objectum legis sub jure naturali non contineri, ut alibi jam explicatum est. Item, dispensationem legum scilicet positivarum, quæ secundum antiquum Ecclesiæ stilum temperatio Canonum dicebatur, *non debere esse arbitrariam*, est enim vulnus legis, quod absque necessitate & utilitate non est infligendum. Ideo Concil. Trident. in quadam sessione maxime in hoc perstrinxit Curiam Romanam circa abusus, licet ex prudenti œconomia eam non nominaverit. Demum inter rationes seu causas dispensandi, quæ sunt utilitas & necessitas id discriminis intercedit, quod necessitas tam privata quam publica sufficiat ad obtinendam dispensationem; utilitas autem necessario debet esse publica.

TITULUS III.

De Rescriptis.

ad N. 1. Quænam sit origo Rescriptorum, & quo tempore invaluerint, vide in proœmio. Alio nomine etiam vocantur decretales, & nihil aliud sunt, quam litteræ, quæ ad consultationem, relationem, supplicationem, vel instantiam a Pontifice dantur. Faciunt jus universale, quia vel Pontifex voluit illas extendere ad similes causas, vel quia relatæ sunt in Corpus juris; & ex maxima parte Corpus juris hisce constat, ideo traditur hic rescriptorum explicatio.

ad N. 2. Ad hoc autem, ut obtineatur rescriptum, semper debet ipsi Pontifici in scriptis dari supplicatio; & rescriptis gratiæ Pontifex inscribit: *Placet*, rescriptis autem justitiæ; *fiat*, & hæc inscriptio vocatur signatura, hac tamen obtenta, antequam expediantur litteræ Apostolicæ, non possum adire possessionem beneficii forte obtenti, sed haberer intrusus, & eo ipso privarer. Rescriptorum etiam semper denominatur executor, qui in foro externo non potest esse nisi Prælatus in dignitate

tate constitutus, quia repræsentat Curiam & summum Pontificem. Prælatis etiam accensentur Canonici Ecclesiarum Cathedralium: in foro interno potest esse quilibet Confessarius.

Differunt rescripta ulterius in forma, ratione cujus alia dicuntur *Brevia*, alia *Bullæ*.

Brevia dicuntur, quia sunt litteræ breviores, quæ sunt scriptæ in membrana alba & nitida, stilo eleganti, planiore, & intelligibili, & signatæ annulo piscatoris impresso ceræ rubræ, quæ circumdata est filo cannabis. Sigillum dicitur annulus piscatoris, quia repræsentat Petrum jacientem rete in mare. Et quia, mortuo Pontifice Brevia non possunt expediri, statim post mortem Pontificis a Cardinale Camerario hoc sigillum frangitur. *Bullæ*, quæ sunt scriptæ in membrana subnigra, stilo longiore, & antiquo charactere Gallico, quo usi sunt Avenionenses Pontifices, continent plures abbreviationes, suntque lectu difficiles, habent appositum sigillum plumbeum, quod vel ex filo serico, si sint rescripta gratiæ, vel ex filo cannabis, si sint rescripta justitiæ pendet. Sigillum ex una parte repræsentat duo capita SS. Petri scilicet & Pauli cum Cruce in medio, in altera autem parte insignia Pontificis.

Hæ Bullæ expediuntur in Cancellaria. Quia autem hæc tenacissima est stili, & Pontifices Avenionenses hunc stilum introduxere, ideo etiamnum retinet hos characteres & modum expediendi Bullas.

Magis dicendum est duas tantum partes continere, quarum prior narrativa vel enunciativa, altera dispositiva dicitur. In decretalibus non ad partem enuntiativam, sed dispositivam attendendum est. De Stilo Curiæ Romanæ semper tenor totius supplicationis inseri debet rescripto, non item in aliis dicasteriis, ubi tantum adjungitur copia. ad N. 6.

Generaliter ergo, si alligetur factum, super quod se fundat intentio rescribentis, illud debet ab allegante probari, sicut omne factum dubium in quolibet judicio debet probari. Suas tamen regula habet exceptiones in Authore. Primo, si alleget factum proprium, secundo, si habeat clausulam motu proprio, & non sit in præjudicium tertii. Fusius vide Authorem. ad N. 9.

Famosa hæc est exceptio sub- & obreptionis, quæ frequentissime solet opponi; Si enim nolim dicere, principem excessisse sphæram suæ potestatis, hanc oppono exceptionem, & est hæc unica, quæ opponi ad N. 11.

 potest

poteſt mandatis ſine clauſula emanantibus. Debet autem concernere qualitatem facti, quod præciſe qualitas facti non ſubſiſtat, non autem petitorium, & merita cauſæ reſpicere.

Quæres I. Quem effectum habet iſta exceptio?

Reſp. Circa hanc famoſum habemus Cap. *ſuper litteris* 20. ſi quid ex adverſo opponitur, judex non debet reſcriptum executioni dare, ſed deſuper prius cognoſcere. *Impetrans* autem, ſi factum dubium vel obſcurum alleget, debet illud probare. Si ſit *doloſum*, omni caret effectu, & ſi impudens eſſet dolus, & mendacium, pœnis inſuper extraordinariis impetrans debet puniri, & impenſas tenetur, & omne damnum refundere. Si non ſit doloſum, ſubdiſtingue cum Authore, an veritas occultata ſit cauſa motiva vel non. Eum ſequere.

ad N. 12. Hic potiſſimum attendendus eſt Stilus Curiæ. De Stilo autem Curiæ, ſi quis tenuiſſimum beneficium vel duorum florenorum non exprimat etiam ignorans, reſcriptum eſt nullum. Quandocunque enim, quæ vel de jure communi vel Stilo Curiæ ſunt exprimenda, non ſunt expreſſa, reſcripta non valent, quia hæc ſunt de forma. Patet hinc, non quemlibet poſſe pro obtinendo beneficio ſupplicationem facere, quia accurate omnia debent exprimi, ad quæ ſpecialis requiritur notitia.

ad N. 16. Habemus hic etiam regulam Cancellariæ, in qua Pontifex proteſtatur, ſe nunquam juri tertii præjudicaturum. Hinc ut valeat reſcriptum contra jus tertii, nominatim debet in illo exprimi, non obſtante regula Cancellariæ de jure tertii non tollendo. Alias nunquam valet quæcunque addita ſit clauſula v. g. *motu proprio* &c. Si cum clauſula ſublata, (ſubintellige omni poteſtate contra-quidquam dicendi, hæc etiam vocatur clauſula oris) emanarit, debet recurri Romam pro apceritione oris, ſicut in aliis judiciis contra juramentum de non agendo, recurritur ad relaxationem juramenti. Læſio autem non debet plene ſed tantum veroſimiliter probari.

In praxi & de Stilo Curiæ Pontifex nunquam reſcribit contra jus commune Conciliorum Generalium, licet ſæpius contra decretales, ſicut etiam juri tertii nunquam vult derogare, ſic nec juri communi Conciliorum Generalium. Niſi nominatim fiat mentio, a qua praxi exceptum eſt Concilium Tridentinum. Huic etiam cenſetur derogare, etſi

etsi non fiat illius mentio, quia majorem circa hoc potestatem sibi Pontifex arrogat ex ratione alibi notata.

Pariter non valet rescriptum contra Concordata Germaniæ, illique opponitur exceptio sub- & obreptionis, etsi Pontifex expressæ derogationis mentionem faceret. Si enim non valeat contra jus tertii privati, multo minus valebit contra jus tertii, totius Nationis.

Si Pontifex hac exceptione non contentus urgeret executionem, deberet recurri ad Imperatorem tanquam defensorem Concordatorum.

Sic etiam Imperator & summa Imperii dicasteria ex recessu Imperii de anno 1654. & ex novissima Francisci primi Imperatoris Capitulatione non debent ad instantiam subditorum contra Principes & Dominos territoriales rescribere, nisi petitis ante litteris informatoriis, ne scilicet reverentia subditorum erga Principes tollatur.

Hæc exceptio opposita est Moguntiaco Archiepiscopo contra Herbipolensem rescribenti in causa Buchheim.

Neque Pontifex vel alius superior Ecclesiasticus, v. g. Archiepiscopus, ad instantiam Clericorum contra Episcopum vel Prælatos debet rescribere, nisi petita prius informatione, præcipue si ex officio Pastorali procedat, multo minus censuras & pœnas intentare ex paritate rationis.

Rescripta ergo gratiæ sub- & obreptitie obtenta sunt ipso jure nulla. Rescripta autem justitiæ eliduntur tantum ope exceptionis. Hinc **ad N. 17.**

Quæres II. An judex teneatur monere?

Resp. In rescriptis gratiæ tenetur monere ex officio, neque potest illa executioni dare, sed debet desuper referre ad Pontificem. Interest enim Reipublicæ, cum hæc rescripta tendant ad officia publica, dignitates &c. Et non adest pars adversa, quæ excipiat. Ubi autem deficit provisio hominis, intrat provisio juris.

In rescriptis autem justitiæ potest quidem monere, quia est exceptio juris, non tamen tenetur, quia est exceptio in favorem tertii introducta, favori autem pro se introducto quilibet potest renunciare. Si ergo tertius eam non opponat, renuntiasse censetur.

Excipitur tamen, si sit causa in jure favorabilis, v. g. Pupillorum, ecclesiarum, viduarum. Hic enim debet attendere ad exceptionem, neque potest executioni dare, si quid contra Pupillum, Eccle-

siam,

ſiam, &c. ſub-vel obreptitie reſcriptum eſſet, etſi etiam non opponatur hæc exceptio. Id quod recurret de officio judicis.

ad N. 20. In Gallia re adhuc integra morte Pontificis non exſpirant litteræ etiam commiſſoriales; Ajunt enim has non eſſe attributorias novæ poteſtatis, ſed excitatorias tantum poteſtatis, quæ in habitu jam adeſt. Ea autem, quæ ex pœnitentiaria emanant, non exſpirant morte concedentis, in dataria autem, ſi datur mandatum diſpenſandi, providendi de beneficio &c. illud exſpirat. Reliqua, quæ circa finem tractat author, pertinent ad Concordata.

TITULUS IV.

De Conſuetudine.

Celebris eſt diviſio juris in ſcriptum, & non ſcriptum ſive conſuetudinarium. *Jus ſcriptum* dicitur, quod conſtat expreſſa legislatoris voluntate, & plerumque etiam in ſcripturam redigitur, jus non ſcriptum ſubdividitur in traditum & conſuetudinarium. *Traditum eſt*, quod quidem conſtat expreſſa legislatoris voluntate, in ſcripturam tamen non eſt relatum, ſed de ore ad os, de manu ad manum; uti loquimur, ad nos pervenit. Adeoque accidentaliter tantum, non eſſentialiter differt a jure ſcripto.

Quæres I. Quotuplex ſit jus traditum?

Reſp. Duplex, divinum & humanum. Utrumque admittendum eſſe ſatis probant theologi. Sine divino enim, neque ſacra ſcriptura, neque alia multa myſteria ſe manifeſtant. Sine humano ritus & ceremonias non intelligimus.

Nota. Cum videant proteſtantes hiſce ceremoniis & ſolenni cultu multos ad Catholicam fidem affici & allici, traducunt nimium quantum has ceremonias, Eccleſiamque Judaizare & paganizare volunt, cultumque Evangelicum ſimplicem & in ſpiritu ponendum dicunt, quia Deus eſt ſpiritus, in ſpiritu & veritate colendus.

Reſpondemus utique eſſentialis, primarius & ſubſtantialis Dei cultus in ſpiritu, in fide, ſpe, charitate, humilitate, obedientia, interna mentis

mentis subjectione &c. subsistit. Interim tamen, quia nihil est in intellectu, ut philosophi loquuntur, quod non prius fuit in sensibus, & ut intellectus magnifice de re quadam sentiat, magnifice debet ipsi exhiberi, ideo introductæ sunt ceremoniæ, ut hominum præcipue rudium intellectus adjuvetur & excitetur, ut magnifice de Deo, sacramentis &c. sentiant.

Verum quidem est multas e Judæis & Paganis, ut facilior esset eorum conversio, assumptas esse ceremonias. Sed cum illæ ceremoniæ non essent superstitiosæ, imo potius a prudenti antiquitate tanquam ritus Deo debiti inventi, & ad falsos licet Deos ordinati, in se tamen excitatorii pietatis & devotionis, merito ab ecclesia assumi & ad verum Dei cultum ordinari potuerunt; quin propterea Judaizet vel paganizet: tollatur abusus, & maneat usus.

Consuetudinarium est ordinatio rationis, quæ constat tacita legislatoris voluntate, & ubi lex deficit, pro lege suscipitur, & hæc proprie est consuetudo, quæ est præter legem. Quæ enim est contra legem, potius abrogatio vel derogatio legis est, ut consuetudo vescendi intestinis, carnibus in quibusdam Diæcesibus diebus Sabbathinis a festo nativitatis usque ad festum purificationis &c. quæ vero est juxta legem, legis potius observantia, & usus dicendus.

Potissima divisio consuetudinis est, in consuetudinem facti & consuetudinem juris, prima etiam dicitur popularis, altera legalis.

Consuetudo facti sive popularis dicitur, quandó adest quidem usus populi & hominum, sed reliqua deficiunt requisita.

Ad omnem quidem consuetudinem requiritur factum, sed non solum sufficit, debet etiam insuper esse rationabilis actus prudentiæ & sapientiæ. Si ergo factum illud sit quidem potioris sed non sanioris partis hominum, signum est, consuetudinem esse facti non juris, quia populus plus ducitur ignorantia & passione, quam ratione. Non ergo in operatione ad multitudinem respiciendum, *spatiosa enim via est*, ait Dominus Matth. 7. v. 13. *quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam, arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam.*

Hujus consuetudinis in Cap. finali hoc titulo *dicitur non levis esse authoritas:* in sensu scilicet vulgi; licet contra legem non sit valitura,

 si

& rationabilis non sit. Scimus absurdissimas viguisse consuetudines, quæ non nisi maxima cum difficultate ob inveteratam diuturnitatem potuerunt abrogari: e. g. la fete de fous, in Gallia non nisi post Calvini sectam, qui hanc exprobrabant consuetudinem, aboleri potuit, probæ per ignem, per immersionem brachii in aquam calidam, saganum in aqua &c. difficillime suppressæ sunt. Hæc ergo consuetudo corruptela potius dicenda, si enim facta inducunt consuetudinem, etiam jam non amplius observanda præcepta decalogi.

Quæres II. Quid observandum in abrogatione ejusmodi consuetudinis?

Resp. Prudens & Zelosus pastor debet probe invigilare tempori, occasioni, circumstantiis &c. ne motus excitentur, & populi affectionem amittant, monitumque a Christo Domino discipulis datum ei observandum: *ne forte colligentes zizania simul eradicetis triticum, finite utraque crescere.* Matth. 13. v. 29.

Quæres III. Quænam sint requisita ad consuetudinem?

Resp. Triplicem esse consuetudinem, dictum est supra. Unde imprimis quæritur, quid requiratur ad consuetudinem præter legem, & respondetur: pleraque illa, quæ requiruntur ad legem scriptam. Cum enim hæc consuetudo pro lege sit, ubi lex deficit, debet etiam requisita legis habere, consequenter imprimis rationabilis esse, est enim ordinatio rationis. Quot actus requirantur, non est in jure determinatum. Relinquitur ergo prudenti judicis arbitrio. Ubi enim non est determinatio in jure, ibi generaliter intrat determinatio judicis. Interim certe requiritur 2do. Frequentia actuum, moribus enim & observantia introducitur, unus autem actus non constituit usum & observantiam. 3tio. Debent hi actus esse qualificati, certis qualitatibus vestiti, debent esse publici & notorii, uniformes; Inducunt enim toti communitati obligationem; non esse meræ facultatis, sed cum animo introducendi consuetudinem frequentati. Hinc auditio missæ diebus ferialibus, aspersio aquæ lustralis, recitatio salutationis angelicæ &c. non sunt consuetudines obligantes, actus enim ultra intentionem agentium non operantur. 4to. Debent esse continuati legitimo tempore. Hic iterum non conveniunt Doctores, neque tempus est determinatum.

tum in jure de consuetudine sicut in præscriptione, quamvis aliqui Doctores hoc idem tempus huc velint applicare, ergo & hoc prudenti judicis arbitrio relinquendum.

Quæres etiam, an actus in dubio præsumantur facti cum animo introducendi consuetudinem. Respondetur hoc a posteriori, a communi sensu Doctorum, & persuasione Populi colligendum, si male populus contra inobservantes afficiatur, si pœna etiam decernatur transgressoribus &c. Alias quia jura proniora sunt ad solvendum, quam obligandum, standum est libertati, & non præsumendus est animus introducendi consuetudinem.

Quæres IV. Quid requiratur ad consuetudinem contra legem?

Resp. Requiri omnia illa, quæ ad consuetudinem præter legem. Specialia tantum hic eveniunt dubia, quomodo possit esse rationabilis. Quod enim repugnat rationabili, non potest esse rationabile. Atqui hæc repugnat legi, quæ debet esse rationabilis, ergo &c. Resp. Hoc argumentum probat nimium, probat enim legem antecedentem non posse per subsequentem abrogari, itaque & lex & consuetudo potest esse rationabilis, pro variis scilicet & diversis circumstantiis. extrav. 2. Joan. XXII. de V. S. vid. n. 11. h. t.

Quæres, an per actus perniciosos possit introduci?

Resp. Author negative, aitque, actus perniciosos tantum præbere ansam, ut alii bona fide illos imitantes introducant consuetudinem. Sed cum actus ex eo, quod sit perniciosus, non omni careat rationabilitate, pro circumstantiis temporis, licet peccent primi, tamen, si reliqua non desint requisita, consuetudo introduci potest. Hinc dicit Vincentius Lyrensis: damnantur Magistri, absolvuntur discipuli.

Si ais, cum mala fide non potest currere præscriptio, ergo nec introduci consuetudo: resp. per præscriptionem tollitur jus tertii, per consuetudinem non tollitur potestas legislativa; & jura reclamant præscriptioni cum mala fide, non ita consuetudini, quam legislator eo ipso, quod non contradicat, censetur probare. Porro consuetudo contra legem debet esse legitime præscripta, quantum temporis requiratur, quia non est, ut in præscriptione, determinatum, relinquendum est prudenti judicis arbitrio. In hoc autem judex debet attende-

re 1mo. ad gravitatem materiæ, plus enim temporis requiritur in re magni, quam levis momenti, 2do. an lex usu jam sit firmata, facilius enim tollitur, si usu necdum sit recepta, 3tio. an legislator sciat & non interdicat, tunc enim videtur consentire, & brevius tempus requiritur.

Collige, cum ergo tot requirantur ad consuetudinem, difficillima est ejus probatio, etsi non esse probanda videatur, cum sit jus, jura autem non debeant probari, generaliter tamen, quia est facti, ex frequentia actuum consurgens, facta autem debeant probari, alleganti consuetudo probanda est, & quia multa relinquuntur judicis officio & arbitrio, difficilior evadit ejus probatio.

Quæres V. Quomodo ergo consuetudo possit probari?

Resp. Probari 1mo. si in tribunalibus & judiciis fuerit secundum illam decisum, 2do. ex communi sensu Doctorum, qui patrii juris & sanctionum pragmaticarum notitiam habent. 3tio. per testes, qui testantur, ita a majore parte & uniformiter observatum esse. Circa rationabilitatem major est difficultas. Aliud enim, ut dictum, est, canones esse abrogatos, aliud non esse servatos, sola ergo non observantia non probat rationabilem abrogationem. Si ergo 1mo canones, qui se fundant in jure naturali vel divino, & proxime inde deducuntur, ut de residentia Episcoporum, simonia, excipe quoad pœnas, non observentur, propterea nulla contra eos consuetudo introducitur, lex enim naturalis & divina est inabrogabilis. *Ego sum via & veritas*, dixit Christus, non vero, ego sum consuetudo, 2do. quando ipsum jus resistit, & damnat contrariam consuetudinem, dicendo e. g. nulla contra hoc prævalente consuetudine, quæ potius corruptela dicenda; etiam difficilior est rationabilis abrogatio. Possunt tamen mutari circumstantiæ, in quibus contraria consuetudo ut corruptela est notata, & his mutatis etiam rationabilis consuetudo contraria induci potest. 3tio. Si ecclesiæ magnum & notabile gravamen inferatur, non qualecunque, sed constans & perpetuum, ut continuæ confusiones sequantur in ecclesia. 4to. Si sit contra immunitatem ecclesiæ. In Bulla *Cœnæ* singulis annis feria quinta hebdomadæ sanctæ, unde nomen habet, Romæ prælegi solita, post cujus promulgationem Cardinalis in signum detestationis & anathematizationum faculam ardentem projicit, variæ ejusmodi constitutiones habentur, quibus damnantur consuetudines

dines contra immunitatem ecclesiæ. Hoc tamen cum grano salis accipiendum. Si enim aliquid contineant contra rationem status, jura imperii, non stringunt; cum præcipue ex sententia multorum hæc Bulla in partibus remotis nondum fuit recepta. Si ais, Pontifex tamen reclamat, non satis reclamat, respondent aliqui, ipsius enim non est de juribus statuum leges ferre.

Circa hanc materiam Romani iterum habent stilum suum, dicunt enim ad hoc, ut contra legem valeat consuetudo, Pontificem debere scire illam consuetudinem, hinc non attendunt hanc exceptionem consuetudinis contrariæ, præcipue, si habeat lex ecclesiæ in fine clausulam & decretum irritans: Quod nulla contravaleat consuetudo & præscriptio. Sed juxta nostra principia omnis lex tacitam hanc clausulam habet. Quid autem interest, an sit expressa, cum taciti eadem vis sit? Et hæc ipsa clausula est positiva, sicut lex est positiva. Si ergo contra legem valet consuetudo, valebit etiam contra clausulam, & hæc Romanorum sententia repugnat Cap. ult. hoc titulo, ubi ad consuetudinem non requiritur consensus particularis, imo in Cap. 1. de Constitutionibus in 6. Pontifex dicitur ignorare plures consuetudines, quia non potest scire statuta & consuetudines locorum, quæ tamen valent. Hinc *Stilus Romanus.*

Quæres, quinam ergo consensus requiratur. ad N. 19.

Nota totam vim & effectum habet consuetudo a tacito consensu legislatoris, sed quali? Respondetur, sufficit generalis & expressus legum, in quibus approbantur consuetudines rationabiles, vide N. 19.

TITULUS V.

De Postulatione.

Incipit nunc Pontifex agere de Judice, & quia Judex Ecclesiasticus in dignitate est constitutus, dignitates autem, tribus præcipue modis: *Postulatione*, *Electione*, *&* *Translatione* acquiruntur. De his, & primo de postulatione agit.

Alia autem est postulatio, secundum modernam Ecclesiæ disciplinam, alia secundum veterem. Olim etiam populus postulare dicebatur, quatenus exponebat Clero, quem optaret sibi præfici Episcopum

& Fautorem, vel erat ejusmodi petitio ad Imperatorem vel Regem directa, ut vel permitteret vel admitteret electionem. Secundum hodiernam disciplinam autem est modus extraordinarius & subsidiarius perveniendi ad dignitates Ecclesiasticas, & est petitio Capituli, vel gremii, quod jus eligendi habet. Ad quem enim spectat jus eligendi, pertinet etiam jus postulandi, postulatione directa ad superiorem, generaliter ad Pontificem, ut personam aliquo impedimento laborantem, dispensatione ad dignitatem ecclesiasticam admittere velit.

Certæ autem in eligendo qualitates requiruntur, e. g. eligendus in Episcopum debet esse triginta annorum, debet ex Concil. Trid. sex menses ante electionem constitutus esse in ordine sacro, ne ex ambitione & lucro illos videatur suscipere. Debet esse unius ecclesiæ Episcopus. Si ergo unum horum desit, non potest eligi, sed debet postulari. Impedimentum tamen debet esse tale, quod potest & solet tolli a Pontifice. Hinc si indignum postulent, qui laborat impedimento juris naturalis vel divini, e. g. Hæreticum, publice criminosum, omnino illiteratum &c. in his circumstantiis privantur jure electionis, vide N. 10.

Quæres I. An etiam Episcopi Titulares debeant postulari?

Resp. Secundum Stilum Curiæ affirmative, habent enim Clerum & populum in habitu, & in habitu desponsati sunt ecclesiis, licet non in usu.

Quæres II. An Episcopus nondum confirmatus debeat postulari?

Resp. Negative. Si nondum sit confirmatus, potest eligi, quia modo per confirmationem ex stilo fit matrimonium ratum cum Ecclesia. Eodem modo possunt eligi Coadjutores, quia tantum jus habent ad rem. Hodie rarior est postulatio. Qui enim spem habent, sui promovendi ad alterum Episcopatum prævie petunt Breve eligibilitatis.

In extrav. unic. h. t. inter comm. habetur, quod non possint postulari nisi viginti septem annorum, & quod aliter postulantes priventur pro illa vice jure electionis, quod tamen in Germania non est in usu. Occasione postulationis Infantis Hispaniæ, qui octo annorum in Archiepiscopum Toletanum & Hispalensem a Clemente XII. est postulatus, præclarum scripsit tractatum *Estor Lutheranus*, in quo deducit

ducit rationes a Cardinali Luca & aliis propositas, & in fine allegat Catholici cujusdam in hac materia præclaram sententiam, quod ætas juvenilis, etsi bona adsint indicia, non debeat promoveri ad tam sublimes dignitates, cum ne sartoris vel sutoris tironi, etsi bona præbeat indicia, vestis vel calceus committatur.

Quæres III. Quænam forma observanda in postulatione?

Certas habemus in jure pro electione formas, scilicet vel per inspirationem, vel scrutinium, vel per compromissum, secundum quas si fiat, dicitur canonica, idem tenendum est de postulatione.

Hinc in C. un. h. t. in 6. reprobantur formæ dubiæ vide N. 7. nisi prudens sit dubium, an eligere Capitula possint vel postulare, & hoc eveniente, taliter vocatus debet postea unam viam eligere, qua velit jus suum prosequi, & ab ea non licet amplius recedere.

Quæres IV. Quinam sit effectus postulationis? ad N. 2. & 4.

Postulatio nullum jus tribuit, sed innititur gratiæ, unde etiam non confirmari, sed admitti dicitur. Hinc licet publicata sit, & postulatus consenserit, semper potest revocari, nisi actualiter sit superiori præsentata, ubi sine ejus consensu revocari non potest propter reverentiam erga superiorem, & ne in arbitrio inferiorum sit, superiori illudere, non autem, quod per hanc præsentationem jus aliquod tribuatur.

Quæres V. An postulatus possit se immiscere negotiis Ecclesiæ?

Scimus in Germania, electos immiscere se statim negotiis tam spiritualibus quam sæcularibus, sed hoc probabilius non possunt postulati, quia nullum adhuc jus habent.

Circa Episcopos protestanticos, ubi alternant cum Catholicis, ut in Ecclesia Osnabrugensi, observandum hic est ex instrumento pacis Westphalicæ, quod non vocentur simpliciter Episcopi, Archiepiscopi, sed postulati in Episcopos &c. & sine ulla exceptione debeant ab Imperatore confirmari; dimidium tamen plus solvere tenentur Imperatori, quam Catholici, quia non solvunt annatas Pontifici, & in comitiis sessionem obtinent in scamno intermedio, ut ibidem statutum, de

titulis & prærogativis illorum. Catholici vero in confirmatione debent exhibere instrumentum electionis & Bullam confirmationis.

ad N. 6. *Quæres VI. Quid si concurrat electio cum postulatione?*

Resp. Si duo postulentur, sufficiunt majora, si autem una pars postulet, altera eligat, requiruntur duæ tertiæ, lege Authorem. Hujus exemplum habuimus sub Leopoldo, ubi Cardinalis comes de Fürstenberg Episcopus Argentoratensis a tredecim Capitularibus Coloniensibus est postulatus, Joseph Clemens autem dux Bavariæ Episcopus Ratisbonensis, & Frisingensis, obtenta prius Brevi eligibilitatis a novem est electus, & post habitam desuper congregationem Cardinalium ab Innocentio XI. confirmatus, Galliæ Rege Fürstenbergii partes tuente, multumque contradicente, sed frustra.

Quæres VII. An plura vota requiruntur, quam una tertia, si postulatio concurrat cum electione?

Resp. Plura quidem in memorata Electione aderant, probabilius tamen non requiruntur, quia *C. scriptum* simpliciter requirit unam tertiam. Ratio autem hujus & superioris est, quia electio est modus ordinarius & in jure favorabilis, ergo sufficit una tertia. Ut autem hic vincatur, duæ tertiæ ex opposita ratione requiruntur.

Quæres VIII. An hæc electio jus tribuat?

Resp. Author quidem Respondet negative, & putat, in arbitrio superioris esse vel postulationem vel electionem approbare. Sed probabilior est affirmativa, quia Cap. dicit repulsa postulatione admittendam esse electionem; & congregatio Cardinalium desuper Respondit, confirmandam esse electionem, confirmatio autem jus supponit.

TITULUS VI.

De Electione & Electi Potestate.

Quid sit electio vide N. 1. Ejus differentias potiores ex titulo præcedente colliges.

Quæres

Quæres I. An Electio sit juris divini, seu modus a jure divino determinatus perveniendi ad dignitates Ecclesiasticas?

Modum hunc coævum esse Apostolis ex Matthiæ Electione constat; opportuniorem esse aliis nominationem scilicet Regis vel Pontificis, uti in omnibus aliis regnis extra Germaniam observatur, late deductum habes in dissertationibus inauguralibus. Galli autem insuper illum voluerunt esse juris divini. Cum enim Episcopi sanctionis pragmaticæ supra memoratæ præcipui essent Authores, Pontifex Leo X. 1516. eos quoque delusurus cum Galliæ Rege Francisco I. Concordata inijt, & in iis Regi potestatem concessit nominandi Episcopos, Archiepiscopos, Abbates, verbo conferendi omnes dignitates Ecclesiasticas. Huic se Episcopi & Clerus Gallicanus per totum sæculum opposuerunt, contendentes, electionem juris divini esse & auferri non posse, sed:

Resp. negative. Quia hic modus nullibi in sacra scriptura determinatus est, licet tanquam convenientior practicatus. Adsunt quidem textus SS. PP. sed hoc tantum sensu intelligendi, quod nemo per successionem hæreditariam, vel propriam intrusionem & ambitionem dignitates quærere, sed judicio aliorum vocari debeat. Nemo sibi sumit honorem, ait Apost. sed qui secundum Deum vocatur, ut Aaron: & sanctuarium Dei hæreditate non possidetur.

Quæres II. Quæ fuerit vetus disciplina electionis, & quas vicissitudines passa sit?

Resp. Electio, quæ in sola adhuc Germania viget, in primis sæculis fuit penes Clerum & populum, mortuo enim Episcopo convocabatur Clerus & populus; subinde etiam dirigente electionem Archiepiscopo, & designabatur ab iis persona, quam vellent sibi ordinari Episcopum. Cum enim Episcopus esset pastor communis Cleri & populi, & ut promptior & fidelior a subditis præstaretur obedientia, nec invitis pastor obtruderetur, populus etiam cum Clero convocandus erat.

Quæres III. Quomodo populus concurrebat ad electionem?

Resp. In varias hic abeunt vias AA. & multum se torquent. Alii dicunt populum auditum esse, ut præberet testimonium, vitia detegeret, de virtutibus & qualitatibus deponeret. Alii dicunt populum

K tantum

tantum expoſuiſſe votum & petitionem ſuam, non proprie elegiſſe, vel ſuffragium contuliſſe. Alii dicunt populum tantum habuiſſe votum negativum, ut potuerit contradicere, uti hodie adhuc moris eſt in ordinatione Diaconorum, Presbyterorum, ubi evocatur populus. Sed

Optima Reſponſio eſt: diſtingue tempora, diſtingue loca & optime concordabis jura. Pro diverſitate ergo locorum populus alibi teſtimonium dedit, alibi habuit votum negativum, alibi etiam poſitivum & jus ſuffragiorum. Multi id enim Canones confirmant, & SS. PP. in ſpecie S. Cyprianus aſſerit. Quid inde ſequitur?

Volunt Proteſtantes inde conjicere jus in ſacra penes populum fuiſſe, & eum per injuriam excluſum eſſe. Sed cum iſta electio nullum plane jus tribueret, per 10. enim Sæc. nihil de his terminis conſtabat, quod per electionem quis deſponſaretur Eccleſiæ, per confirmationem matrimonium ratum, per conſecrationem confirmatum fieret, ſed eſſet nuda perſonæ deſignatio, quam convenientes deinde Epiſcopi Provinciales examinabant, & deſignato per impoſitionem manuum totam poteſtatem ſacram conferebant; omnis proin poteſtas non a populo, ſed ab impoſitione manuum profecta eſt, unde neutiquam ex jure ſuffragiorum populi jus in ſacra deducitur.

Quæres IV. Quam diu duraverit hic mos Electionis?

Reſp. Cum populus nimium excreſceret, & difficile eſſet omnem populum convocare, populus inſuper magis judicio vago & incerto agitaretur, quam prudentia & zelo, in Oriente jam in Sæc. IV. & V. cœpit removeri, in Occidente autem diutius duravit, & habemus adhuc exemplum in ſæc. XIII. ubi ſaltem primores populi concurrerunt ad electionem. Cum enim omnis populus ob multitudinem convocari non potuit, primores ſaltem vocandi erant, ſed & hi ſucceſſu temporis remoti, & hoc jus relictum ſolis regibus & imperatoribus, tempore maxime Carolingicorum. Cum enim hi plures fundarent Epiſcopatus, jura inſuper regalia, feuda Imperii, & principatus conferrent, ſic etiam tanquam patroni ad electionem concurrebant, & debebant electiones cum eorum conſenſu fieri. Neque tamen propterea jus in ſacra ſibi tribuebant, ut volunt proteſtantes, cum omnis poteſtas non ex hoc conſenſu, ſed impoſitione manuum proveniret.

Et

Et ex hoc etiam invaluit jus investituræ per pedum & annulum. Mortuo Episcopo debebat Regi vel Imperatori pedum & annulus mitti, quæ deinde successori pro investitura dabantur. Licet autem hæc essent symbola potestatis spiritualis, eam tamen neutiquam per hæc voluerunt conferre; sed ad differentiam tantum investituræ principum sæcularium adhibebantur.

Interim tamen hæc res successu temporis in Sæc. præcipue XI. & XII. magnum scandalum dedit. Cum enim Henricus IV. & V. hac potestate abuterentur, & Episcopatus Simoniace plus offerentibus, sæpe scelestis & indignis, conferrent, opposuerunt se huic juri Pontifices, præcipue Gregorius VII. unde gravissimum imperium inter, & sacerdotium in Germania per plures annos ortum est dissidium. Nimium enim exaggerabant Romani homagium illud, quod Episcopi in manus Imperatorum sanguinolentas, ut ajebant, & sæpe lascivas deberent præstare, quod cum neutiquam Imperatori præstandum vellent Pontifices, neque pedum & annulum ab eo recipiendum; cæpit Imperator sub Paschali II. repetere regalia, in quod etiam consensit Pontifex, huic vero cessioni opposuerunt se Episcopi.

Tandem An. 1122. ab Henrico V. & Calixto II. tractatus in Concilio Lateranensi postea confirmati fieri cœperunt Wirceburgi, Wormatiæ ac Bambergæ, & primum pactum nationis Germanicæ, Calixtinum scilicet factum, & res ea ratione composita est, ut Episcopi investituram deinceps acciperent per sceptrum, & libera relinqueretur capitulis electio, cui tamen interesse posset Imperator vel per se vel per legatos, & si litigiosa esset electio Cleri, illam pacare cum consensu tamen Metropolitani & Episcoporum, & sic tandem per hoc concordatum restituta est pax inter imperium & sacerdotium.

Sæculares autem illam accipiebant per vexillum, sed & hoc successu temporis sublatum & indifferenter nunc per gladium datur investitura.

Quia tamen Imperatores poterant adhuc interesse, & pacare, & tempore sedis vacantis, ut modo in Gallia, omnes reditus percipiebant, usum regaliæ exercebant, quia ajebant feuda vacare, & sic non facile extradebant illa, necdum satis liberæ fuerunt electiones; donec tandem in Sæc. XIII. sub Innocentio III. & Imp. Othone IV. Friderico II. & potissimum Rudolpho Habsburgico Pontifex jus complanationis acciperet; plena enim tunc libertas Canonica restituta est, usus regaliæ cessavit & mansit penes capitulum. Ex hac ratione

Circa Sæc. XII. jam cœpit etiam excludi reliquus Clerus. Cum enim invaluit principium: Capitula Cathedralia unum corpus consti-

tuere cum Episcopo, quia olim cum eo in communione vivebant, a qua tamen jam in Sæc. IX. X. XI. ob bonorum abundantiam, quæ singulis separatim sufficiebant, recesserunt, & Clerus etiam alius nimium augebatur, ut tumultuariæ evaderent electiones, & nimis difficiles, hinc privative hoc jus reservatum Capitulis Cathedralibus, prout Honorius III. in sua constitutione hoc jus excluso reliquo Clero & populo solis Capitulis Cathedralibus asseruit. Et hoc jus ex decretalibus Gregorii IX. ipsis assertum, confirmavit Fridericus II.

Easdem vicissitudines etiam habuit electio Pontificis, donec a Pontificibus & quidem ab Innocentio II. populus ab ea exclusus, & 1179. ab Alexandro III. ad solos Cardinales restricta fuerit, ut a conclavi etiam legati excluderentur, quod jure decretalium etiam in Germania obtinuit, ita ut vitiosa esset Electio, si potentior aliquis sæcularis interesset.

Hoc jus decretalium viguit deinde usque ad Sæc. XIV. ubi Pontifices Avenionenses per Reg. II. Cancellariæ omnes has dignitates reservarunt. Et tandem restitutum est iterum per Concordata Germaniæ.

Quæres V. An idem jus restitutum, sicut habetur in Decretalibus?

Resp. In regula illud jus valet, appositæ tamen sunt in concordatis exceptiones. 1mo. in decretalibus Greg. IX. & Bonifac. VIII. electio jus tribuit & confirmatio est necessario subsecuta; vi concordatorum Pontifex sibi arbitrium reservavit: nisi de fratrum Consilio de digniore vel utiliore providendum erit. 2do. Jus confirmandi & consecrandi pertinuit ad Metropolitanos vi Decretalium. In concordatis autem horum jus & authoritas imminuta sunt, & Pontifex sibi reservavit jus confirmandi & consecrandi; & jam Papæ juramentum præstandum est. In Concilio Basileensi, quod sane Germanis favorabilissimum, statutum erat, ut si indignus electus esset, electio rediret ad capitulum, sic etiam in casu jus nominandi in Gallia redit ad Regem.

§. I.

Quinam vocem activam in electione habeant?

ad N. 1. Vox alia est activa, alia passiva. Activa est ipsa facultas dandi suffragium. Passiva est ipsa eligibilitas, in regula ergo & jure decretalium

talium Vox activa competit iis, qui sunt membra illius Collegii, extraneis autem per modum exceptionis, & jure speciali, adeoque debet probari.

Inprimis ergo potest competere per indultum Pontificis, quod tamen in Germania ob Concordata vix obtinebit. 2do. Ex compromissione, 3tio. ex unanimi consensu potest aliquis admitti, quia quod omnes tangit, ab omnibus est approbandum, & quod plures statuunt in re communi, ubi vertitur de jure singulorum, etiam unius votum debet audiri. Regula enim juris est: in re communi ubi agitur de jure singulorum, melior debet esse conditio unius prohibentis. Aliud est, si actus concernat universitatem qua talem, tum enim valet alia regula; quod plures statuunt, universitatem statuisse censendum est.

Quoad præscriptionem distinguendum, si extraneus sibi privative jus eligendi vellet præscribere, quia huic jus fortiter resistit, sic utique titulus erit probandus, & non sufficit unus actus, si autem cumulative velit præscribere, quia jus non tam fortiter resistit, sufficiet unus actus, nec titulus probandus. ad N. 2.

Et licet in petitorio deinde cadat, votum tamen taliter collatum valet, quia est fructus possessionis. ad N. 3.

Dicta hactenus de Clericis procedunt, laici enim jure decretalium horum jurium incapaces sunt, & ne admitti quidem sine nullitate Electionis possunt.

Quæres, quandonam ergo jure decretalium censeatur electio facta per abusum potestatis sæcularis?

Resp. 1mo. Si ipsi Capitulares admittant laicum ad Electionem. 2do. Si potens laicus se intrusisset, & cum capitulo electionem peregisset, taliter electus non solum privaretur, sed etiam plane inhabilis redderetur ad electionem.

Quæres, si autem potentior exhibeat tantum præsentiam?

Olim per pacta Calixti 1122. cum Henrico V. licuit exhibere præsentiam. Sed dum in Sæc. XIII. ab Alexandro III. legati exclusi sunt a Conclavi electionis Pontificis, ad exemplum hoc etiam in Germania sunt exclusi, ut electus deinceps tantum præsentetur post electionem

 legato.

legato. Hinc Fagnanus ait, nullam jam esse taliter factam electionem. Quia autem hoc in jure non est expressum, hinc attentenda est consuetudo locorum. Sic in Gallia Capitulis, quæ adhuc gaudent jure electionis, ut Cistercienses, Carthusiani &c. laici assistunt.

Aliud esset, si propter circumstantias, ne impediretur vel turbaretur electio a motibus v. g. & tumultibus intestinis, jure protectionis & advocatiæ assisterent, dummodo nullam vim in hoc casu inferrent, ut cum libertate Canonica electio fieret, ideo autem jura huic libertati ita assistunt, ne impediatur electio dignioris.

Concessus tamen laici subinde de honestate, non de necessitate requiritur, vel ut possit etiam esse legitimus contradictor, si electio non sit Canonice facta. Sed

An antecedenter possit uni vel alteri personæ exclusionem dare?

In electione summi Pontificis habemus usum & observantiam, quod possit Imperator vel Rex ex gravibus & fonticis Causis exclusivam uni vel alteri personæ dare, & ejusmodi aliquem Cardinales necdum elegerunt, neque eligere posse videntur. Cum enim Cardinales teneantur eligere digniorem, dignitas autem a majore utilitate Ecclesiæ dependeat; ille autem, cui Rex vel Imperator offensus, hanc vix promoveat, tenentur Cardinales attendere ad hanc exclusivam. Accedit quod hæc consuetudo nunquam sit per Bullam reprobata. Qui autem tacet, cum loqui deberet, consentire videtur.

Quæres: An etiam talis exclusiva possit ab Imperatore dari in electione Episcopi-Principis Imperii?

Resp. *Negative.* Deest enim observantia, & eædem rationes non militant pro Episcopis; non enim sunt tam potentes Vasalli Imperii, quin aliunde coerceri possint; vide differt. inaugurales.

ad N. 7. in fine. Concilium igitur Constantiense distinxit inter toleratos, & non toleratos excommunicatos. Non tolerati sunt tantum duo, notorius scilicet percussor Clerici, & publice denunciatus; & hi absolute privantur voce activa, eorumque vota non computantur. Unde si in Collegio sex essent, quorum unus esset excommunicatus non toleratus; tria jam facerent majora. Tolerati autem possunt admitti, ceteri tamen.

men non tenentur admittere. Hinc exceptione vel unius possunt removeri; & illorum vota, quia ipso jure non sunt remoti, valent, nisi exceptione removeantur.

Quæres, an Protestantibus possit opponi hæc exceptio in Collegiis Mixtis?

Resp. *Negative*, etsi sint laici, id enim publicis pactionibus confirmatum est.

Ita ut maneat etiam apud unicum. Delicta enim debent tenere suos authores; licet enim collegium vel actus collegialis non possit ab initio constitui, nisi in tribus, in uno tamen potest conservari. **ad N. 9. Solvitur objectio.**

Est enim Actus collegialis electio, ergo & collegialiter in Collegio peragendus; Procurator ergo in defectum alterius probationis jurare debet, & ad hoc habere mandatum a principali; & si habeat mandatum generale debet eidem, cui suum, votum dare, secus si habeat speciale, ad certam personam. **ad N. 10.**

Quæres, an Procurator possit dare votum suo Principali?

Resp. Hoc non repugnare, quia non est ambitus, si Procurator, non habens ad hoc speciale mandatum, suo judicio principalem digniorem existimet.

Si tot fuerint absentes, ut ne quidem duæ tertiæ vocatæ essent, electio ipso jure est nulla, nemo enim citra culpam jure suo debet privari. Secus si unus vel alter possit agere de contemptu. Capitulum autem quia debet vocare, debet etiam factam vocationem probare. Si quis autem vocatus non compareat, facit pro illa vice se quoad hunc actum extraneum, ita, ut ejus votum non debeat computari, sicut etiam votum excommunicati. Quare consulto quidem subinde emanent, si enim sex essent in Collegio, & tres starent pro emanente, esset jam legitime electus, cum, si esset præsens, vota tantum æqualia haberet, si autem non esset vocatus, qui debuisset vocari, ejus votum etiam computaretur. **ad N. 11. Quis debeat probare vocationem.**

Quid

Quid hic observandum circa electionem Pontificis?

Resp. Speciale est, quod nullus vocetur, cùm enim propter absentiam in alienis sæpe terris nimis diu protraheretur electio, statim celebratis post nonum diem exequiis, die decima, qui sunt præsentes, ingrediuntur conclave, & hi etiam statim possunt eligere, nec valet votum extra conclave: In Electione autem Imperatoris pertinet quidem ad Electorem Moguntinum, reliquos per litteras convocare, si tamen omisisset, tenentur intra tres menses vi officii comparere. Ita statutum in aurea Bulla, in reliquis sequere authorem.

§. II.

De Electione passiva & quinam ad dignitates Ecclesiasticas eligi possint vel non?

ad N. 1. In Germania ubi est jus alternativum cum Protestantibus uti Osnabrugæ, vel perpetuum, uti in Ecclesia Lubecensi, Lutherani etiam eligi possunt & debent, licet de eorum titulis in Instrumento pacis statutum, ut non simpliciter Episcopi, sed electi in Episcopos vel postulati dicantur.

Speciale hic & Catholicis apprime favorabile est *reservatum Ecclesiasticum*, quod magnos in Germania motus excitavit, & cui multum se opposuerunt Lutherani, quia mutatio religionis neminem debet privare, id tamen in defectione Archi-Episcopi Coloniensis Gebhardi de Truchsess, qui duxit comitissam de Mansfeld, practicatum & publice firmatum est, ut quisque Prælatus Ecclesiasticus fidem mutaret, quod tamen citra infamiam fieri potest, ipsó jure sit privatus omnibus dignitatibus & jurisdictione. Hoc reservatum Ecclesiasticum Ferdinandus primus invitis Lutheranis paci religiosæ inseruit, qui proin ex hac ratione se non teneri ajebant, & abrogari illud volebant in pace Westphalica. Sed tamen publice ea conditione firmatum fuit, ut idem jus circa Protestantes obtineret.

ad N. 19. In aliis tamen Regnis uti in Gallia, Italia, invaluit, ut Abbatiæ etiam Clericis in Commendam dentur, licet non possint possideri in titulum jure proprietatis. Ab initio ergo tantum titulo custodiæ & administrationis illas obtinebant, quod tamen successu temporis factum

est

eſt perpetuum, & in effectu juris idem eſt, & in ſolo nomine eſt differentia. Introduxit hoc Clemens V. cujus tamen ex propria profeſſione illum iterum inſigniter pœnituit. In Germania autem hoc repugnaret Concordatis.

Id per antiquam diſciplinam obtinuit, per recentiorem autem conveniens quidem, non tamen de neceſſitate eſt, niſi obſtet ſtatutum, conſuetudo, vel obſervantia contraria. ad N. 26.

Et hoc procedit, etiam ſi unicum votum licet ſupernumerarium, illo ignorante, ſimoniace emptum eſſet, ipſo jure nulla eſt electio, quia plura ſunt ſpecialia in odium ſimoniæ ſtatuta, valent tamen oppoſitæ exceptiones. ad N. 27.

Circa hoc Abbatiſſa aliqua, quæ necdum 30. erat annorum & in monaſterio, ubi etiam viri erant religioſi, exceptionem fecit, quod hæc monaſteria tantum ſint tolerata, non approbata, conſequenter nihil de iis in Concilio Trid. ſtatutum, & electio etiam impugnata probabilius confirmata eſt. De Collegio ubi erant viginti Canonici, & quadraginta Canoniſſæ, Andreas, qui de his ſcripſit tractatum, miram fecit interpretationem. ad N. 28.

Dum petitur confirmatio, ſemper hoc teſtimonium ab univerſitate debet apponi, & de ſtylo curiæ inſuper volunt prætendere, petendam eſſe diſpenſationem ſuper Gradu Theologiæ vel juris Canonici, quod tamen non obſervatur. ad N. 29.

Quæres, an in Germania debeant eſſe de genere Illuſtri?

Reſp. Conveniens quidem eſt, ut majore cum decore & ſplendore poſſint præeſſe Eccleſiæ; lege tamen nec publica, nec Canonica excluduntur Doctores, ſi qui ſunt in Eccleſiis Cathedralibus, ut Coloniæ ſunt octo, Auguſtæ Vindelicorum quatuor, &c. Si ergo non adſit ſtatutum, obſervantia & conſuetudo contraria, admitti & eligi poſſunt, cujus exemplum non ita remotum habetur in Eccleſia Leodienſi.

An debeant eſſe de natione?

Pariter conveniens eſt, ut ſint de natione, ut poſſint populum ſecundum mores ſuos regere, non tamen de neceſſitate. In Gallia autem omnes alii, qui non ſunt de natione, excluduntur.

§. III.

De ordine & forma Electionis.

Electio, ut omnia in Ecclesia rite & decenter peragantur, & ut sit Canonica, debet fieri secundum unam ex tribus his formis, quæ in instrumento electionis debet assignari & probari. Primus modus per inspirationem, vel quasi hodie non debet allegari, difficilis enim est probationis. Hinc quædam viventis adhuc Archi-Episcopi electio, cui ex gratificandi studio hæc forma assignata est, fuit annullata. Non poterat enim satis probari ista quasi inspiratio. Communior & usitatior modus est scrutinium, cujus potiora habes in authore. Hodie actui electionis debent interesse Notarius & duo testes, per quos fides fiat de forma electionis.

Tres illi, qui eliguntur, scrutatores ex stilo curiæ debent esse ex capitulo. Hinc in electionibus Romæ confirmandis non debent admitti extranei.

Quid speciale hic in electione summi Pontificis?

Resp. Non dantur vota viva voce, sed cuilibet Scheda, cui inscriptum: ego Cardinalis NN. Eligo in Romanum Pontificem NN. cujus verba priora in scheda inflectuntur & obsignantur, ne nomen eligentis pateat; ideo autem obsignantur, ut, si præcise per duas tertias, quas Pontifex debet habere, electus esset, possent aperiri & videri, an non sibi ipsi votum dederit. In aliis electionibus v. g. regularium dantur tantum nomina aliorum non autem proprium, & si collecta sint in calice, effunduntur a scrutatoribus, & numerantur, & si non tot adsint Schedæ, quot eligentes, statim comburuntur, & novum debet fieri Scrutinium.

ad N. 37. Hodie tantum fit collatio numeri ad numerum, & sufficit major pars capituli, non autem requiritur sanior; numerantur, non ponderantur vota, nec Scrutatores debent petere rationes, cur aliquis hunc præ altero eligat; cessat ergo collatio zeli ad zelum, meriti ad meritum, quia omnes alias electiones litigiis essent expositæ, & minor pars se semper saniorem diceret; itaque est inpracticabilis ista collatio.

Quid

Quid advertendum in publicatione?

De jure communi non debent publicari nomina dantium, sed tantum, quot quisque acceperit vota. Hinc juramentum secreti Scrutatores debent antecedenter jurare, in electione regularium. Si nomina publicarentur, electio esset nulla; hinc etiam non viva voce possunt dari. Tridentinum videatur.

Si compromissum mixtum sit Scrutinio, quod hodie observant praemonstratenses, in effectu non differt a scrutinio, sed eosdem habet effectus, quos scrutinium. In reliquis sequere authorem. ad N. 41.

§. IV.

De consensu, confirmatione & consecratione Electi.

Si impedimentum esset tamen omnino occultum, in quo facile solet dispensari, videtur, posse acceptare. Nimis enim difficile esset in hoc casu, tanto se favore privare. ad N. 45.

Canones quidem & C. Trid. constituit mortaliter eos peccare, qui, omisso digniore, dignum tantum eligunt: electio tamen taliter facta valet. Multa enim fieri prohibentur, quae tamen facta roboris habent firmitatem, alias enim omnes electiones expositae essent litibus. Ad evitandam enim multitudinem litium, & ne passim impugnentur electiones, ad evitandum majus malum, minus permittitur. ad N. 47.

Quaeres, unde desumatur major dignitas?

Resp. Nec a sola scientia, quae subinde inflat, nec a sola charitate, sine lumine enim scientiae si caecus caecum ducat, ambo in foveam cadunt, sed relative ad majorem Ecclesiae utilitatem. Qui igitur majore cum utilitate & aedificatione videtur ecclesiae profuturus tam in spiritualibus, quam in temporalibus, dignior censetur. Maxime prudentia & experientia attendenda. S. Gregorius M. qui raro se electionibus immiscuit, legitur tamen semel dedisse uni exclusivam, quia non haberet experientiam. Sanctus Thomas ait, pius oret, doctus doceat, prudens gubernet.

ad N. 50. Secundum veterem Ecclesiæ disciplinam fuit hæc causa major, quæ in Concilio quasi provinciali peragenda fuit. Debuit ergo Metropolitanus Episcopos Comprovinciales convocare, qui electionem & electum examinabant & confirmabant. Cum autem successu temporis nimis difficile esset comprovinciales convocare, hoc jus ex decretalibus Greg. IX. & Bonifac. VIII. devolutum est ad solos Archi-Episcopos, subin tamen vel ob dispensationem, vel ob contradictionem, vel maxime ob ambitionem a summo Pontifice petierunt Episcopi confirmationem; & demum, sublato jure electionis, sub Pontificibus Avenionensibus, hoc jus etiam Archi-Episcopis sublatum, neque amplius per concordata Germaniæ restitutum, sed Pontifici privative reservatum est. Examen ergo, & confirmatio hodie pertinet ad summum Pontificem.

Quæres, quomodo fieri debeat examen Episcopi?

Ex C. Trid. & Constit. Gregorii XIII. prima inquisitio & examen pertinet ad nuntios apostolicos, apud quos formatur processus inquisitorius; & imprimis debet adesse testimonium nativitatis legitimæ, baptismi, confirmationis, ordinum minorum, & saltem Subdiaconatus gradus, vel studiorum ab universitate, professionis fidei emissæ coram persona in dignitate Ecclesiastica constituta; instrumentum electionis a Notario apostolico debet esse confectum. Dein debent adesse tres vel quatuor testes fide digni, qui norunt vitam & qualitatem electi, nec sanguine ipsi sint conjuncti, qui super variis quæstionibus & de vita & qualitatibus ejus jurato debent deponere, quæ omnia inseruntur protocollo, cui dein nuntius debet subjungere suum votum, an electum judicet confirmandum, quod votum cum protocollo debet mittere Romam.

Romæ dein instituitur prævie aliqua congregatio Cardinalium, quæ protocollum debet examinare, & desuper Pontifici referre, & petere, ut vel ipse, vel Cardinalis ab ipso constitutus in Consistorio, cui soli intersunt Cardinales, proponat, an electus sit confirmandus; & si Papa præconizet, quod circa Episcopos in Germania plerumque solet fieri, & majoribus constat sportulis, ipsi Pontifici soli reservatis, tunc statim in eodem Consistorio colliguntur vota, & electus confirmatur. Si autem Cardinalis aliquis id proponat, res differtur ad proximum Consistorium, ut possint desuper magis deliberare, & in illo colliguntur vota,

vota, & fit confirmatio. Collectis votis fit confirmatio a Pontifice hoc modo. Authoritate Dei omnipotentis, & S. Apost. Petri & Pauli præficimus in Ecclesia N. N. Episcopum N. N. eique committimus curam in temporalibus & spiritualibus, in nomine Patris &c. & desuper dein expediuntur Bullæ, ante quam expeditionem olim non licebat se immiscere negotiis Ecclesiæ, & nunc subinde obtinet in aliquibus locis.

Quem effectum habet hæc confirmatio?

Resp. Per X. Sæcula confirmatio non erat actus distinctus a consecratione. Habito enim examine statim metropolitanus imponebat electo manus; sicut etiam ordinatio & collatio unus olim idemque actus erat. Circa sæculum XI. autem invaluit, ut confirmatio esset actus distinctus a consecratione, & per eam dicebatur fieri matrimonium ratum, & electus consequebatur, ut omnia ea, quæ ad jurisdictionem pertinent, posset peragere. Ante illam vero non potest se immiscere negotiis Ecclesiæ, sed administratio manet penes capitulum, ut adhuc Salisburgi. Saltem Breve prius requiritur. Alias autem in Germania licet non secundum regulam canonicam, dispensative tamen ex *C. nihil* 44. si quis sit in concordia electus, id est; si non adsit contradictor vel impugnator, statim potest ea agere, quæ ad jurisdictionem pertinent. Et in imperio statim exercet regalia, comitialia, & ea quæ pertinent e. g. ad electionem Imperatoris, licet necdum investituram ab Imperatore acceperit, hæc enim ante confirmationem non datur. Valet ergo jam regula per dispensationem, scilicet, ut, quod præstat in hæreditariis successio, in electivis præstet confirmatio.

Quæres, ad quid ergo consecratio?

Resp. Præter hoc, quod sit sacramentum, & ea conferat, quæ ad sacrum Episcopatus ordinem pertinent, facit etiam, ut jure proprio & Hierarchico administrent Ecclesias, quas antecedenter tantum Vicario & commissario modo administrabant. Unde Pontifex in confirmatione ait: Committimus curam &c.

Monuit hoc in C. Trid. Cardinalis Lotharingiæ, qui ultimis interfuit sessionibus, præter alia plura, quia parum ajebat, a laicis differre, qui curam tamen animarum habent &c. ad N. 5.

Olim nudam tantum faciebant promissionem, ut hodie presbyteri. Successu temporis autem debuerunt præstare juramentum, quod sub Greg. VII. Sæc. XI. variis articulis ob dissidia illius temporis auctum, & juramento vasallitico fere simile est, in quod multum invehuntur Lutherani, dicuntque esse contra jura imperii & authoritatem Imperatoris. Sed bene notandum, duplicem Principes ecclesiasticos sustinere personam, adeoque in spiritualibus Pontifici, sicut in temporalibus Imperatori præstare juramentum, quod ipse etiam Imperator salva sua authoritate sedi Apostolicæ præstat. Vide Differt. inaugurales.

TITULUS VII.

De Translatione Episcopi.

Quæres I. Quæ vetus fuerit Ecclesiæ circa translationem disciplina?

Resp. Maxime sacri canones detestabantur translationem, comparabatur enim adulterio, & olim ad instar adulterorum privabantur Communione Laicali. Sæc. potissimum IV. cum invaluit hæresis Ariana, & hujus sectæ Episcopi se ubique transferrent, ut suam facilius diffunderent hæresin, gravissimæ pœnæ sese transferentibus decretæ sunt; non tamen ab initio habebatur illa conjunctio Episcopi cum ecclesia verum matrimonium, sed tantum similitudinarium, ut ad instar matrimonii carnalis non deberent Episcopi se separare a suis ecclesiis. Jure tamen decretalium ex constit. Innocent. III. habetur verum matrimonium spirituale, quod initiatur per electionem, ratum fit per confirmationem, consummatum per consecrationem C. 4. h. t.

An semper habitum fuerit matrimonium verum.

Quæres II. An sit jure divino institutum hoc matrimonium?

Resp. Negative sub ratione matrimonii tantum jure Ecclesiastico est introductum.

Quomodo ergo Innocent. III. C. 4. h. tit. dicit: hoc matrimonium esse jure divino institutum, fortius esse vinculum quam matrimonii carnalis. *Cujus solutio* soli Petro & ejus successoribus reservatum?

Resp.

Resp. Certum est, quod extra Italiam per VIII. Sæc. translatio in Germania & aliis regnis facta fuerit, authoritate Metropolitani cum consensu comprovincialium. Quoad hoc ergo, cum in suis constitutionibus Pontifex ad antiquitatem provocat, deceptus est falsis decretalibus, quæ trium primorum sæculorum Pontificibus affinguntur, quarum falsitas tum temporis necdum cognita fuit, in quibus hoc reservatum est soli Pontifici, quod autem vi primatus hoc reservatum dicit, intelligendum est de accessorio, non essentiali reservato, & eatenus ad primatum pertinet, quatenus jure divino vi primatus ob arduitatem & gravitatem causæ hoc sibi privative potest reservare. Illud vinculum autem, quod jure divino institutum adstruit, explicatur cum Ecclesia universali, quam Deus voluit per Episcopos regi, non de particulari; alias ne ipse Pontifex quidem posset illud dissolvere, sicut nec matrimonium carnale consummatum, quoad vinculum; fortius forte ideo appellat, quia imprimit Characterem indelebilem, quod non facit matrimonium carnale, vel quia in matrimonio carnali licet saltem facere separationem a toro & mensa, ab Ecclesia autem nullam.

Accessoria primatus sunt, quæ successu temporis sunt addita.

Quæres III. Quænam sit pœna sponte se transferentium?

Resp. Hodie privantur utraque Ecclesia, quia priorem per superbiam spreverunt, alteram per avaritiam ambivere, cujus exemplum nobis suppeditant *C.* 3. *&* 4 *h. t.* in Episcopo Conrado a Ravenspurg, qui insigni pietate & virtute rexit Ecclesiam Herbipolensem & Cancellarius fuit Conradi Imperatoris. Hic habito indulto a Cœlestino Papa, ut ad altiorem se transferret Ecclesiam, electus a Canonicis Herbipolensibus, ab Hildesheimensi ad Ecclesiam Wirceburgensem se transtulit. Citatus ideo a Pontifice Innocentio III. non comparuit; ideo excommunicatus & utraque Ecclesia privatus est. Pœnitens tamen dein Romam accessit fune circa collum supplex veniam petiit, sed 1mo. rejectus, & Canonici pro illa vice privati sunt jure electionis; dicitur tamen dein Papæ obtulisse multa vasa argentea, & sic obtinuit ex gratia Episcopatum Wirceburgensem, ne tamen inductus pretio hoc fecisse videretur, dicitur ei restituisse cuppam auream longe majoris valoris.

Quomodo hodie fiat translatio?

Resp. Hodie fit in consistorio Papali, cui soli Cardinales, & Pontifex interest, ubi absolvitur a vinculo prioris Ecclesiæ; & frequentissimæ

ſimæ ſunt hodie translationes in Italia, licet minus laudabiliter. Paſtor enim debet noſſe vultum pecoris, & per practicam loci experientiam & prudentiam bonum addiſcere regimen. Hinc Cardinalis Bellarminus Clementi VIII. petenti, ut ſibi breviſſime reſponderet, qua ratione bene poſſet Eccleſiam regere, ei repoſuit: 1) quod nemini cito manus deberet imponere 2) nulli conferre duos Epiſcopatus 3) non facile transferre. Cui etiam reſpondit Pontifex: cum difficultate transferemus.

Ab initio difficillimæ fuerunt translationes. Primum exemplum habemus in Formoſo Papa Portuenſi prius Epiſcopo, quem propterea ejus ſucceſſor Stephanus exhumari, & ornamentis Pontificialibus indutum degradari, & in Tiberim exemplo inaudito præcipitari juſſit. Et in Concilio Romæ habito ſtatim prohibitum, ne hæc translatio in exemplum traheretur.

Quid obtinet in Germania?

Reſp. Rariores ſunt translationes, ſed obtinet, quod pejus eſt, multiplicatio. Gravius enim delictum eſt polygamia, quam repudium. Unica autem cauſa, cur hoc tam frequenter in Germania, & rariſſime in aliis regnis fiat, quæ etiam inferitur diſpenſationi, hæc aſſignatur, ut ſiant potentiores contra Hæreticos. Cum Proteſtantes multum conquererentur ab initio de abuſibus Romanæ Curiæ, Paulus III. novem viros doctos & prudentes nominavit, eisque ſub gravi culpa dicendum impoſuit, quid emendandum in Curia Romana; & inter cetera etiam allegarunt, ut nemini darentur duo Epiſcopatus; plurima dein ex horum Concilio ſtatuta ſunt in Trid. Concilio.

TITULUS VIII.

De Authoritate & Uſu Pallii.

Fit hæc inſcriptio & rubrica de authoritate Pallii, non quaſi ipſi ineſſet authoritas, ſed quia per eam ſignificatur & confertur plenitudo poteſtatis Archiepiſcopalis, quæ ante acceptionem ſuſpenſa eſt.

Quæres

Quæres quid sit origo Pallii?

Resp. Petrus de Marca, Thomasinus & alii invictis demonstrant argumentis, illud originem habere ab ipsis Imperatoribus, fuitque ab initio integrum Pallium, & certum genus quoddam vestimenti, quibus utebantur Imperatores, & ut magis conspicuos & venerabiles redderent Patriarchas, usum hujus vestis ipsis concessere. Sic econtra legitur in Historia, Patriarcham quendam Constantinopolitanum depositum, debuisse Imperatori remittere suum Pallium. Successu temporis Pontifex sibi reservavit potestatem concedendi Pallium tanquam reservatum Primatus, in occidente scilicet, & illud etiam orientis Episcopis dare voluit, sed hi non receperunt; & reconciliatis Græcis statutum quidem erat, ut Patriarchæ illud reciperent a Pontifice, & hi deinde suis Archiepiscopis concederent. Sed quia salvis suis privilegiis reuniti sunt, illud etiam in praxin non deductum est.

In occidente ab initio tantum duo Episcopi illud habuerunt, qui scilicet erant vicarii summi Pontificis, Episcopus scilicet Arelatensis, & in Illyrico Thessalonicensis, quos ut magis sibi unitos retineret, constituit vicarios suos in Sæc. VII. & VIII. Pallium plures acceperunt Archiepiscopi in Germania & Gallia, & quidem gratis & sæpe inviti, quia ajebant se hoc modo tantum magis subjectos fieri; & sic solis Archiepiscopis usus Pallii concessus est. Successu tamen temporis etiam nonnulli alii exempti & immediati illud acceperunt, ut Bambergensis, in Italia Ostiensis, & in quovis fere regno unus.

Hodie Pallium nihil aliud est, quam fascia trium digitorum lata ex lana alba contexta, & per modum collaris circumdat collum, ex qua duæ dependent lineæ, quibus acubus quatuor cruces nigræ affixæ sunt.

Singulis annis festo S. Agnetis duæ oves ante Palatium Pontificis, quas ipse benedicit, exportantur ad Ecclesiam S. *Agnetis*, quæ Ecclesia est extra urbem, & ibi offeruntur, & aluntur, & debito ibi tempore tondentur, ex quarum dein lana a certis monialibus Romæ ducuntur fila & conficiuntur Pallia, quæ per noctem relinquuntur super altare Apostolorum Petri & Pauli, unde de horum corpore dicuntur & postea asservantur in Cista.

Quomodo obtinendum hoc Pallium?

Olim debuerunt personaliter Romam proficisci, & inter missarum solemnia post communionem eo induebantur. Hodie tantum constituunt Procuratores, & debent illud hac forma petere. Ego N. N. peto Pallium instanter, instantius, instantissime, in quo est plenitudo potestatis Archiepiscopalis. Recipiunt autem illud etiam Archiepiscopi inter missarum solemnia, post communionem, præstito adhuc semel illo juramento, de quo supra. Olim quidem gratis concedebatur, sicut S. Zacharias S. Bonifacio expostulanti rescripsit. Sed hodie taxa sat magna pro illo solvenda. Episcopus Moguntinus debet solvere 27000. florenos. Ab initio dabant Episcopi honoraria, quæ deinde jure exigebantur. Alias Moguntiacus solvit tantum 10000. Sed refert quidam mortuum aliquando Archiepiscopum, qui necdum solverat, unde ejus successor non accepit Pallium, donec utrumque 20000. scilicet florenos solveret; quod dein relatum in registra Romæ, ut hanc semper summam debuerint solvere. Successu temporis aucta est summa 5000. florenis. Et quia Curia tandem pluribus aucta est ministris, accessere adhuc 2000. ut jam semper 27000. debeat solvere. Hinc Episcopus Jacobus ingemuisse fertur ob maturam mortem, quod adeo populi gravarentur frequentibus hisce solutionibus.

ad N. 4. & 10.

Quis sit Usus Pallii.

Usus Pallii est restrictissimus & personalissimus. Quidquid est jurisdictionis Archiepiscopalis, ante hoc obtentum exercere non potest, non visitare diœceses, convocare Concilium Provinciale &c. imo nec coronare Imperatorem. Reliqua lege in Authore eumque sequere quoad omnia.

TITULUS IX.

De Renunciatione.

Non potest præcisa connexio hujus tituli cum prioribus ostendi, sicut etiam materiæ in Decretalibus non semper connectuntur. Quia tamen actum est in superioribus tit. de modis acquirendi beneficia, subjungitur etiam materia, quomodo iis possit renunciari.

Ulterius

Ulterius fit tacita renunciatio per *militiam*. Canones tamen ex hac causa introducentes renunciationem tacitam; in Germania, saltem in equestribus Ecclesiis non sunt recepti & contrarium ubique fere obtinet. P. Layman id excusat ob genium nationis militiæ assuetæ, 2) per mutationem religionis, quæ tamen citra infamiam fieri potest, propter reservatum Ecclesiasticum, de quo fide superius. Sponsalia tamen, quia non sunt vinculum tam forte sicut matrimonium, & facile possunt solvi, non inducunt hanc tacitam renunciationem. **ad N. 2.**

Quæ a No. 4. usque huc recensentur, procedunt de majoribus dignitatibus, Episcopatu, Abbatia, lege *C.* 10. *h. tit.* ubi ipse Pontifex causas requisitas explicat. **ad N. 6.**

Quæres, an etiam ad inferiora beneficia requiratur Causa?

Resp. Secundum antiquam Ecclesiæ disciplinam, qua Clerici in Communi vivebant, neque erecta erant beneficia, si qui aliquando per ordinationem erant adscripti Ecclesiæ, non liberum fuit ipsis & integrum pro libitu recedere. Hodie autem postquam erecta sunt beneficia, libera plane & arbitraria in praxi est renunciatio.

Pius V. quidem in sua Bulla, quæ incipit: *quanta Ecclesiæ Dei*, requisivit etiam causam ad inferiora beneficia, & insuper in illa prohibuit, ut taliter resignata beneficia non possint consanguineis Collatoris, vel resignantis conferri. Sed in praxi hæc bulla non est recepta, cum Romæ id passim fiat, & ordinariorum tantum restringat potestatem, interim tamen Romæ posset quis impugnari.

Excipiuntur tamen, qui ordinati sunt ad titulum & mensam, si sint in sacro ordine constituti, nisi expressam faciant tituli mentionem in resignatione, & aliud medium honestæ sustentationis substituant, resignatio est nulla, ne scilicet in opprobrium status Clericalis teneantur mendicare. Lege *Concil. Trid. sess.* 21. *C.* 2.

Harum resignationum absolutarum Superior, coram quo fieri debet resignatio, regulariter est Episcopus, ex speciali tamen privilegio potest etiam inferior Prælatus vel Capitulum esse.

ad N. 8. *Quæres, an licitæ sint istæ conditionales modales resignationes, quæ de stilo Curiæ vocantur resignationes in favore?*

Resp. Novitiæ plane sunt, & recentissimæ disciplinæ, nec notæ in jure decretalium Gregor. IX. vel Bonifac. VIII. vel Clementinis &c. & a tribus modo sæculis ex stilo Curiæ introductæ, & de facto procedunt, ut quis sit tutus in foro fori, nec possit in suo beneficio taliter obtento turbari, multa tamen fiunt, quæ de jure non valent, & multæ praxes sunt introductæ in Curiam, quas præstaret introductas non esse, inter quas & hanc recenset Baronius. Itaque de jure, cum beneficia tendant ad ministeria & officia publica, quæ dignioribus debent conferri; & quæ ad publica ministeria tendunt, sint extra commercium privatorum, non valent quæcunque nundinationes & pactiones, ne via dignioribus præcludatur, & aperiatur indignis, ut absit omnis hæreditaria successio &c. Ex eadem ratione non valent etiam permutationes beneficiorum.

In Praxi tamen tales resignationes coram Pontifice factæ valent, quia ajunt vitium Simoniæ purgari, dummodo Pontifici reservetur beneplacitum Apostolicum. In hanc praxin plurimum invehuntur adversarii; & vocant illam pestilentialem loco Curialis.

Quomodo hæc resignatio fiat?

Resp. 1mo. debet Pontifici porrigi supplica, cui olim inscribebatur, quod in favorem quis resignaret, sed hodie quoad sensum puræ sunt resignationes, si tamen in eadem supplica, qua resignat, petat alteri conferri beneficium, signum est, esse resignationem in favorem. Et si quis absens velit resignare, ob multas fraudes alias intervenire solitas, debet constituere procuratorem cum mandato speciali expedito per Notarium Publicum & Apostolicum, cujus saltem sigillum notum sit in Curia Romana, & post signaturam Pontificis: *fiat ut petitur*, modo expediuntur Bullæ, ante quarum tamen expeditionem procurator debet præstare juramentum, quod omnia sine fraude facta sint, & facta hac expeditione modo plena est resignatio.

Debet tamen ex regula Cancellariæ resignans, a tempore præstiti hujus consensus 20. supervivere dies, alias beneficium vacat per obitum. Subinde si periculum sit, petunt huic regulæ cancellariæ derogari. Non ita pridem Paderbornæ quidam resignavit, & in supplica petiit

petiit huic regulæ derogari, non tamen in expeditione Bullæ, tempore præſtiti illius conſenſus. Hic deinde non ſupervixit 20. dies. Contulit ergo Ordinarius beneficium. Ille deinde, cui reſignatum erat antea, iterum recurrit Romam, & quia in ſupplica petiit derogari, novam expedierunt Bullam, & voluerunt illam retrotrahere ad tempus datæ ſupplicœ. Si autem hoc procedit, brevi ceſſabunt concordata. Ex conſtit. Greg. XIII. & regula Cancellariæ debent ex Cathedra inſtar ſponſalium hæ reſignationes intra 6. menſes promulgari, alias beneficium vacat per obitum.

TITULUS X.

De Supplenda negligentia Prælatorum.

Quæres I. Quid ſit jus devolutum?

Reſp. Eſt translatio juris inferioris ad ſuperiorem ob delictum vel negligentiam. Si ergo impeditus ſit Epiſcopus, non ad ſuperiorem, ſed ad Capitulum redit jurisdictio. Colonienſis Archiepiſcopus, cum proſcriptus fuit, capitulo additus eſt commiſſarius, & hoc ut obſervetur, tum ſtatutum.

Non ſtatim avocandæ ſunt cauſæ ex titulo protractæ vel denegatæ juſtitiæ, ſed deſuper prius peti debent informatoriæ, dein decerni monitoriales, & præſigi terminus, quo elapſo cauſa avocatur. ad N. 5.

In C. Trid. ſtatutum quidem eſt, ut cauſæ Eccleſiaſticæ intra duos annos terminentur, quibus elapſis devolvantur ad ſuperiores. Hoc tamen non ita crude intelligendum, ut omnes ſtatim hoc termino elapſo avocentur, ſed tantum ſi ex negligentia non terminentur, ſecus eſſet, ſi ipſi litigantes e. g. eſſent in cauſa, vel illa non ſufficienter eſſet inſtructa &c.

TITULUS XI.

De temporibus ordinationum & qualitate ordinandorum.

§. I.

In duobus maxime hic differunt Lutherani ; 1) Scilicet quod rejiciant sacrificium missæ, quod Catholici tanquam augustissimum a Christo Domino institutum ex Sacra Scriptura, & constanti traditione tuentur, in quo, *ut ait Trid.* eadem est hostia, & idem offerens ministerio sacerdotum. 2) Quod sacerdotes divinæ institutionis esse negent, & quoslibet a communitate assumi, & ad laicalem conditionem & statum reverti posse affirment, cum tamen ex principiis Catholicorum sacerdotes & ministri jure divino instituti, immutabilem vitæ statum & indelebilem characterem per ordinationem accipiant.

Quæres I. Quid sit ordinatio?

Resp. Nihil aliud est, quam ritus & ceremonia solemnis, qua ministri Ecclesiæ constituuntur. Cum enim augustissimum sit, & excellentissimum sacrificium, ad quod assumuntur, convenit plane, ut ad majorem huic conciliandam venerationem ritibus solemnibus inaugurentur.

ad N. 2. Theologi quidam docent extensive tantum esse alium ordinem ex ratione, quia sacerdotes eandem potestatem & habitudinem ad corpus Domini habent.

Secundum antiquam Ecclesiæ disciplinam ordo dividebatur in ordinem sacerdotii & ministerii. Ille in sacerdotium primi ordinis seu Episcopatus, & secundi ordinis sive presbyteratus. Reliqui erant diaconi ad ordinem ministerii pertinentes. &c.

Ordo episcopatus, quia est ordo fœcundus & primarius, fons & origo omnium ordinum, utique est distinctus ab ordine presbyterii. Episcopus enim semper habitus est primarius minister, etiam corporis divini, cujus tamen coadjutores & cooperatores erant sacerdotes, qui non jure independente, sed cum dependentia ab Episcopo illud ministrabant, adeoque aliam plane ad illud habebant habitudinem :

ad N. 8. Hos ordines institutionis meræ Ecclesiasticæ, adeoque non Sacramenta esse, inde patet, quod successive introducti sint, & variaverit eccle-

ecclesia in iis. Subinde enim plures, subinde pauciores in aliis particularibus fuerunt, ut de facto in Ecclesia Græca solus est lectoratus, & alias erat etiam in usu ordo fossariorum, Cantorum &c. De ordinibus minoribus.

§. II.

Cum horum privilegiorum authenticum exemplum ex historia probata non suppetat, merito rejiciuntur tanquam falsa & supposititia, neque ulli a Pontifice conferri posse potestatem, ordines majores conferendi affirmatur, cum hoc dependeat a charactere Episcopali. ad N. 12.

Quoad hoc specialem inter reliquas, quas singulis quinquenniis debent petere, facultatem habent Episcopi Germani, ut etiam extra tempora a jure statuta licite valeant ordinare. ad N. 14.

In hoc speciale habent privilegium religiosi Societatis J. qui sine interstitiis ordinari possunt. Totum horum institutum meris constat privilegiis. Contra quæ loqui prohibuit Paulus III. ad N. 20.

Speciale quoad §. III. est beneficium originis, quod licet in nullo alio casu suffragetur, sufficit hic tamen ad conferendos sacros ordines. Excipiuntur tamen hic regulares, qui per professionem censentur amittere originem, & ab Episcopo, in cujus diœcesi sunt, ordinari debent. ad N. 26.

Licet ergo ad constituendum forum parochiale sufficiat quasi domicilium, ad ordines tamen accipiendos requiritur verum, & si aliunde non possit constare de animo perpetuo ibi permanendi, ex facto scilicet, quod familiam illuc transtulerit, ædes & bona sibi emerit, juramento debet ille animus manifestari. ad N. 27.

Et si in hac suspensione suo officio fungatur, insuper fit irregularis. Vide infra de irreg. ad N. 35.

TITULUS XII.

De Scrutinio in ordine faciendo.

Hoc exacte adhuc servatur in Italia quoad primum hoc examen, in Germania autem usu receptum non est. ad N. 1.

Hoc

ad N. 8. Hoc ſcrutinium eſt tantum ſcrutinium cæremoniale, in quo Archidiaconus offert Epiſcopo ordinandos, cum hac forma: Sanctiſſime pater, poſtulat Eccleſia, ut hunc præſentem diaconum e. g. ad onus presbyterii ordines, ex quo dein quærit Epiſcopus: Scisne illum eſſe dignum? & reſpondet, quantum humana fragilitas noſſe ſinit, ſcio & teſtificor illum eſſe dignum.

TITULUS XIII.

De ordinatis ab Epiſcopo, qui renunciavit Epiſcopatui vel excommunicato.

Hic tantum diſtinguendum inter liceitatem & valorem. Cum ergo nec renunciatio nec excommunicatio tollat Characterem Epiſcopalem, valide ſemper ordinat, licet illicite & non cum effectu exercitii talis ordinis, quia taliter ordinatus eſt & manet ſuſpenſus ab exercitio ordinis.

TITULUS XIV.

De ætate & qualitate & ordine præficiendorum.

§. I.

ad N. 1. In minoribus ætas hodie eſt arbitraria, in majoribus ſervatur conſtitutio Trid. & ſententia Authoris.

ad N. 12. Olim vix aliquis ordinabatur, niſi ſimul per ordinationem certæ Eccleſiæ adſcriberetur, unde vivere poſſet: ſed cum tamen Epiſcopi
ad N. 14. ſucceſſu temporis facilius ordinarent. Innoc. III. in pœnam ſtatuit, ut ſi ordinatus ab Epiſcopo non haberet beneficium, ipſe de menſa ſua illum alere teneretur, & occaſione hujus invaluit titulus menſæ, qui olim ignotus plane fuit, & recentioris eſt diſciplinæ.

ad N. 26. Hoc idem privilegium Pontifex Greg. XIII. conceſſit etiam ſeminariis a ſe erectis, quale fuit Fuldæ.

§. II.

§. II.

Licet ergo in Germania Epiſcopi inter ſpeciales ſuas facultates habeant, ut in penuria ſacerdotum ad curam animarum tantum in anno poſſint diſpenſare, in ordine tamen ad beneficium, ſi certa ætas requiratur, diſpenſatio ſuper ætatem privative reſervata eſt ſummo Pontifici, & de ſtilo curiæ reſervat etiam ſibi Pontifex collationem talis beneficii, & non ſimpliciter tantum diſpenſat, ſed ſimul beneficium confert. ad N. 30.

TITULUS XV.

De Sacra Unctione.

Olim ritu magis ſimplici ordinabantur ſacerdotes, precibus ſcilicet, jejunio & impoſitione manuum. Succeſſu tamen temporis invaluit unctio, ut per hanc quaſi ſancti & inviolabiles evaderent ſacerdotes, & majore eum dignitate munus ſuum obire poſſent. Hanc unctionem explodunt Hæretici, & in hoc Eccleſiam judaizare dicunt, quibus reſponde, quod ſupra dictum de cæremoniis, quod ipſimet jam unctionem in regibus adhibeant, uti conſtat de Electore Brandenburgico, qui ſe ipſum inunxit, dum Regis titulum accepit. Et nuper Rex Sueciæ ab Epiſcopo ſe juſſit inungi. ad N. 3.

Ita quidem ſtatutum Cap. *venerabilem* 34. *de electione*. Hodie autem in praxi Imperator non tantum in brachio, ſed etiam in vertice, inter ſcapulas, & in juncturis manuum inungitur, non quidem a ſummo Pontifice, ſed vel ab Archi-Epiſcopo Moguntino, ſi in ejus Diœceſi coronetur, vel Colonienſi, ſi in Diœceſi Colonienſi coronetur, & in aliena, ab his alternative. ad N. 4.

Mos hic inungendi Reges viguit quidem jam in Veteri Teſtamento, ut conſtat de Saule, Davide, &c. & in Novo Teſtamento practicatus potiſſimum eſt a Regibus Galliæ. In Imperatoribus autem in primis ſæculis non adhibebatur, ſed a tempore Caroli Magni, ad exemplum Regum Galliæ fuit introductus circa Sæc. VIII. Porro ab hac unctione dicuntur ſacratiſſimi, quaſi ſanctæ & inviolabiles perſonæ.

Quæres, an hæc unctio conferat potestatem?

Resp. Negative, quod enim in successivis successio, hoc in electivis tribuit electio. Omnem ergo suam potestatem habet Imperator ab electione, & hæc unctio est tantum cæremonia.

Quæres, quomodo Leo III. a Græcis ad Germanos transtulerit Imperium?

ad N. 5. Resp. Leo III. non dedit Carolo Magno Imperium tanquam feudum, neque ei contulit potestatem regiminis, hanc enim jure belli sibi acquisivit; sed per eam translationem nomen Imperatoris, prærogativam & primatum inter reliquos principes, & jus protectionis & advocatiæ, non autem jus imperandi & regendi accepit. Confirmatur hoc famoso illo exemplo, dum Pontifex Hadrianus IV. Friderico Ahenobarbo rescripsit: Insigne tibi coronæ beneficium contulimus, quod statim correxit, & per hoc non feudum & Imperium, sed benefactum aliquod intelligi asseruit. Hoc ergo sensu dicitur translatum imperium a Leone III, & præter suum titulum nihil in acceptis refert Imperator Pontifici, neque ei major potestas in electione Imperatoris competit, quam in electione Regis Poloniæ, & aliorum. Non enim videtur, unde major illa potestas proveniat.

Sed hæ sunt meræ Prætensiones. Arrogant sibi quidem Pontifices in Imperio potestatem, ut habet Author in fine hujus tituli, uti examen, coronationem &c. Contradixit etiam Pontifex, quando Elector Brandenburgicus ad dignitatem Regis evectus; & dum Carolus V. inscio Pontifice abdicavit Imperium; & dum nonus Elector Hanoveranus creatus est. Sed hæ contradictiones sunt politiæ Romanæ, quas non attendunt status Imperii.

Quæres, an ad Pontificem pertineat Coronatio Imperatorum?

Resp. Olim quidem, quia titulum Imperatoris Pontifici in acceptis referebant, coronabantur ab ipsis Pontificibus, & in aurea Bulla ante Coronationem vocantur promovendi in Imperatores, & olim in Capitulationibus debuerunt jurare, se velle a Pontifice recipere Coronam, si commode possent; sed neutrum jam observatur. Carolus V. fuit ultimus, qui a Clemente VII. coronatus est; & in Capitulationibus Leopoldi illud juramentum etiam omissum est. Coronantur ergo

ergo.

go hodie ab Archiepiscopo vel Moguntino, vel Coloniensi, modo supra dicto.

Quæres, an a Pontifice institutum Collegium Electorale?

Resp. Id quidem affirmatur in *dicto Cap.* Sed hodie vix ab aliquo Critico defenditur. Ipsi potius principes, quia non poterant tam facile inter se convenire, in hoc consensere, neque a Pontifice principes Germaniæ illam potestatem eligendi unquam accepere.

TITULUS XVI.

De Sacramentis non iterandis.

Hunc Characterem iterum rident Acatholici, neque etiam clare ostenditur ex S. Scriptura. Sed cum non solum verbum Dei scriptum, sed etiam traditum sit regula credendi; & constanti & perpetua traditione hæc tria Sacramenta judicata sint imprimere characterem, hoc fide certum est. Quid autem sit, an qualitas physica, vel moralis, Theologis disputandum relinquitur.

Character autem his est signum indelebile constituens hominem in certo & immutabili statu.

TITULUS XVII.

De filiis presbyterorum ordinandis vel non.

Notandum hic ex historia: in primis Ecclesiæ sæculis nullam fere fuisse irregularitatem, quam crimen. Cum enim in ordinandis tantum requireretur integritas morum, illegitimi autem non, sed eorum tantum parentes peccassent, & quia delicta tenere debent suos tantum authores, ipsi non puniebantur, nec erant irregulares. Sed circa Sæc. VIII. ubi in *Anglia* potissimum, & Germania invaluit incontinentia clericorum, & hi insuper filios in beneficia ecclesiastica voluere intrudere, ad arcendum & puniendum hoc crimen ab initio eorum tantum filii facti sunt irregulares. Et quia exinde illegitimi habiti sunt personæ viles,

Quare hic titulus ita inscribatur.

Hinc pleraque capitula inscripta sunt pro ecclesia Anglicana.

les, Sæc. XI. quia potentiores potiſſimum filios ex concubinis natos ad miniſteria Eccleſiaſtica pariter promoverunt, extenſa eſt hæc irregularitas ad quoscunque illegitime natos; & Cathedralia & Collegiata Capitula ſpecialibus etiam ſtatutis ſe munierunt, ne ejusmodi perſonas viles & contemptas teneantur recipere.

Ad exemplum deinde juris Canonici, quia reputabantur perſonæ viles, & indignæ, cœperunt etiam excludi a dignitatibus, & officiis ſæcularibus.

Quid ſpecialiter circa legitimatos etiam ſtatuerit Trid. vide N. 2.

TITULUS XVIII.

De Servis non ordinandis & eorum manumiſſione.

Prior hujus tituli diſpoſitio hodie ſublata ſervitute non habet uſum. Bene tamen dicitur quoad refundendum damnum obtinere, quoad homines glebæ adſcriptos, & ad ſervitia conductos.

A Titulo XIX. uſque ad XXIII. nihil ſpeciale habetur.

TITULUS XXIII.

De Officio Archi - Diaconi.

Cum Epiſcopi ob amplas Diœceſes non poſſent ipſi muneris ſui partes omnes & officia implere, conſtituerunt ſibi miniſtros, qui tanquam Vicarii eorum vices ſupplerent. Et quia diaconatus eſt ordo miniſterialis, aſſumpſerunt ſibi Diaconos, qui deinde vocati ſunt Archi-Diaconi, quaſi oculus Epiſcopi, qui intenderent, & inſpicerent ea, quæ ad officium Epiſcopi pertinerent. Quia autem paſſim & longo tempore hæc officia exercebant, ſucceſſu temporis eorum jurisdictio facta eſt ordinaria, ut Epiſcopus non poſſet illos amplius amovere, vel imminuere & reſtringere eorum poteſtatem. Sed magis magisque ſuam extendebant jurisdictionem, jure proprio & independente illam exercebant, ipſosque excludebant Epiſcopos.

Licet

Licet etiam ordine essent inferiores, pro edria tamen & dignitate præcedebant Archipresbyteros, quia hi supplebant tantum actus interiores Episcopi, illi autem exteriores, & actus jurisdictionis, qui magis splendent, quæ dignitas asserta est ipsis ex Apocryphis Isidori, ad quæ se refert. *Cap.* 3. *hoc tit.* ubi jure decretalium est ipsis affirmata, in quo etiam recensentur pleraque eorum officia.

Cum ergo hoc modo nimium restringeretur authoritas Episcoporum, cum hi amplius nollent ab ipsis dependere, cœperunt tandem circa Sæc. XII. horum potestatem imminuere, & sibi Vicarios constituere, quibus præcipue indigebant ob processum forensem tum in Ecclesiam introductum, tam ob ignorantiam juris, quam ob multitudinem causarum. Et tandem in Con. Trid. ubi maxime restituta est authoritas & jurisdictio Episcoporum, hæc res etiam decisa, ut visitatio diœcesis & cognitio in caussis majoribus pertineret ad Episcopum, nec illam amplius Archi-Diaconi, nisi cum consensu Episcopi visitarent, vel si docere possent consuetudinem, adeo ut in pluribus Diœcesibus nomen Archi-Diaconorum plane sit extinctum, uti in Diœcesi Herbipolensi, quæ tota divisa fuit in certos tractus, hodie in capitula ruralia, quibus singuli præerant Archi-Diaconi, Canonici Cathedrales, & exercebant jurisdictionem; in Leodiensi Diœcesi adhuc exercent jurisdictionem.

Hodie autem quodnam sit eorum officium, quanta jurisdictio, authoritas, & dignitas, non amplius ex jure decretalium, sed ex speciali consuetudine & ordinatione Diœcesis desumendum est.

TITULUS XXIV.

De Officio Archipresbyteri.

Sicut Archi-Diaconi præerant exterioribus Episcopi functionibus, sic Archipresbyteri interioribus. Et quia hæ minus splendebant dignitate, erant inferiores, licet ordine superiores. Quæ fuerint eorum officia, lege in Authore.

Hodie etiam illorum nomen in plerisque Diœcesibus extinctum est, & civitatensibus successerunt Decani in urbe, plebanis Decani rurales.

les. Quanta autem horum ſcilicet Decanorum ruralium ſit poteſtas, ex ordinatione & inſtructione Epiſcopi deſumendum. Minores plerumque defectus monere, majores referre tenentur, viſitare tractum cum conceſſu vel mandato Epiſcopi &c.

TITULUS XXV. XXVI. XXVII.

Hæc officia introducta ſunt, cum Canonici in Communitate viverent. Hodie nomina ſuperſunt, & pingues aſſignati reditus. Officia autem exercentur per Vicarios. Reliqua lege in Authore.

TITULUS XXVIII.

De Officio Vicarii.

Cum, ut dictum eſt, Archi-Diaconi phylacteria & fimbrias ſuas nimis dilatarent, Epiſcopi tamen introducto ſtrepitu forenſi in Sæc. XII. cauſas omnes non poſſent audire, cœperunt ſibi conſtituere Vicarios. Cum autem poteſtas Epiſcopi ſit aliquod complexum ex variis, habet enim poteſtatem ordinis, jurisdictionem, jus Diœceſanum &c. ſic varios etiam ſibi conſtituere vicarios. Alius enim eſt vicarius in Pontificalibus, qui exercet ea, quæ ſunt poteſtatis ordinis, & hi abuſive vocantur ſuffraganei, proprie enim ipſe Epiſcopus eſt ſuffraganeus, & ſic dicitur a voto ſeu ſuffragio, quod dat in Concilio Provinciali. Alius iterum vicarius in jurisdictionalibus & ſpiritualibus, qui cognoſcit cauſas contentioſas, civiles & criminales majores Clericorum. Et hic vel generalis in civitate, qui judicat in ipſo tribunali Principis, adeoque unam cum ipſo cenſetur conſtituere perſonam, a quo proinde non datur appellatio ad Epiſcopum, alius foraneus, a quo datur appellatio. Hic Herbipoli non dantur foranei, in Moguntina autem diœceſi adhuc habentur, & vocantur commiſſarii. Vide Authorem. Hi Vicarii alibi etiam vocantur officiales, & ex ſtilo Curiæ nullus ultra Alpes vocatur Vicarius generalis, ſed omnes officiales. Alius Vicarius, qui jus Diœceſanum, & quæ ſunt jurisdictionis voluntariæ, exercet, qui examinat

nat pastores, locorum piorum administrationes, & ea, quæ ad Regimen animarum pertinent, curat.

Quodnam sit Vicariorum officium?

Quodnam autem horum sit officium, iterum non ex jure communi, sed ex singularum Diœcesium consuetudine & statutis desumendum.

Quid specialiter observandum in Germania?

Resp. In Germania, ubi Episcopi sunt simul Principes Imperii, suam jurisdictionem per varia Collegia & Dicasteria exercent, quibus tantum præsident Vicarii. Tota jurisdictio autem est penes Collegium, non penes ipsum Vicarium, in quo tantum ille proponit agenda, & vota colligit, & in paritate majora facit.

Hic Herbipoli per tria Dicasteria exercetur jurisdictio spiritualis. 1mum est *Consistorium*, cujus præses vocatur officialis. In hoc tractantur causæ sponsalitiæ inter partes, & divortia quoad mensam & torum. 2dum *Vicariatus*, cujus præses vocatur Vicarius, in quo tractantur causæ Clericorum civiles non adeo graves. 3tium *est regimen Ecclesiasticum*, in quo tractantur causæ majores civiles & criminales Clericorum, ubi agitur de infligenda pœna, censura, judicatur de valore & nullitate matrimonii, & ea, quæ ad jus Diœcesanum pertinent, in eodem expediuntur. Cujus Vicarius vocatur Præses, & Assessores habent votum decisivum, quæ ipse colligit, & in paritate facit majora.

Quæres, in quo Dicasterio debeant tractari causæ Protestantium?

Resp. Ipsi protestantes suas causas spirituales tractant in Consistoriis, quibus præsunt Superintendentes. Sed ubi Princeps est Catholicus & Episcopus, plerumque tractantur eorum causæ in Dicasteriis sæcularibus. Possunt tamen etiam in Consistorio tractari, sed secundum eorum principia, ubi in difficilioribus vel ad Prædicantes quosdam, vel ad universitatem causa remittitur; si scilicet in anno Normali 1624. jurisdictionem agnoverint.

Quæres, an Princeps teneatur illis erigere Consistorium?

Id quidem prætendunt, & cum jurisdictio Episcoporum sit suspensa, sæculares autem juxta nostra principia incapaces sint jurisdictionis spiri-

ſpiritualis, volunt ſibi ipſis licere proſpicere, ſed contra *Inſtrumentum pacis. Art.* 5. §. 31. Hæc eſt exceptio tertii, quam opponere ipſorum non intereſt. Sufficit nobis praxis hactenus in Imperio uſitata.

Art. 5. §. 31. Inſtrumenti pacis ſtatutum, ut ubi in anno Normali habuerunt Conſiſtorium, illud Dominus Territorialis teneatur conſervare, ſalva tamen ſua authoritate territoriali, ita ut poſſit etiam Catholicum imponere, qui attendat & invigilet, ne quid contra jura & ſtatum ſui Imperii ibi pertractetur. Si autem poſtea introductum, non tenetur illud continuare, ſed poteſt per alios etiam judices eorum cauſas decidere, quia ſola illis poſſeſſio ſuffragatur, quatenus poſſederunt in aliqua anni parte, ſive jure, ſive injuria, & injuſta etiam contradictione, ſi dominus ex ſuppoſito voluiſſet illud reducere.

TITULUS XXIX.

De Officio & Poteſtate Judicis Delegati.

Cum in ſæculo XII. ſub Alexandro III. præcipue, ut dictum eſt ab initio, invaluerunt exemptiones, indulta & privilegia, & plurimæ cauſæ ab ordinariis Judicibus, hac ratione Romam avocarentur, Pontifex autem, tum ob nimiam cauſarum multitudinem, tum ob remotionem locorum, omnes per ſe tractare non poſſet, commiſit has cauſas aliis judicibus, unde delegati etiam commiſſarii dicuntur.

Eſt autem Delegatus, qui nomine vel ex mandato alterius cauſam examinat & judicat.

ad N. 2. Delegati autem ſunt duplicis generis, alii habent mandatam jurisdictionem, quibus delegatur univerſitas, vel certum aliquod genus cauſarum, & hi propius accedunt ad ordinarios, quia poſſunt ſubdelegare, differunt tamen ab eis, quia non jure proprio ſuam exercent jurisdictionem, alii tantum delegantur ad certam cauſam. Lege Authorem eumque ſequere.

Quare

Quare in tot caſibus in Con. Trid. præcipue Epiſcopi delegati ſunt ipſo jure? ad N. 5.

Reſp. Cum per exceſſivas iſtas exemptiones (quæ exemptiones invaluerunt ſæculo XII. Erant quidem in ſæculo VII-IX. &c. Exemptiones quædam partiales v. g. ne Epiſcopus turbaret ſolitudinem, ne ipſos viſitaret, ne gravaret exactionibus &c. totales autem ſunt recentiores, adeoque ſi antiquiora Autographa exhibeantur, ſuppoſititia) nimium reſtringeretur authoritas Epiſcoporum, & Clericorum etiam ſæcularium, præcipue in Hiſpania, ubi omnes collegiatæ exemptæ erant, vitia ob remotionem locorum, quibus Pontifex non poterat inſpicere, impunita manerent, voluerunt Epiſcopi iſtas exemptiones omnino tolli & abrogari. Intererant autem complures etiam Abbates & Generales Ordinum, qui ſuis inſtiterunt privilegiis, utpote quæ non gratuita, ſed remuneratoria affirmabant, ob inſignia in Eccleſiam merita. Quia tamen ipſi agnoverunt Eccleſiæ diſciplinam ſic non poſſe ob ſæcularium exemptiones ſubſiſtere, in plurimis caſibus delegata eſt ipſo jure Epiſcopis jurisdictio, & ſic via media res complorata, ita ut non Titulo ordinario, ſed tanquam Apoſtolicæ ſedis delegati illam poſſint exercere. Quia tamen hæc jurisdictio non eſt attributoria novæ poteſtatis, ſed excitatoria reſtrictæ & ſopitæ jurisdictionis, hinc ſecus ac aliæ delegationes, eſt latiſſimæ interpretationis.

Author hic facit Diſtinctiones inter formulas delegationis. Has in Gallia non attendunt Epiſcopi, & nominetenus tantum ſunt delegati, re ipſa jure ordinario exercent jurisdictionem. Ab ipſis enim non ad Pontificem, ſed Archi-Epiſcopum fit prius appellatio, & tranſit in quibusdam locis hæc jurisdictio in capitula, cum in Germania ordinaria tantum, non delegata, in illa tranſeat.

ad N. 8. Quis delegare poſſit?

Idque in delegato a ſummo Pontifice procedit, etſi nihil expreſſum. Ratio eſt, quia repræſentat talis delegatus ipſum Pontificem, & cum Pontifex ſibi ignotos, ſubinde minus peritos, in partibus præcipue remotis deleget, non ſatis alias proviſum eſſet.

Si delegatus ab Imperatore ſit Princeps ſtatus Imperii, etiam poteſt ſubdelegare. Si autem ſit inferior & peritus in arte, non poteſt ſubdelegare, quia cenſetur induſtria perſonæ eſſe electa. Quotiescunque autem hæc electa eſt, non valet ſubdelegatio.

Quæres, quandonam cenſeatur perſonæ induſtria electa?

Reſp. Si ſpecialis fiat mentio dexteritatis, ſcientiæ, artis, vel alterius qualitatis. Hinc etiam inferiorum Principum delegati ſubdelegare non poſſunt, quia ſemper cenſetur perſonæ induſtria eſſe electa.

ad N. 9. Valet Authoris diſtinctio, propterea hic obſervandum, has delegationes eſſe ſtrictiſſimæ interpretationis.

ad N. 11. Quinam poſſint delegari? Inprimis ergo debet eſſe in dignitate conſtitutus delegatus a ſummo Pontifice. 2do. Debet eſſe 20, vel ex conceſſu partium etiam 18. annorum. *C.* 41. *hoc Tit.* 3tio & in cauſa Eccleſiaſtica, perſona eccleſiaſtica. Reliqua vide in Authore.

ad N. 17. Quomodo exſpiret delegatio? Exſpirat ergo 1.) morte delegantis re integra *Cap.* 20. *h. T.* Sufficit autem, ut res non ſit amplius integra, decretum emanaſſe, licet partibus necdum inſinuatum ſit. Inſinuatio enim requiritur tantum ad præventionem fori, non ad perpetuandam jurisdictionem, quæ eo ipſo perpetuatur, quod quis illa uſus ſit. Atqui per emanationem decreti verum eſt, aliquem ſua poteſtate uſum eſſe, ergo. Huic *Cap.* 20. e diametro obſtat, *Cap.* 19. quod requirit litis conteſtationem. Cum ergo congrua concordantia inveniri non poſſit, Cap. 19. a Cap. 20. ut poſteriore correctum cenſetur.

2to. Hæc autem prorogatio debet fieri currente termino, alias non valet. Facilius etiam conſervatur, quod eſt, quam detur, quod exſpiravit.

3to. Etſi falſam & nulliter ſententiam tulerit, quia functus eſt ſuo officio.

ad N. 18. Procedit hoc ergo in delegato ſummi Pontificis, non Ordinariis, quia facilior eſt ad hunc recurſus. Hodie facilior modus proditus eſt a Bonifacio VIII. ubi loco cauſarum, quæ alias deberent allegari, & graviores requirebantur ad removendum ordinarium, quam ad removendum delegatum, deponitur juramentum perhorreſcentiæ, quod etiam contra totum collegium & dicaſterium, non tamen ita facile, fieri poteſt.

TITU-

TITULUS XXX.

De Officio Legati.

Quæres, quæ sit origo & quis progressus legatorum?

Legati nati ortum suum habent a Vicariis, quos Pontifices in aliquibus partibus sibi constituebant. Ab initio enim, ut dictum est, Pontifex potentiores quosdam Episcopos ad servandam unionem suos dixit Vicarios, quorum primus fuit Thessalonicensis in Illyrico, & alter Arelatensis in Gallia, quibus etiam usus Pallii concessus erat. Hinc Leo M. ut Patriarcha Occidentis Anastasio tanquam Vicario, cum Episcopos deponeret, & fines suos excederet, rescripsit, ut memor esset, se in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis vocatum esse, quod deinceps invaluit circa omnes Episcopos. Rescripsit autem Leo ut Patriarcha, non ut Pontifex, Anastasio qua Vicario, non ipsi Episcopo. Successu temporis in quolibet fere Regno unus Archiepiscopus est. Ita constitutus; Rhemensis in Gallia, Toletanus in Hispania, Strigoniensis in Hungaria, Salisburgensis in Germania, Pisanus, &c. quibus certa facultas concessa. Et quia has facultates non solerent semper petere, cœperunt illam ut Archi-Diaconi jure proprio & quasi independente exercere hoc ipso, quod ad illam dignitatem promoti essent, unde legati nati dicti sunt. Sed cum ad apicem suas facultates perducerent, & jure independente exercere vellent, accidit ipsis, quod Archi-Diaconis, ut solus superfit titulus & præcedentia inter reliquos Archiepiscopos, facultas vero vix major quam aliis, quæ non ex jure decretalium, sed speciali concessione desumenda est.

Alii legati ab initio nullam, ne minimam quidem partem jurisdictionis exercebant, sed erant meri Apocrisiarii & responsales. Cum enim sub Imperatoribus Christianis Ecclesia cœpit exaltari, suos etiam legatos Pontifices in comitatu Cæsarum habebant, qui negotia Imperatoribus proponerent, & de iis referrent iterum ad Pontificem, ad instar legatorum aliorum Principum. In sæculo IX. post falsas illas decretales magnam sortiebantur & amplissimam potestatem, ut ad specimen regiminis sæcularis essent instar præsidum provinciarum; & concurrentem cum Episcopis jurisdictionem exercebant, quæ jurisdictio maxime aucta est sub Gregorio VII. & Bonifacio VIII. ut quidquid

esset jurisdictionis vel contentiosæ vel voluntariæ, ipsi in provinciis exercerent. Et ut magis splenderet eorum authoritas, usus purpuræ ipsis ab Alexandro III. & certarum vestium, quas modo utuntur Cardinales, concessus, ad instar Pontificis Romani equo utebantur albo; & freno inaurato, &c. Et cum ad sustentandam hanc pompam indigerent pecunia, inductæ sunt procurationes, subsidia &c. Et quia omnia conferebant beneficia, judicia quævis exercebant, pauperes sæpe provinciam ingressi, & magna auri copia ditati illas reliquerunt, ut viri etiam sanctissimi, inter quos sanctus Bernardus, de avaritia legatorum acerbissime conquesti sint, & Imperatores nollent illos amplius recipere, uti in dissidio illo cum Alexandro III. Fridericus Ahenobarbus rescripsit, se legatos recepturum, si venirent ut prædicatores, non ut prædatores.

Cum ergo nimium horum potestas aucta esset; imminuta & quasi ad nihilum redacta est potestas Archiepiscoporum, & etiam Episcoporum, quorum conferebant beneficia, jurisdictionalia præripiebant. Sed demum per subsequentia Concilia Constantiense, & Basileense, Concordata Germaniæ, & potissimum *Con. Trid. sess.* 24. *Cap.* 20. imminuta est excessiva hæc authoritas, & jurisdictio Episcoporum jure postliminii restituta, ut omnes causæ in prima instantia coram Episcopis tractentur, a quibus datur optio appellandi, vel ad Archiepiscopum vel ad curiam Romanam, vel ad Nuntiaturam. Alias si processus in prima instantia tractetur a legatis, est ipso jure nullus & invalidus, nec datur appellatio ad illos, nisi a sententia definitiva *sess.* 24. *de reform. Cap.* 20. Exercent ergo hodie quasdam tantum facultates, si non sint contra concordata Germaniæ. Hinc hodie etiam non veniunt amplius Cardinales, sed plerumque Archiepiscopi saltem in partibus.

Legati Cardinales hodie tantum mittuntur ad negotia ardua tractanda, ad fœdus ineundum, pacem componendam, sollicitandum de corona &c. non autem resident ordinarie amplius in Provinciis.

In Germania tamen majorem adhuc exercent potestatem, quam in aliis regnis, ubi in secunda & ulteriore instantia jurisdictionem habent cognoscendi causas & decidendi. Abrogatæ tamen sunt istæ procurationes & subsidia. In Gallia autem, Belgio, Sicilia ne minimam partem jurisdictionis exercent.

Quæri-

Quæritur, quomodo ergo Episcopi in Germania in veritate jurant: legatos in accessu honorifice tractabo & in necessitatibus adjuvabo. Respondetur, hoc juramentum intelligendum esse, in quantum est in usu.

Quis sit usus legatos recipiendi in Gallia?

Antequam legati admittantur in Galliam, debet accedere consensus Regis. Hunc autem ut impetrent, debent prius omnes facultates suas ad Regem vel Parlamentum remittere ad revidendum, an nihil contineant contra jura & inveteratas Regni Consuetudines, & libertatem Ecclesiæ Gallicanæ, & si quid reperitur, expungitur. Demum debent jurare se non aliis, quam a Rege concessis facultatibus usuros. Hoc potissimum introductum est ob dissidium Bonifacii VIII. (qui nimium auxit legatorum potestatem) cum Philippo Pulchro Gallorum Rege, & hodie adhuc, connivente Pontifice, ita practicatur. Minus prospere vero id successit Friderico Ahenobarbo. Victus enim ab Italis debuit se submittere, nec Imperatores nacti sunt Pontifices successores Germanos, sicut Philippus Gallos, qui ibidem residentes ad placitum ejus multa debuere permittere.

Simile privilegium habet Belgium & Regnum Siciliæ, unde Monarchia Sicula dicitur, quod privilegium Urbanus II. concessit Duci Rogerio. Et quia Baronius negavit, hoc diploma esse genuinum, ideo in tota Hispania, ad quam tum Sicilia pertinuit, est liber prohibitus.

Quæres, an ergo Princeps vel Rex possit prohibere legatum Pontificis, ne ingrediatur Regnum suum?

Resp. Per se loquendo negative habemus hic *Cap. 20. de consuetudine, intra extravagantes communes*, in quo Principes & subditi excommunicantur, si prohibeant ingressum legati Pontificis; licet etiam hoc Regnum independens ab altero esset, non tamen id potest negare Pontifici, cum vi primatus habeat generalem curam, inspectionem, & superintendentiam in omnes Ecclesias. Omnes etiam Provinciæ sunt ipsius quoad inspectionem, adeoque non est extraneus quoad hoc. Et cum ipse, non possit omnibus adesse, debet per legatos hanc suam jurisdictionem exercere.

Quid ergo respondendum de Gallis?

Resp. Galli non negant primatum, neque hanc ei potestatem vi primatus competere, sed uti de constitutionibus; ita etiam hic respondetur, quod Regni & publicæ tranquillitatis cura pertineat ad Principem. Ne ergo ista per homines sibi forte infensos & proditores turbetur, aut per ignaros status consuetudinum, sanctionum pragmaticarum, jura, libertas Ecclesiæ, privilegia violentur, ad ipsos etiam spectat, non per modum *jurisdictionis*, *sed revisionis*, & *provisionis*, ex mera politia, sibi & statibus suis prospicere.

Quæres, an legati saltem possint quosdam actus voluntariæ jurisdictionis, uti consecrare Ecclesias, ordinare &c. citra specialem licentiam exercere?

Resp. Ubi sunt viciniores, hæc volunt Episcopis præripere, sed contra mentem Concilii Trid. ex qua nullam plane Episcopo debent jurisdictionem præripere.

TITULUS XXXI.

De Officio Judicis Ordinarii.

Potiores differentias Judicis delegati & ordinarii jam habes in titulo de delegatis, quas ex parte hic repetit Author, & reliquas addit. Hinc tantum circa finem hujus tituli adverte,

Qui ita per Antonomasiam appellatur.

Quod nomine ordinarii in jure Canonico plerumque intelligatur Episcopus; quia ex *Cap. omnes sess.* 24. *c.* 20. *Con. Trid.* & ex præsumtione fortissima juris omnes causæ ad ipsum pertinent. Cum ergo in regula & ob præsumtionem generalem omnes ad ipsum pertineant, debet judex inferior, quia se fundat in exceptione, si velit in aliqua jurisdictionem sibi vendicare, illam concludenter probare.

Quid si autem sit in possessione?

Resp. Si sit in possessione, intelligendum id est, quod cumulative cum Episcopo, non autem exclusive, illam habeat jurisdictionem, nisi concludenter id pariter probet.

Quid

Quid si autem sit dubium, an ergo præsumptio pro Episcopo cedit possessioni, vel possessio præsumptioni?

Resp. Distinguendum hic est, an possessio sit longi vel brevis temporis. Si sit possessio brevis temporis, prævalet præsumptio, quia est fortis pro Episcopo, neque talis dejectus potest ratione spolii agere ad restitutionem, licet spoliatus ante omnia sit restituendus, quia fortis contra illum militat juris præsumptio *C.* 1. *de Restitutione spolii in 6.*

Si sit possessio longi temporis, non debet commodo suæ possessionis privari. Quia tamen ei jus resistit, non sufficit ipsi præscriptio 30. vel 40. annorum sine titulo, sed debet hunc probare, vel adesse tempus immemoriale. Quandocunque enim jus resistit præscribenti, non sufficiunt 30. vel 40. anni sine titulo, sed requiritur insuper titulus, vel tempus immemoriale ex famoso *C.* 1. *de præscriptionibus in 6.* Pariter Episcopus potest contra exemptos procedere, quamdiu exemptionem non concludenter probant. *C.* 7. *de officiis Judicis ordinariis in 6.* hæc elucidat.

TITULUS XXXII.

De Officio Judicis.

Cum hactenus actum sit de judicibus tum delegatis, tum ordinariis, subjungitur titulus de officio judicis in genere.

Advertendum autem est, stricte loquendo esse differentiam inter potestatem, & inter officium judicis. Potestas judicis est, ubi quidem potest agere, nullam autem juris necessitatem id agendi habet. Si autem necessitate ad aliquid agendum adstringitur, pertinet hoc ad officium judicis.

Variæ in judice requiruntur qualitates Author hic definit, quid sit judex ex *C. forum* 10. *de verb. signif.* & qualitates quasdam secundum ordinem explicat.

Prohibentur inprimis aliqui jure naturali, *vide N.* 4. alii jure civili, ut servi, quia personæ viles æstimatæ sunt, cum tamen judicis officium sit honorificum.

Lex

Lex tamen Barbarius 3. *ff. de officio prætoris* specialiter hic notanda. Emerserat hic servus ad officium judicis, & communi errore fuit habitus liber, quo dein comperto, quæsitum est, an omnes actus retro essent nulli, & responsum est negative.

Quod deinde etiam in jure Canonico assumptum, ut communis error suppleat ea, quæ sunt juris humani, uti in parocho e. g. Simoniaco, qui communi errore parochus habetur, valet assistentia matrimonii. Non autem supplet hic error defectum juris divini. Sic a non baptizato, non ordinato, non valent consecrationes, absolutiones &c.

ad N. 6. Potest tamen toleratus excommunicatus per exceptionem removeri.

ad N. 7. Debet ergo judex esse vir constans, non ficulneus, qui ubique complacendi studium observat, & timet, sed perrumpere obstacula, & agonizare pro justitia; vir potens, qui timet Deum, amat veritatem, & odit avaritiam, & præcipue est alienus ab affectibus.

Quæres I. An ergo nunquam detur Casus pro amico?

ad N. 8. & 9. Habemus in hac materia duas propositiones damnatas ab Alexandro VII. & Innoc. XI. quæ pullularunt ex pessima radice Probabilismi, ex qua omnes fere hactenus prodierunt damnatæ propositiones. Docent aliqui theologi, quod in concursu probabilioris liceat etiam sequi probabilem, quia taliter operans agit adhuc prudenter. *Quod probant*: qui nititur motivo & ratione prudenti, agit prudenter, atqui, ergo. Quæ sententia ex suis fructibus agnoscitur; major enim probabilitas in moralibus pro veritate est, neque ex ratiunculis, sed ex consectariis est demetienda.

Ex hac ergo promanarunt 2. propositiones damnatæ; quarum prima est ab Innoc. XI. *probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* Altera ab Alexandro VII. *quod stante æquali probabilitate possit acceptare munera, ut potius pro hoc, quam pro altero judicet.*

An autem id saltem non possit gratis ex favore speciali, Author respondet affirmative. Hoc utique verum est, si causa sit in jure favorabilis, ut pupillorum, personarum miserabilium, locorum piorum &c. Alias respondendum est negative, quia facile aperiret viam æqualem fingendi

gendi probabilitatem, & dictamen sibi faciendi, forte non satis penetro alias rationes &c. Hinc ab aliquibus Theologis vocatur casus pro diabolo; judex enim a Republica non est constitutus dominus rerum, sed distributor, adeoque vel debet transactionem suadere, vel rem dividere, aut, si aliter non possit, officium judicis deponere.

Quam maxime a judice abesse debet avaritia. Hinc in quibusdam bene formatis dicasteriis jurare debent, se nolle accipere munera; & si potentior aliquis, qui sua authoritate alios in sententiam pertrahere potuit, sit corruptus in aliquo Collegio, sententia a toto Collegio lata est nulla. ad N. 10.

Olim quia prætor summarie tantum cognoscebat causas, & judicem dein pedaneum dabat, cui subinde certam formam præscripsit, secundum quam debuit judicare, & quia huic præcise alligatus erat, dicebatur exercere officium mercenarium. Quando autem in contractibus bonæ fidei ejus arbitrio aliquid relinquebatur, exercebat officium nobile. Hodie exercet officium nobile, quando supplet sua authoritate, quæ sunt supplenda &c. mercenarium, quod ordinarie obtinet, exercet; dum agit, & judicat ad instantiam partium. In civilibus ergo notà parœmia est. Wo kein Kläger, ist kein Richter; Non debet ergo, nisi requisitus, suum exercere officium. In criminalibus autem exercet officium nobile, quia ex vestigiis patrati criminis potest inquirere, etsi non adsit accusator. ad N. 21.

Male igitur fecit fatrapa, qui, dum audiverat quendam in caupona provocasse ad judicem, altera die illum vocavit, causamque proponere & in judicium deducere jussit.

Quæres II. An non saltem in decursu processus suum possit interponere officium, quin a partibus interpelletur?

Resp. Regula est, quod judex non debeat procedere, nisi ad instantiam partium, plures tamen patitur exceptiones;

1) est, si agatur de dignitate judicis, vel judicii, e. g. si advocati conviciis se invicem lacessant; altera pars sibi insigniter mentiatur, nimis improba sit & contumax, & si una pars desuper non imploret judicem, tamen ex officio potest convicia prohibere, mendacium redarguere &c.

2) exceptio est, si agitur de integritate judicis servanda, ne judicium reddatur elusorium, & si pars non interpellat, debet suum officium interponere, ut si videat causam vel actionem esse notorie nullam, personam esse plane inhabilem, procuratorem non habere mandatum;

datum; quia alias judici esset probrosum, & judicium redderetur elusorium.

3) ex officio debet attendere ea, quæ nocent publico, si e. g. ex actione famosa scandalum publicum oriretur; si subditus e. g. contra Magistratum, parochum, &c. actionem famosam institueret, potest & debet aliam ad interesse civile suadere. *Publica privatis anteferenda bonis.*

4) maxime debet ex officio studere abbreviationi litium, ne lites fiant æternæ & immortales. Maxime ergo studere hic debet inquirendæ veritati; articulos non pertinentes, aut non relevantes rejicere, non nimias dare dilationes, nimiam testium multitudinem non admittere, etsi altera pars non excipiat.

5) potissimum officium judicis consistit in supplendo. Hic autem

Quæres III. Quandonam judex debeat ex officio supplere?

Resp. Distinguendum hic est inter ea, quæ sunt facti, & ea, quæ sunt juris.

Quæ sunt juris communis, & pro regula in jure recepta, ea ex officio debet supplere. E. g. si causa sit fundata in claro textu juris, etsi textus non sit allegatus, debet tamen ex officio secundum hunc judicare; licet alias, quod non est in actis, respectu judicis non sit in mundo.

Dixi, si sit regula juris. Si enim est exceptio tantum, ut privilegium S. C. Macedoniani in filio familias, in fœminis S. C. Vellejani, &c. non tenetur. Tamen potest monere. Obtinet hic illud: multa judicis potestati relinquuntur, quæ juris necessitati non subjiciuntur. Cum enim hæ exceptiones sint in favorem partium introductæ, non allegans suo favori renuntiasse censeri potest.

Multi tamen hic dicunt, si exceptio sit in jure favorabilis, ut pupillorum, personarum miserabilium, causarum piarum, quod judex teneatur monere.

Quæ autem sunt facti, illa nec potest, nec debet supplere, ne assumat officium advocati; & quod non est in actis &c. Judex enim secundum scientiam publicam non privatam tenetur judicare. Hinc

si

ſi circumſtantia omiſſa eſſet, quæ totum mutaret caſum, quam millies aliunde ſciret, non poteſt ſecundum illam quidquam decidere vel monere. Ad informationem tamen ſuam & meliorem inſtructionem poteſt ſubinde quædam ex partibus petere, dummodo nullo modo tendat in favorem partium.

Quid ſi factum illud ſit in actis, deſuper tamen non formata petitio?

Reſp. Tenetur ſecundum illud judicare, quia ſaltem eſt in actis. E. g. ſi una pars ageret tantum de poſſeſſorio, & in actis clare doceretur, vel res judicata, vel transactio &c. debet etiam de jure & petitorio judex pronuntiare.

Quæ hic de præſcriptione habentur, rejecta ſunt ad Tit. de Præſcriptione. ad N. 23.

TITULUS XXXIII.

De Majoritate & Obedientia.

Multa occurrunt in hoc titulo certa, multa etiam dubia & incerta. Certum eſt, Eccleſiam eſſe rempublicam ſacram, (Chriſtus enim non negavit Imperium in Eccleſia, ſed tantum modificavit: *vos autem non ſic*, ſcilicet deſpotice,) & quidem talem, in qua alii ſunt imperantes, alii obedientes, non Collegium mere Pædagogicum, ut volunt Proteſtantes, de quo jam dictum eſt ſuperius. Sed qualis forma regiminis ſit ſtatuenda, non ita certum apud omnes.

Alii dicunt, Imperium eſſe pure Monarchicum, quia hæc forma regiminis eſt perfectiſſima, quam Chriſtus, cum exhibere ſibi voluerit Eccleſiam glorioſam & perfectam, absque dubio inſtituit. Ex hac ſententia Cardinalis de Luca ait, Pontificem habere duplicis generis officiales, alios in curia, alios extra curiam, ut Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos &c. qui jure mere Vicario Eccleſias particulares regerent.

Proteſtantium aliqui, qui aliquale adhuc Imperium in Eccleſia fatentur, dicunt eſſe democraticum, ut in miniſtris non major ſit poteſtas, quam ipſis a communitate conceſſa.

Cardinalis Bellarminus S. J. Romanus, & Cardinalis *C. 1. de Rom. Pont. C. 3. 5. & 8.* dicit, regimen Eccleſiæ eſſe Monarchicum, ſed Ariſtocratice temperatum. Quam ſententiam ut magis fundatam & conformiorem noſtris principiis nos ſequimur. Forma Imperii perfecte Monarchici eſt in Gallia, Ariſtocratia temperati in Germania, a quo analogia petenda eſt regiminis Eccleſiaſtici. Vide Habert. Tom. 7. Fol. 298.

Ratio hujus ſententiæ eſt, quia Epiſcopi jure proprio & non mere vicario ſuas Diœceſes regunt. Nullo enim fundamento ex ſcriptura oſtendi poteſt, reliquos Apoſtolos fuiſſe meros officiales & Vicarios Petri, cum & iisdem a Chriſto Domino dictum ſit: *qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit: quodcunque ligaveritis ſuper terram, erit ligatum & in cœlis &c. attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei &c.* Sicut ergo Romanus Pontifex habet primatum, quia eſt ſucceſſor Petri, ita etiam reliqui Epiſcopi habent jurisdictionem a Deo, quia ſunt ſucceſſores Apoſtolorum, quam etiam exercent in Conciliis, ubi non votum mere conſultativum, ſed deciſivum, ut ſtatus Imperii, habent; ſubſcribunt enim: *ego Epiſcopus definiens ſubſcripſi &c.*

Ad rationem primæ ſententiæ reſpondetur, formam Imperii Monarchicam optimam quidem eſſe abſolute & in ſe, non autem comparate ad circumſtantias. Cum enim Eccleſia non in uno populo, non in uno orbis angulo ſit incluſa, ſed per totum mundum diffuſa, ut impoſſibile ſit unum omnibus poſſe inſpicere, ſemperque melius proſpectum reipublicæ nimis remotæ, ſi a propriis dominis, non mercenariis, regatur, non expedit illi hæc forma regiminis, cum facile ſoleat in deſpotiſmum declinare, quod eſt contra naturam regiminis Eccleſiaſtici, quod debet eſſe in charitate & humilitate fundatum. Neque expediret mere Ariſtocraticum, cum ſit ſemen diſcordiarum, & ita unitas non poſſet ſervari. Ideo inſtitutus a Deo primatus, ut omnes ſubordinarentur uni, & quia hi ſunt in diverſis gradibus conſtituti, ut non æqualem omnes habeant poteſtatem, ſicut in exercitu, ideo hoc imperium

perium vocatur Hierarchicum. Ecclesia enim dicitur acies castrorum bene ordinata.

Quæres, an primatus sit Petro a Deo concessus?

Resp. *Affirmative*, & est de fide. Hunc enim Christus dominus promisit Petro, *Matth.* 16. *v.* 18 *& ego dico tibi, quia tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, tibi dabo claves regni cælorum.* Per claves autem suprema potestas indicatur, & post resurrectionem hunc illi contulit Ioan. 21. cum singularem erga se amorem exegisset; *pasce oves, pasce agnos meos.* Et alibi Petro specialiter nominato Christus eam potestatem indicavit: *rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, tu ergo conversus confirma fratres tuos; quodcunque ligaveris &c.* Hinc etiam in omnibus prælatus est, præfuit Concilio Hierosolymitano, instituit electionem Matthiæ, tulit sententiam in eodem Conc. Hierosol. Confirmat demum hanc sententiam communis Patrum consensus, & constans traditio. Vide Habert. Tom. VII. fol. 272.

Quod autem hic primatus transierit in successores, pariter definitum est in Concilio Florentino. Christus enim Ecclesiam perpetuo duraturam instituit. Petrus autem perpetuo vivere non potuit. Debuit ergo transire in successores.

Quæres, in quo consistat primatus?

Marcus Antonius de Dominis, qui est damnatus, scripsit librum, in quo docuit, hunc primatum esse meri honoris & proedriæ, non autem potestatis & jurisdictionis; sed omnes Episcopos jurisdictione æquales esse summo Pontifici. Sed in hoc insigniter lapsus est. Habet ergo Pontifex primatum jurisdictionis & potestatis, qui consistit in majoritate, quam habet præ reliquis Episcopis & reliquorum subordinatione.

Majoritas autem consistit in specialibus reservatis, quæ non sunt communia reliquis Episcopis, fere ut majestas Imperatoria in specialibus consistit reservatis.

Quæres, quotuplicia sint ista reservata?

Resp. Sunt duplicis generis; alia sunt primigenia & essentialia, alia sunt adventitia & accidentalia. Quæ jure divino primatui Petri

reſervata ſunt, dicuntur eſſentialia, & primatum jure divino conſtituunt. Quæ autem alias communia fuerunt, & ſucceſſu temporis reſervata, dicuntur accidentalia.

Quæres, quænam ſint primigenia & eſſentialia?

Reſp. Ut ſupra, omnia illa, ſine quibus unitas non poteſt ſervari. Ideo enim inſtitutus eſt primatus, ut capite conſtituto Schiſmatis tollatur occaſio, ait S. Hieronymus.

Ex hoc ergo generali principio certum eſt, competere Pontifici jure divino generalem inſpectionem & Superintendentiam in omnes Eccleſias ad unitatem fidei ſervandam, ut iidem ritus ſubſtantiales in ſacramentis adminiſtrandis adhibeantur, ut unam omnes doctrinam moralem profiteantur; & hanc ob cauſam judex etiam eſt controverſiarum in rebus fidei, & ſi ipſius definitioni non acquieſcant Eccleſiæ particulares, ad ipſum ſpectat convocare Concilia, iis præſidere, ordinationes & ſtatuta in rebus moralibus & fidei facere, pœnas ſtatuere refractariis, pœnitentes iterum abſolvere, invigilare cuſtodiæ Canonum &c. Vide Habert. Tom. VII. fol. 294.

Quæres, quænam ſunt ſecundaria?

Reſp. Secundaria, quibus ut plurimum falſæ decretales anſam dedere, ſunt, quæ olim vel communia vel conciliis Provincialibus reſervata fuere; ut approbare ordines, canonizare ſanctos, confirmare, transferre Epiſcopos, Coadjutores perpetuos dare, Metropolitanos erigere, dividere, coadunare Eccleſias, & reliqua, quæ vocantur cauſæ majores.

ad N. 8. Vi ergo primatus omnes Epiſcopi ſunt ſubordinati Pontifici. Sed iſta ſubordinatio non eſt famuli ad dominum, ut omnia nomine ipſius agant, ſed veri Hierarchæ ad ſuum caput. Unde quidem Pontifex dici poteſt Ordinarius Ordinariorum, & concurrentem habere jurisdictionem, ſed ad ſenſum *C.* 20. *ſeſſ.* 24. *Conc. Trid.* ut nullam poſſit Epiſcopo cauſam præripere, nullam avocare, niſi propria manu ſubſcribat, ſed ejus poteſtas ſit ad ſupplendum, ad adjuvandum, ubi Epiſcopi vel non poſſunt, vel non volunt, non autem ad adimendum, vel impediendum, niſi evidens Eccleſiæ utilitas vel neceſſitas id depoſceret.

Hæc

Hæc ſententia, quod Pontifex habeat vel directam vel indirectam jurisdictionem in ſæcularibus in Reges, proſcripta eſt in tota Gallia, & Alexander Natalis dicit, illam eſſe contra verbum Dei & ſanctos Patres, primumque inventorem fuiſſe Gregorium VII. ante ſæculum autem XI. fuiſſe incognitam. Hinc ait Alexander, Rudolphum, a cujus partibus hic Pontifex contra Henricum ſtetit, petiiſſe argumenta & rationes, quibus hanc ſententiam propugnaret, ſed Pontificem neque in Scriptura, neque in Patribus invenire potuiſſe, & reſcripſiſſe tantum, ſe eſſe Vicarium Chriſti. In ſpiritualibus utique conceditur, an autem in temporalibus, vix erit in ſcriptura veſtigium; Chriſtus enim non voluit cuiquam Principi aliquid eripere; *tibi dabo claves regni cælorum*, inquit, non terrarum. *Non eripit mortalia, qui regna dat cæleſtia. Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari &c.* ad N. 2.

Interim tamen Itali, multique Germani ſentiunt, quod Pontifex indirectam habeat poteſtatem, ut, ſi Imperator vel Rex fieret Hæreticus, perſecutor Eccleſiæ, & non ſufficerent media ſpiritualia, cenſuræ, excommunicationes &c. poſſit ſolvere ſubditos juramento vaſallitio, & ita indirecte eum regno ſuo exuere. Potiſſimum horum argumentum eſt: cui conceſſus finis, etiam conceſſa ſunt media ad illum finem conſequendum. Atqui finis poteſtatis ſpiritualis eſt defendere Eccleſiam. Ergo ſi non ſufficiant media ſpiritualia, etiam conceſſa ſunt temporalia. Reſpondent Galli ad Majorem: conceſſa ſunt media proportionata & commenſurata ſuæ poteſtati, id eſt ſpiritualia C. temporalia N.

Hoc eodem argumento utitur Bœhmerus de probanda Poteſtate Principum in ſacra: cui conceſſus finis, ſervanda ſcilicet tranquillitas reipublicæ, eidem etiam conceſſa ſunt media. Atqui ſine poteſtate in ſacra non poteſt ſervari tranquillitas. Ergo. Cui & nos reſpondere debemus cum Gallis, diſting. conceſſa ſunt media proportionata, & commenſurata ſuæ poteſtati C. improportionata, & excedentia ſuam poteſtatem N.

Quid ergo hic faciendum Pontifici?

Reſpondent: debet rem Domino Deo commendare, & exſpectare auxilium in tempore opportuno. Nunquam Imperator magis nocuit Eccleſiæ, quam Julianus Apoſtata. Hac tamen poteſtate contra illum Pontifex non eſt uſus, ſed Domino Deo recommendavit. Chriſtus ipſe

Eth-

Ethnicis Imperatoribus ſua reddere juſſit; & alia ſententia in praxin deducta, graviſſima Eccleſiæ damna & incommoda tulit.

ad N. 6. Duo hic tradit author, 1) quod Pontifex ſit ſupra Concilium, 2) quod non poſſit ab eo appellari. Advertendum tamen, has quæſtiones, an Pontifex ſit ſupra vel infra Concilium, & an poſſit ab eo ad Concilium appellari? eſſe quæſtiones & opiniones ſcholæ, non dogmata fidei, adeoque liberum eſſe, cuique ſentire, quod placet. In tota Gallia docetur, Concilium eſſe ſupra Pontificem, & altera ſententia eſt proſcripta. In Italia autem docetur contraria, & alia exulat. Germani ſentiunt cum Italis, & ſtatuunt, Concilium eſſe infra Pontificem.

Quodnam eſt Gallorum fundamentum?

Cœptum eſt hoc Concilium in Germaniæ Urbe Conſtantia an. 1414. & duravit annis quatuor. Præfuit ab initio Joannes XXIII. & ſub finem Mart. V. Ob hoc ſchiſma potiſſimum convocatum.

Probant id potiſſimum ex Concilio Conſtantienſi, ubi ob concurſum trium ſimul Pontificum hæc quæſtio acerrime eſt agitata, & deſuper reſponſa ab omnibus fere univerſitatibus petita, quæ omnia in hanc abiere ſententiam. Unde in hoc Concilio Angelus de Corano ſeu Gregorius XII. ceſſit Pontificatu, Petrus de Luna ſeu Benedictus XIII. ſede Petri dejectus eſt a Concilio, & Balthaſar Coſſa ſeu Joannes XIII. ſententia lata ſummo Pontificatu eſt privatus, & electus Otto Columna, qui Martinus V. appellari voluit, & definitum eſt, Concilium eſſe ſupra Pontificem, quod idem deinde Concilium Baſileenſe a Martino V. convocatum, affirmavit.

Germani Concilium Baſileenſe, quod Galli uſque ad ſeſſ. 25. tanquam legitimum admittunt, omnino rejiciunt. Conſtantienſe pariter, quod ex toto legitimum dicunt Galli, quoad has ſeſſiones vel illegitimum dicunt vel intelligendum in caſu, quo dubius eſſet Pontifex, ut tunc accidit.

Æneas Sylvius Picolomini, qui poſtea ſummus Pontifex, hanc ſententiam cum Gallis, & Gerſone, qui interfuit Concilio Conſtant. acerrime ante Pontificatum ſuum defendit. Sed dum poſtea promotus eſt ſub nomine Pii II. ad Pontificatum, edidit Bullam retractatoriam, non, ut in eadem ait, quia jam Pontifex eſſet, ſed quod veritati quam tum non agnoviſſet, olim ex juvenili pruritu obſtitiſſet, & excommunicationem ſubjecit appellantes a ſummo Pontifice ad Concilium Generale; unde inter alia notum illud: *Æneam rejicite*, ***Pium recipite.***

Quod

Quod & fecit Iulius II. & in Bulla cœnæ innovatum eſt. Et Adrianus Pontifex, Caroli V. quondam præceptor, non revocavit.

Galli reſpondent, has conſtitutiones intelligendas eſſe, ſi quis temere, absque cauſa, vel aliquis privatus in cauſa privata vellet appellare ad Concilium Generale, ut fecit Lutherus ab ipſo Leone damnatus, non autem, ſi in cauſa communi appelletur, vel in manifeſta Eccleſiarum libertatis aut Regis jurium violatione, & Pontifex nollet illud gravamen tollere, id quod tamen hodie rarius accidit; & frequentior eſt apud illos appellatio ab *abuſu;* cum recurrant ad regem, ut jure protectionis & defenſionis impediat executionem conſtitutionis, eo quod ſua poteſtate abuteretur Pontifex. Propterea tamen nullam jurisdictionem in Pontificem Regi tribuunt, quod tolerandum quidem eſſet, ſi non ſubinde jus protectionis & defenſionis excederent, ſed intra inculpatæ tutelæ limites permanerent.

Sunt, qui effrenem nimis Pontifici diſpenſandi licentiam concedunt, ita ut poſſit etiam ſolvere omnes Leges Canonicas. Sed hæc ſententia eſt aperte aſſentatoria. Cum enim Canones ſint Leges fundamentales, quæ conſtituunt quaſi nexum & compagem Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, ſic ſimul deſtrueretur totum Imperium Eccleſiæ, cum tamen Pontifex non ſit dominus Eccleſiæ, alias Chriſtus dixiſſet: paſce oves *tuas*, ſed merus Vicarius & Miniſter Chriſti. Et omnis ejus poteſtas non eſt ad deſtructionem, ſed ad ædificationem. **ad N. 7.**

An autem unum vel alterum Canonem Concilii Generalis poſſit abrogare, ex eo pendet, an ſit ſupra vel infra Concilium Generale. Vi primatus etiam Galli ipſi concedunt poteſtatem temperandi vel mitigandi Canones, aut etiam diſpenſandi.

Quia tamen hi Canones dicuntur dictante Spiritu Sancto conditi, & reverentia totius mundi conſecrati, rarior fuit uſque ad Sæc. XI. diſpenſatio. Ante hoc enim ſe vindices & cuſtodes canonum Pontifices appellabant, neque unquam, niſi in pœna, poſt transgreſſionem diſpenſabant. Sed dum Alexander III. ſe Dominum Canonum dixit, liberiores cœperunt diſpenſationes, quæ tamen non deberent fieri, niſi ſuadente publica neceſſitate vel utilitate, aut ex incitamento juſtitiæ vel charitatis, ut ſtatuit *Con. Trid. ſeſſ.* 25, *c.* 18. ubi etiam occulte perſtringit Curiam Romanam.

Quia tamen assistente spiritu S. facti sunt Canones Conciliorum Generalium, & sic divinam quasi authoritatem habent; Pontifices ob reverentiam in Rescriptis per clausulam generalem, nisi fiat specialis mentio, non censentur iis derogare, excepto Conc. Trid. ut dictum est ab initio.

ad N. 8. Ratio hujus est, quia homo non potest omnes circumstantias prævidere. Si ergo subinde ejusmodi emergerent circumstantiæ, quæ nimis difficilem & arduam redderent observationem Juramenti & voti, neque hæc dispensandi potestas a Christo relicta esset, multi adigerentur ad desperationes, & laqueis conscientiæ involverentur, cum tamen jugum Christi sit suave & onus leve.

In jure autem divino, quod independenter a libera hominis voluntate obligat, nequit proprie dispensare in Lege clara, sed tantum subinde in Lege dubia & obscura illud declarare. Deus enim tanquam omniscius omnes prævidit circumstantias &c.

Quæres, an secum possit dispensare?

Resp. Minus, quam cum aliis. Cum enim pastor bono debeat præire exemplo, ejus dispensatio & transgressio magis evaderet scandalosa, & bono publico animarum noxia, adeoque contra dictamem rectæ rationis pugnaret.

ad N. 11. *An Decretum & Donatio Constantini sit genuina?*

Resp. Mirum in modum & author, quasi soli Hæretici id negarent, hoc defendit, cum tamen hodie post criticam nullus fere sit author Catholicus, qui non suppositum illud decretum & probabiliter ab Isodoro confictum dicat, ipsamque donationem invictis argumentis rejiciat.

Contra decretum potiores rationes sunt: 1mo Quia stilus barbarus non convenit IV. sed potius IX. Sæculo, cum voces illæ: *Imperialis*, *pragmatica constitutio*, *satrapæ*, *banda*, *&c.* Sæc. IV. nondum fuerint cognitæ; 2do Subscriptio fit Constantino IV. & Gallicano IV. Consulibus, cum tamen Gallicanus, cum quarto fungeretur consulatu, non Constantinum, sed Symmachum collegam habuerit, ut ex fastis consulum constat. 3tio. Ibi fit mentio de urbe Constantinopolitana,

de

de ejusdem Patriarchatu, de corona aurea Imperatorum, de equis phaleratis Clericorum, quæ omnia longissime absunt ab ævo Constantini, cum tamen adversarii hoc decretum tertio a Baptismo die editum dicant. Byzantium enim nomen a Constantino post annum 330. accepit, & Patriarchæ Constantinopolitani ante Conc. Chalcedonense vix ullum est vestigium. Aurea Corona Romanis exosa, non nisi duobus sæculis post Constantinum cœpit esse insigne Imperatorum. Plures rationes vide apud Historicos, apud P. Daude Lib. 2. fol. 181, ubi etiam solvit argumenta contraria.

Contra donationem. 1mo. quia in Divisione Constantinus Italiam cum Roma Constanti dedit, quod non potuisset, si illam jam Sylvestro donasset. 2do. regnante Constantio Leontius nomine Imperatoris præfectus Romæ erat, qui Liberium Pontificem ex mandato Principis Mediolanum duxit. Nomine Valentiani Maximus præfecturam gessit, & Prætextatus, quorum hic jubente Principe Ursinum Antipapam Roma expulit, Symmachus sub Honorio præfecturam gessit. Interim tamen jam ante Pipini tempora possederunt aliquas Provincias Romani Pontifices, quæ subinde ab hostibus ereptæ, & Carolingorum beneficio (a quibus hæc omnia profecta esse Galli contendunt) restitutæ sunt, quibus ipsi aliquid adjecerunt, & sic pedetentim, & quasi per gradus adepti sunt has Provincias & suprematum urbis Romanæ. Ultimo hic adhuc quæri potest,

An Pontifex sit infallibilis?

Certa hic iterum a quæstionibus scholæ sunt separanda. Certum inprimis & dogma fidei est, in quo omnes conveniunt Catholici, Ecclesiam esse infallibilem, quia est columna & firmamentum veritatis. (per Ecclesiam autem hic intelligitur imperans, cœtus scilicet Episcoporum cum suo capite.)

Certum iterum est, & ab omnibus Catholicis ut dogma fidei tenetur, Pontificem e Cathedra loquentem esse infallibilem. Sed quandonam dicatur loqui ex cathedra, in aliquo controvertitur.

Galli dicunt, tunc Pontificem loqui ex cathedra, si accedat vel expressus vel tacitus consensus Episcoporum, vel in Concilio illud approbando, vel extra Concilium id acceptando, vel acquiescendo, aut non reclamando; & in hoc etiam Germani cum ipsis sentiunt, hanc regulam

esse a posteriori signum infallibile, Pontificem ex Cathedra locutum esse, adeoque habemus certam regulam.

Insuper autem Germani independenter a consensu Episcoporum Pontificem tum dicunt ex cathedra loqui, quando Pontifex propositionem aliquam vel fidei vel doctrinæ moralis ita proponit Ecclesiæ toti tenendam, ut contrariam vel contradictoriam tanquam hæresin damnet & prohibeat. Si autem alias constitutiones vel in rescriptis vel in libris a se compositis edat, ipsum ut doctorem privatum loqui.

Atque hæc sententia Italis communis Germanis probabilior videtur, quia ad primatum Pontificis pertinet esse judicem controversiarum; & Ecclesiæ aliter non satis prospectum esset, nisi hæresis, quæ statim instar cancri serpit, in ipso exordio supprimi posset.

Galli autem respondent, ad Pontificem in casu pertinere, edere decreta saltem provisoria, quorum effectus sit, ut nemo audeat contrarium interim docere, & omnibus imponatur silentium; non autem decreta definitiva & decisiva, quem effectum modo a consensu vel expresso vel tacito Episcoporum sortirentur; & hoc modo, satis prospectum esse Ecclesiæ.

§. II.

De Cardinalibus Romanæ Ecclesiæ.

Quæres I. Quæ fuerit notio hujus nominis in primis Ecclesiæ Sæculis.

Magnam hodie habent in Ecclesia Cardinales præeminentiam, de quibus merito dici potest illud Evangelii: *facti sunt ultimi primi.* Hæc autem dignitas in Hierarchia Ecclesiastica a sex ultimis Sæculis ipsis afferta.

In primis Ecclesiæ Sæculis Romæ & in aliis Ecclesiis, Episcopi, Presbyteri & Diaconi dicebantur Cardinales, qui stabiliter erant adscripti & mancipati alicui Ecclesiæ. Qui autem non stabiliter erant alicui Ecclesiæ mancipati, sed ad tempus & vicario modo illam administrabant, dicebantur non Cardinales; sicut enim hodie Capitula administrant

niſtrant Eccleſiam, ſic olim a Metropolitano vicinior conſtituebatur Epiſcopus, qui illam interim adminiſtraret; Item Romæ certa erant hoſpitalia, in quibus non Eccleſiæ, ſed oratoria tantùm privata erant, & quia Diaconi curam perſonarum miſerabilium gerebant, illi, qui ejusmodi hoſpitali ſtabiliter erant mancipati, Diaconi Cardinales audiebant. Et ſic per X. Sæcula agebant officia vel parochialia, qui erant Cardinales Presbyteri; vel miniſterialia, qui erant Cardinales Diaconi. Epiſcopi autem Cardinales erant Epiſcopi in Suburbicariis, qui mutatis vicibus Romæ in Sacello Pontificis debuerunt vel coram ipſo celebrare, vel ipſi celebranti aſſiſtere. Ante Bonifacium VIII. nullus Epiſcopus affectabat eſſe Cardinalis. Primi omnium fuerunt iſti ſuburbicarii. Et hæc omnia docent pariter, quomodo ſubinde ad tempus adminiſtratæ fuerint Eccleſiæ.

Cum autem Clerus Romanus ſemper præ reliquo fuerit in honore & æſtimatione, quia capiti inſerviebat, ejusdem dignitas nimium quantum augeri cœpit circa Sæc. XI. XII. & ſequentia; præcipue dum a Nicolao II. remotus eſt populus ab electione Pontificis, & demum ſub Alexandro III. hoc jus privative reſervatum eſt Cardinalibus. In Sæc. XII. plurimum etiam authoritatis ipſis acceſſit ab iſtis legationibus, & negotiis, quæ hoc tempore cœperunt apud Pontificem per ipſos tractari, quam, ut fulgentiorem redderent Pontifices, extrinſeca etiam adjecerunt ornamenta.

Inprimis Cardinales legati acceperunt veſtem purpuream ipſi Pontifici propriam, quæ deinde omnibus Cardinalibus etiam non legatis facta eſt communis. Innocentius II. in Sæc. XIII. dedit illis Galerum rubrum. Paulus II. Pyretam rubram. Urbanus VIII. titulum Eminentiſſimi, quem ſoli Electores præter Cardinales habent.

Et ſub Clemente V. etiam Cardinales non Epiſcopi cœperunt præcedere Epiſcopos, Archiepiſcopos &c. ut ipſos adeo Epiſcopos in ſervitiis haberent, quod tamen deinde in Concilio Lateranenſi ob dignitatem hujus ordinis prohibitum eſt. ad N. 18.

Quæres, an etiam præcedant Electores Imperii?

Reſp. Id quidem prætendunt, ſed hi non cedunt. Rationes potiſſimæ illorum ſunt: quia habent poteſtatem quaſi regiam, & nulli Principi ſæculari vel Eccleſiaſtico, niſi Regibus & Duci Venetorum

 cedunt.

cedunt. 2) Quia constituunt unum corpus cum Romano Pontifice, & hunc eligunt. Sicut autem Pontifex præcedit Imperatorem, ita Cardinales Imperatoris Electores præcedere volunt.

Respondent Electores, se etiam habere potestatem quasi regiam & non nisi regibus cedere, ac gaudere titulo Eminentissimi; se repræsentare totum Imperium, habere jus eligendi Imperatorem, & nomine totius Imperii conferendi illi Imperatoriam potestatem, quam Cardinales Pontifici non conferunt, cum sede vacante nulla Papalis in ipsos transeat potestas. Hæc enim est a solo Deo, personalissime, & indivulse dignitati Papali adhærens, unde nullas functiones Papales qua tales, & ad administrationem universalis Ecclesiæ spectantes, sede vacante possunt agere, & statim frangitur annulus piscatoris.

Ad alterum, quod constituant unum corpus cum Pontifice, respondent in ratione condominii tanquam conregnantes, neg. In ratione meri ministerii tanquam puri consiliarii, ministri &c. concedunt; & ita lis non est terminata. Hoc sensu etiam dicuntur fratres collaterales ipsius Pontificis.

Interim tamen mortuo Pontifice (ex ratione, quia ajunt: Papa est inter nos) dilatant sua philacteria, incedunt, rocheto aperto, quod alias clausum est pallio, nisi intrent in suas Ecclesias, ubi etiam aperiunt, & pulsantur illis omnes campanæ in suis Ecclesiis, erigitur thronus &c. ut Episcopis. 2) Quando oratores condolentiæ cæremonias deponunt, prima vice id genu flexi debent facere; administrant etiam sæcularia in statu Ecclesiastico per capita ordinatim, ut singulis diebus tres alii secundum ordinem id præstent, unus Cardinalis Episcopus, unus Presbyter & unus Diaconus, ut ita præstet esse Diaconum vel Episcopum, quam Cardinalem presbyterum. Quare etiam non fiunt Presbyteri, donec sint vel secundus vel tertius, ut sic statim fiant Episcopi, quia quam primum sunt ordinati, per saltum omnes præcedunt, ante quos nominati sunt. Plures enim sunt Presbyteri, & ideo non tam frequenter administrationibus possunt interesse.

Quot sint Cardinales?

Resp. Concilium Basileense hunc numerum voluit restringere usque ad viginti quatuor. Et ita quidem ut ex omni natione isti assumerentur, neque ullus esset alterius nepos, aut Episcopatum in ulla alia

parte

parte haberet, quod iterum in Conc. Trid. oratores Galli proposuere, sed absque successu. Legati enim Pontificis responderunt, Pontificem in materia ad se pertinente non admittere Legem. Tandem Sixtus V. numerum fixit ad septuaginta, quia totidem erant discipuli Domini, ita ut 6. essent Episcopi, 50. Presbyteri, 14. Diaconi.

Quæ sit forma electionis, habes alibi; & hic observa tantum, ad N. 20. Bullam quoad subtractionem ferculi non ita accurate observari, cibos tamen visitari, an nihil insit, & locum satis incommodum & nocivum esse sanitati, ubi sunt inclusi. Hoc autem ideo fit, ut acceleretur electio Pontificis. Cum enim non adsit superior, qui præfigat terminum, cum maximo Ecclesiæ detrimento diu sæpius protrahi posset electio. Ad §. III. speciale nihil notandum venit.

§. IV.

De Patriarchis, Primatibus, & Archiepiscopis.

Ecclesiæ ergo Patriarchales ab initio tres tantum fuere, Romana, Alexandrina, & Antiochena, quæ alio nomine etiam dictæ sunt matrices, quasi matres, ex quibus fides in alias disseminata est. Protestantes dicunt has Ecclesias dictas esse Patriarchales, quia in celeberrimis mundi urbibus & emporiis erectæ sunt; sed verior ratio est, quia omnes tres fundatæ sunt a Principe Apostolorum Petro. Ultima, quam fundavit, Romana fuit, quæ primatum & eminentiam accepit, quia hanc urbem vita & passione sua honestavit. Quod autem Alexandrina, quam in transitu quasi fundavit, & per Marcum discipulum suum rexit, Antiochenæ prælata sit, factum est ex aliquo respectu ad politiam civilem, quia urbs erat potentior & nobilior. Fundavit autem Petrus in hisce emporiis mundi Ecclesias, ut ob confluxum omnium gentium facilius fides propagaretur.

Constantinopolitana Ecclesia usque ad medium sæculum IV. fuit Episcopalis Ecclesia. Cum autem sedes Imperatorum translata est Byzantium, ob dignitatem sedis Regiæ evecta est ad Patriarchalem, cui quidem ab initio a Latinis fuit contradictum, confirmata tamen hæc dignitas in Conc. Constantinopolit. I. ita ut primus esset Patriarchatus post Romanum Pontificem. Sicque dein hujus Ecclesiæ Episcopus ve-

rus

rus evasit Patriarcha, cum subjectas acceperit provincias successu temporis tam multas, ut prope 350. Metropolitanos, ut ait Fleury in suis Inst. Can. sub se haberet, quorum cuique triginta prope Episcopi erant subjecti; nec mirum est, tot esse in Græcia Episcopos ob urbium multitudinem.

Hinc potentia præcipue Imperatorum fretus, Joannes Jejunator assumpsit titulum Patriarchæ œcumenici, & supra ipsum Romanum Pontificem sese efferre voluit; Jurisdictionem sibi in reliquos Patriarchas affectans, in specie Gregor. Antiochen. judicare voluit. Cujus superbiam, ut magis confunderet Gregorius M. (cujus acta in controversiis cum sede Apostolica utilissime leguntur) hoc titulo sibi in Conc. Chalced. jam concesso & confirmato ad tempus abstinuit, & se nominavit *servum servorum Dei*. Ortum hinc est schisma Græcorum, a quo sæpius quidem recesserunt & sæpius reuniti sunt Romanæ Ecclesiæ, & ultimo quidem in Sæc. XIV. in Conc. Florent. ubi primatum Romanæ concessere, salvis tamen suis privilegiis, & processionem a Patre Filioque, admisere. Tum Ecclesia Ruthenorum, cum esset propinquior Patriarchæ Constantinopolit. illi adhæsit & defecit. Basilius magnus dux Ruthenorum cum Sixto IV. se voluit reunire, si titulum Imperatoris acciperet; sed Pontifex in ipso opere mortuus est. Item dum Petrus I. contra Leges fundamentales, quæ prohibebant proficisci in externas Regiones & cum aliis communicare, Galliam invisit; oblatus est illi a Sorbona modus reunionis, cujus spes hactenus aliqua semper affulsit, nunquam tamen effectum sortita est.

Demum in Sæc. V. etiam Hierosolym. Ecclesia ad Patriarchalem ad refricandam memoriam passionis & mortis Domini JEsu Christi evecta est. Non autem ab initio constituta fuit, quia urbs hæc juxta Christi vaticinium funditus eversa, & ex post modo ab Ælio Hadriano prope illum locum alia ædificata est, quam suo a nomine Æliam dixerat, & successu temporis non meram præeminentiam, sed Patriarchatum etiam jurisdictionis in certas Provincias & Episcopos Metropolit. accepit. Hæ Provinciæ & districtus vocati sunt, *diœceses*; Districtus autem Episcoporum *Parochiæ*.

Quæres,

Quæres, quænam sit horum potestas? ad N. 24.

Præcipua eorum potestas erat; ordinare omnes Archiepiscopos & Episcopos, 2) convocare Concilia plenaria, scilicet Patriarchalia, ubi de causis majoribus Metropolit. Archiepiscoporum tractabatur.

Patriarcha autem Romanus, quia ejus provinciæ nimis erant remotæ, potestatem ordinandi Episcopos non exercebat, nisi in suburbicariis & adjacentibus insulis, sed hæc potestas erat penes Metropolitanos. In Illyrico autem sibi constituerat Vicarium Thessalonicensem Archiepiscopum. Successu tamen temporis hanc sibi potestatem cum pluribus, quæ erant olim communia Archiepiscopis, reservavit.

In quolibet Regno unus fuit Primas, Rhemensis in Gallia, Pisanus in Italia, Strigoviensis in Hungaria, Gnesnensis in Polonia &c. Hodie solus superest Lugdunensis in Gallia, qui aliquam jurisdictionem adhuc habet, qui accipit appellationem a tribus Metropolitanis. Rhodomagensi, Turonensi & Sinonensi. In Africa ille Primas dicebatur, qui erat antiquior in ordinatione, ita tamen, ut Carthaginensis instar Patriarchæ semper Primas esset. ad N. 23.

Metropolitani potissimum illi dicti sunt, qui in urbe aliqua Metropoli residebant, & quidem ad formam regiminis sæcularis, uti Præses in urbe reliquos præfectos, ita hi reliquos sub se habebant Episcopos. Subinde tamen alius Ecclesiasticus Præses in hac, sæcularis in altera commoratus est, & ex recentiore disciplina Pontifices sæpe Archiepiscopos sine hoc respectu crearunt. Horum autem, sicut & Patriarcharum institutio & dignitas est juris meri Ecclesiastici, non divini. ad N. 5.

Quænam sit potestas Metropolitanorum in suffraganeos? ad N. 27.

Magna olim fuit. Ad ipsos enim pertinebat examen electionis, jus confirmationis, consecrationis, recipiendæ professionis obedientiæ, poterant illos ad se vocare, criminales causas cognoscere; sed quia nimis viliter has tractabant, in Conc. Trid. Sess. 14. C. 5. causæ criminales majores reservatæ summo Pontifici, minores Concilio provinciali. Convocare hodie possunt Concilia Provincialia, quæ ex Trid. singulis trienniis debent haberi, ad quæ etiam compellere licet Episcopos. Quia tamen acta debent prius remitti Romam, ut a Cardinalibus

revideri, corrigi & approbari possint, Episcopi, qui se nolunt ita subjicere, hæc omittunt.

In civilibus, quia sunt Principes Imperii, habent jus Austregarum, vel per appellationem Cameram Imperialem.

Hodie tantum habent jus supplendi, ut, si Suffraganei eorum nolint electiones confirmare, si præsentatos non instituant, causas intra biennium non absolvant ex Trid. notoria finant grassari crimina; si sede vacante capitulum non bene administret, non constituat Vicarios, ipse potest visitatorem constituere, & præviis tamen monitionibus dictas negligentias supplere. Sed ne Pontificalia quidem sine licentia suffraganei in ejus Diœcesi licet exercere.

Generaliter ergo nullam, & per appellationem tantum in appellantes subditos habet jurisdictionem, ita ut ne testes quidem productos ab appellantibus, sine requisitione possit evocare. Tempore visitationis jurisdictionem in foro conscientiæ tantum sortitur.

Quia autem hodie liberum est, vel ad Nuntium, qui concurrentem habet jurisdictionem, vel ad Pontificem, vel ad Archiepiscopum appellare, hoc jus parum utile est. In Gallia autem vi Concordatorum debet appellari prius ad Archiepiscopum.

§. V.

De Episcopis, Officio, & Potestate eorum.

ad N. 34. *An Institutio Episcoporum quoad consecrationem & jurisdictionem sit immediate a Deo?*

Duæ quæstiones acerrime agitatæ sunt in Conc. Trid. 1) an Episcopi jure Divino teneantur residere; & petita est hujus definitio. Contradixerunt aliqui, maxime qui versabantur libenter in aulis Pontificum. Et cum hæc esset quæstio scholæ, quales noluit attingere Conc. Trid. res definita non est. Ipsa tamen residentia sub amissione quartæ partis fructuum, si per sex menses non residerent, Episcopis imperata.

Altera

Altera fuit, an jurisdictio Episcoporum sit immediate a Deo? quam Galli & Hispani maxime agitaverunt, & non multum res aberat a definitione. Intercesserunt autem Itali, & Generalis Soc. Jes. P. Lainez prolixum fecit desuper discursum, in quo varia momenta adducit, queis probare nititur, jurisdictionem Episcoporum tantum mediate, mediante scilicet Pontifice, esse a Deo. Sed cum altera sententia sit fundatior in sacra scriptura, & efficacior ad probandam Hierarchiam divinitus institutam, cum Authore a nobis tenetur & probatur hoc stringenti argumento: Conf. Pallavicin. in sua historia Conc. Trid.

Pontifex habet immediate jurisdictionem a Deo, ergo etiam Episcopi. Probatur cons. Ideo Pontifex habet jurisdictionem immediate a Deo, quia est successor Petri. Atqui etiam Episcopi sunt successores Apostolorum. Ergo. Apostoli autem non a Petro, sed a Deo suam jurisdictionem accepere, ait enim illis: *sicut misit me Pater, & ego mitto vos, quodcunque ligaveritis &c. attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei,* Act. 20. Sicut ergo Pontifex est Caput Ecclesiæ, quia Petrus est constitutum Caput, sic etiam Episcopi sunt institutionis Divinæ quoad jurisdictionem, quia Apostoli hanc a Deo acceperunt. Vide Habert. Tom. 7. Fol. 296. & seq.

Propterea tamen non tollitur subordinatio. Licet enim in exercitu Generalissimus & Colonellus sint immediate constituti ab Imperatore, subordinatio tamen non tollitur. Sed Objicies

1) Episcopi confirmantur, ordinantur a summo Pontifice, ergo. Resp. Etiam Pontifex ordinatur a Cardinali. Sicut ergo illa est nuda designatio, sic & hæc confirmatio. In oriente non ordinantur a Pontifice. In occidente per decem fere sæcula ordinati sunt ab Archiepiscopis.

2) Per confirmationem tamen hodie confertur jurisdictio. Dist. vera, intrinseca & Hierarchica, *Neg.* vicaria, administratoria, *Conc.* hæc confertur per consecrationem, a qua per decem sæcula confirmatio non distinguebatur, sed consecratio & confirmatio unus idemque actus erat.

3) Scribunt se Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopos. Resp. In oriente non. In occidente etiam per decem sæcula id non fecerunt. Nicosiensis Archiepiscopus in Cypro in sæculo XIII. id primo incepit.

R 2 Sed

Sed hic tanquam Archiepiscopus utique magis subjectus erat. Dum autem per Concordata Germaniæ jus confirmandi reservatum est Pontifici, debent saltem id facere Episcopi, si Romam scribunt, quia litteræ alias non admittuntur. In suis diœcesibus id omittunt, & se Dei gratia Episcopos scribunt.

4) Ergo jurisdictio non posset adimi, sicut potestas ordinis. Resp. Ex probabiliore sententia amittit Pontifex jurisdictionem, si fiat hæreticus, licet sit a Deo. Resp. 2. *negative*, quia potestas ordinis est quid absolutum, jurisdictionis quid respectivum, quia connotat subditos. Sicut ergo subditi, ita & jurisdictio potest imminui, restringi, adimi etiam quoad valorem. Quoad assignationem enim subditarum Diœcesium dependet a Pontifice. Sed hæ sunt tantum conditiones sine quibus non.

Neque hæc sententia tollit unitatem; manet enim Canonica subordinatio, neque Pontificis minuit authoritatem; quia magis honorificum est Pontifici Ministris a Deo constitutis, quam suis tantum Vicariis præsidere.

Plura etiam videri possunt in Thomasino & Alexandro Natali, qui late hanc quæstionem historice deducunt, & ostendunt omnes titulos: ut Papa, Pontifex, &c. quos sibi privative reservavit Pontifex, sicut & osculum pedum, communia fuisse Episcopis.

Quæres, in quo consistat Potestas Episcoporum?

Resp. Potestas Episcoporum est complexum aliquod ex variis juribus & prærogativis, & quadrifariam dividitur. Prima est potestas ordinis, vi cujus exercet ea, quæ ad sacramenta administranda pertinent. Et licet aliqua sint communia sacerdotibus secundi ordinis, hi tamen illa non administrant, nisi cum dependentia ab Episcopo; ille autem jure eminentiori & independente, confirmationem & ordinationem solus etiam administrat. Ad hanc etiam reducitur jus præscribendi preces publicas, consecrandi Ecclesias & altaria, injungendi leges &c. Secunda est jurisdictionis, quæ constituit Episcopum Judicem Ordinarium. Vi hujus Episcopus in regula habet potestatem agnoscendi & judicandi omnes causas spirituales, civiles etiam & criminales Clericorum, infligendi censuras, & absolvendi. Tertia jus tribuit Diœcesanum, quod magnam habet analogiam cum jure territoriali.

Quod

Quod enim jus territoriale in sæcularibus est respectu Principis, hoc est jus Diœcesanum in spiritualibus. Et sicut illud non datur sine territorio, sic nec hoc sine Diœcesi & districtu. Hoc ipsum constituit Episcopum principem Ecclesiasticum, Primarium Antistitem & Pastorem animarum, vi cujus omnes Clerici tenentur ipsi præstare obedientiam. Differt a jurisdictione, quod illa Episcopum magis constituat judicem, hoc patrem. Ex hoc jure spectat ad ipsum ministros constituere, inspectionem habere in vitam & mores, synodos convocare, condere leges, inspectionem & administrationem habere omnium locorum piorum & religiosorum, visitare subditos. Et quia in his scilicet visitationibus Episcopus non ut judex, sed ut pater ex zelo prudentiæ procedit, nulla valet quoad visitationem exemtio, nulla extinctiva præscriptio, quia pertinet ad reverentialia patris. Sicut autem emancipati filii his non liberantur, sic nec exempti, quibus a S. Bernardo comparantur. Ex hac ratione potest in locis exemptis celebrare in Pontificalibus, erigere Baldachinum; quia pertinent ad reverentialia. Quibus adde, quod a decretis in visitatione, quia non ut judex, sed ut pater procedit, non detur appellatio, saltem quoad effectum suspensivum; licet subinde quoad devolutivum; nec convenit visitationi interesse Fiscalem, quia debet esse paterna. Quarta Potestas secum fert jura status & præeminentialia. Ad hæc olim pertinebant tituli, hodie, quod vocentur Celsissimi, præcedant Status sæculares, sedeant in scamno dextro in Comitiis. Hæc quoque omnia ipsi infulæ & dignitati Episcopali sunt annexa, quæ Protestantes libenter vindicarent Capitulis, ut sic authoritatem Episcoporum minuerent, & tandem etiam Capitulorum. Hinc Episcopos tantum Proprincipes volunt vocare, & jura Episcopalia inter Capitulares dividere; passim etiam adstruunt his præcedentiam præ Suffraganeis, ut Episcopalem dignitatem imminuant. His autem Concil. Trident. præcepit suam defendere authoritatem. Quis sit horum origo, constat ex historia, quod tempore cruciatarum, cum iterum ejecti sint Episcopi isti titulares, invaluerint.

Duæ hic maxime contrariæ a Doctoribus dantur regulæ. Prior est: quod Episcopus in regula dispensare non possit in jure Communi Concil. Generalis, vel Constitutionum Apostolicarum, nisi in specie hæc facultas ei sit concessa. Altera est: quod in regula Episcopus possit in Canonibus Concilii Generalis & Constitutionibus Apostolicis, se- ad N. 48.

 cundum

cundum ſpiritum tamen Canonum, ex utilitate vel neceſſitate publica diſpenſare, niſi in ſpecie hæc ei facultas ſit ademta. Et hæc ultima etiam contra Authorem a nobis tenetur. Ratio eſt 1. quia illa facultas diſpenſandi in ſuo diſtrictu Epiſcopo eſt conceſſa, quæ eſt utilis & neceſſaria ad regendam Eccleſiam, in qua a Spiritu Sancto poſitus eſt. Atqui facultas diſpenſandi in Concilii Generalis Canonibus &c. eſt Epiſcopo neceſſaria & utilis, ne jugum Chriſti evadat durum, & homines ſubin laqueis conſcientiæ involvantur. Ergo in regula eſt conceſſa; cum Chriſtus dominus illimitate dixerit: *quæcunque ſolveritis ſuper terram &c.*

Secundo *C. 29. de ſententia excommunicationis.* Poteſt Epiſcopus abſolvere ab omnibus peccatis & cenſuris, non ſpecialiter reſervatis; ergo etiam diſpenſare, niſi ſpecialiter facultas adempta ſit. Tertio, poteſt in regula diſpenſare in juramentis & votis non reſervatis, qualia ſunt votum perpetuæ Caſtitatis, ingrediendi religionem, peregrinandi ad limina Apoſtolorum, Compoſtellam & Hieroſolymam, ergo etiam in aliis conſtitutionibus. *Si ais:*

1mo. Inferior non poteſt diſpenſare in lege ſuperioris. Reſpondetur: Galli etiam negant, Pontificem eſſe ſuperiorem Concilio, & tamen poteſtatem temperandi canones concedunt. Reſp. 2do. Non poteſt ſine juſta & Canonica cauſa, vel etiam plane tollere legem ſuperioris, conceditur; cum hac, negatur. Hoc pertinet ad ſuave Eccleſiæ regimen, in quo & ipſe Rector a Deo conſtitutus eſt.

2do. Cap. 15. de temp. Ordinand. & alibi Pontifex dixit, ſe habere plenitudinem poteſtatis, eſſe ſupra Canones. Atqui hanc non habent Epiſcopi &c. Ergo. Reſp. diſt. Maj. habere plenitudinem poteſtatis &c. generaliter pro tota Eccleſia, ita quidem, ut hæc ipſi adimi non poſſit. Conc. particularem. Negatur. Magna hinc eſt differentia inter poteſtatem Pontificis & Epiſcopi. Hæc enim reſtringi, adimi poteſt; illa non. Galli ſupradictam plenitudinem poteſtatis & arbitrariam negant Pontifici.

Ubi ergo vel jus ſcriptum vel conſuetudinarium non adimit Epiſcopo poteſtatem, illam in regula habet. Paucos habemus Canones, in quibus poteſtas ipſi adempta eſt, ſicuti in diſpenſanda ætate, in impedimentis matrimonii nullos habemus, ſed ex mera conſuetudine ſunt reſervata. Cum enim ob teneram conſcientiam Epiſcopi in ſæculo XII. deſu-

desuper sæpius referrent ad Pontificem, non, quod de sua potestate dubitarent, sed quod ejus exquirerent Consilium, quia magis adhuc insistebant observantiæ Canonum, consuetudine sibi hæc impedimenta Pontifex reservavit. Quia tamen in remotis partibus nimis dein sumptuosum & difficile erat recurrere Romam, cœperunt Episcopi iterum uti sua potestate, si nempe recursus vel nimis difficilis, vel nimis sumptuosus fieret, vel esset periculum in mora, ut passim authores adducunt casum de impedimento pridie nuptiarum detecto & occulto. Et in hoc casu Doctores dicunt, ex casu Papali fieri Episcopalem, de quo observandum in praxi, non oportere quemquam esse scrupulosum ex Papali facere casum Episcopalem, si causa Canonica subsit, cum redeat primigenea facultas Episcoporum, quam consuetudine tantum sibi Pontifex reservavit.

Ne ergo Episcopi passim redeant ad suam potestatem, acceptissimam in Germania accipiunt potestatem, quam singulis quinquenniis debent repetere, vi cujus dispensare possunt in casibus alias jure positivo vel consuetudine reservatis, in impedimentis matrimonii, in secundo gradu consanguinitatis cum conversis, cum reliquis in quarto & tertio æquali &c. Vide praxin dispensationum.

Fuit autem hæc potestas adempta Episcopis, quia passim illa abutebantur, ex respectu personarum, consanguineorum dispensabant &c.

Quid Episcopo in Germania observandum?

Resp. In Germania cum Episcopi simul sint Principes Imperii, vel Electores, cum pluribus ipsis est negotium. Præterquam enim, quòd illis sit agendum cum Papa, cum Metropolitano, cum Legatis & Nunciis, insuper ipsis est negotium cum Capitulis, cum sæcularibus Principibus, cum Generalibus exemptis &c.

Quæres, quid in praxi circa singulos notandum?

Resp. *Quoad Papam* strictius utique subjacent Episcopi Italiæ; qui omnes Bullas indistinctè recipere, & executioni cum summa reverentia mandare debent. In Germania autem, quia ipsis in multis restituta, & jure postliminii reddita est primæva jurisdictio, non cæcam obedientiam, sed rationabile præstant obsequium, & si non sint Bullæ in materia fidei vel morum, sed in aliis materiis, & præcipue si tendant

ad

ad reſtringendam authoritatem in Concilio Tridentino, vel per Concordata ſub Friderico III. & Nicolao V. conceſſam, illas non ita paſſim recipiunt & publicant, unde multæ ex hoc caſu non obligant. Magna tamen cum reverentia & cautela in his caſibus agendum cum Pontifice, & Gallos imitari oportet, apud quos, licet liberior exiſtat Epiſcopalis authoritatis uſus, & eorum poteſtas fore revocata ſit ad primævos Canones, in quo eorum libertates conſiſtunt, ſumma tamen cum reverentia agunt cum Pontifice, & plerumque in litteris præmittunt Regis merita in Eccleſiam, quæ petita gratia probe digna eſſent, uti fecerunt, dum voluerunt extendi libertatem Eccleſiæ Gallicanæ ad Epiſcopatus regno noviter adjectos.

Quoad Legatos. Debent quidem his præſtare reverentiam, & honorem, uti jurant ante confirmationem, eorum poteſtatem autem non aliter, ac in Concil. Trid. ſtatutum, recognoſcere; ita ut tantum conſiſtat in ſupplendo, vel obtineat per devolutionem a ſententia definitiva, antequam non datur appellatio, nec valide ab iis proceditur. Vide ſupra de officio Legatorum.

Quoad Metropolitanum. Dictum eſt, quod nullam hic habeat juriſdictionem in Epiſcopum ſuffraganeum, quoad ſubditos autem tantum in appellantes, adeoque hujus poteſtas hodie vix non omnis ceſſet, & conſiſtat tantum in ſupplendo, vel in viſitatione quoad forum conſcientiæ tantum obtineat. Vide ſuperius dicta. Et huc refer, quod legitur de Moguntino quodam, dum prior Archiepiſcoporum poteſtas viguit, illum ſcilicet ante prandium ad prandum vocaſſe Herbipolenſem &c.

Quoad Capitula. Licet Cardinales unum cum Pontifice corpus conſtituant, nihil tamen condominii cum Pontifice participant; ſed ſunt meri Miniſtri & Conſiliarii. Sic etiam defendunt Epiſcopi Capitula, ſive Capitulares, licet unum cum Epiſcopo Corpus conſtituant, eſſe tantum Miniſtros; adeoque forum regiminis in ſua Diœceſi Monarchicum; quamvis hi condominium & ariſtocratiam prætendant. Et cum a jure communi nullam habeant juriſdictionem, hanc ſibi per capitulationes ſucceſſive ſtabilire voluerunt; ſed quod fuerit harum fatum, dictum eſt ſuperius; adeoque ſi non ſpeciali jure vel conſuetudine quid probari poſſit, contra Capitula procedendum.

Quoad Generales & exemptos. Circa plurima restituta est primæva Episcopis authoritas, ut saltem tanquam Apostolicæ sedis delegati possint procedere. Supra autem jam notatum est, quoad reverentialia nullam suffragari exemptionem. Et, si lis a Generalibus movetur Romæ, est congregatio Cardinalium, quæ hac in materia summarie non secundum juris rigorem, sed prudentiæ regulas litem determinat.

Quoad Principes sæculares. Hic regula observanda: *quæ sunt Dei, Deo. Quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Si ergo jurisdictio Episcopalis in sæcularium principum territoria se extendat, sæcularia illis relinquenda, spiritualia Episcopo administranda. Sed quia frequentissimæ moventur lites, an res sit spiritualis, an mixta, & illud raro eliquatum, nunquam Episcopi censuris & pœnis debent procedere. Cum enim hæ non possint infligi, nisi patrato manifesto peccato mortali, illud autem vix committat, qui ex judicio prudentum jus suum defendere existimat, plus damni quam emolumenti afferrent. Hinc potius communicationibus & recommunicationibus agendum, usque dum res amice componatur, ne vilescat fulmen Ecclesiæ.

Quoad status Protestanticos. In subditos protestantes suspensa est jurisdictio Episcopalis. In Catholicos exercetur, si in anno 1624. vel aliqua ejus parte hi publicum habuerint exercitium, & jurisdictionem agnoverint. Si non, subsunt, salvis suis principiis protestantico Principi, sicut & Catholicis Principibus subsunt Protestantes subditi salvis itidem suis principiis. Vide Instr. Pac. Art. 48. &c.

TITULUS XXXIV.

De Treuga & Pace.

Quæritur: an ergo ad Pontificem pertineat statuere de bello & discordiis summorum Principum?

Resp. Negat. Et videntur isti canones editi propter jus manuarium, quod olim vigebat, quo nunc sublato non magnus horum canonum usus superest.

In regula ergo qui habent ſuperiorem, bellum gerere non poſſunt. Sic nec Principes Imperii inter ſe bella poſſunt gerere, licet cum extraneis & in continenti vim vi repellere queant. Reliqua in Authore.

TITULUS XXXV.

De Pactis.

Actum eſt in titulis præcedentibus de perſona & officio judicis, de variis judicum ſpeciebus, de Ordinario, delegato &c. Jam tranſit Pontifex ad alterum juris objectum, circa quod judicis officium verſatur. Quia autem præſtat lites amice componi, quam contentiones in judiciis inſtitui, antequam ad proceſſum judicialem progrediatur, præmittit ea, quibus extrajudicialiter lites dirimantur. Maxime autem ſopiuntur per pacta, conventiones, & tranſactiones. Agit ergo imprimis de pactis, quam materiam Author ex jure civili fuſe & ſatis bene explicat.

Quæres hic tantum: an diſtinctio inter pacta nuda & veſtita a jure Canonico attendatur?

Reſp. Negat. Jus enim Canonicum non attendit illas ſubtilitates Romanas, illas verborum formulas: *Spondeſne &c. ſpondeo:* ſed æquitatem, juxta quam fides data ſervanda, & moribus etiam Germaniæ non eſt recepta illa ſubtilitas. Sed ex quolibet etiam pacto, non tantum ut olim exceptio, ſed actio datur.

Bene tamen diſtinguendum eſt inter pactum nudum, & imperfectum. Nudum eſt abſolutum aliquod pactum, cui nihil amplius deeſt, quam quod lex ei non aſſiſtat ob ſolemnitates omiſſas. Imperfectum autem, quod nondum eſt abſolutum; ut, ſi actum ſit de emptione, nihil autem in ſpecie determinatum, ſed in genere tantum ſermo fuerit; hinc prævius potius tractatus, quam pactum dicendum eſt. Neque inde obligatio oritur.

Ad

Ad §. IX.

Teneatur Authoris sententia, quia maxime laborandum, ut forum externum & internum concordent. Rationes habes in Authore. ad N. 38.

Ad §. X.

Hæc Paragraphi dispositio de meris administrationibus intelligenda est, quod scilicet debeat probari versio in utilitatem; non autem de iis, qui sunt domini bonorum, uti Episcopi, Prælati, nisi sint bona communia, ad quæ alienanda consensus Capituli requiritur. In hoc casu non debet probari versio in utilitatem, quia alias nemo mutuam Episcopis daret pecuniam, cum hæ probationes semper sunt difficillimæ.

Ultimo dictum est, quænam pacta jure Canonico specialiter reprobentur. Pacta scilicet de re spirituali pro temporali, quia sunt Simoniaca. Item cum officia & ministeria Ecclesiæ sint publica, & extra commercium privatorum, nulla queque valet de iis pactio vel transactio.

TITULUS XXXVI.

De Transactionibus.

Modus frequentissimus & optimus, quo extrajudicialiter lites terminantur, est transactio, quam etiam in aliquibus judiciis & dicasteriis judices, antequam causam inchoent, tentare debent, & probi etiam judices suadent. Et hæc parit etiam exceptionem peremptoriam litis inchoandæ, sicut aliæ duæ, juramentum scilicet & res judicata, si in continenti probari possit: quamvis etiam hodie aliæ dentur exceptiones peremtoriæ, quandocunque una pars in continenti probare potest, alteram non habere causam litigandi. Quid sit transactio, habes in Authore.

Nostra quoque sententia est, quæ etiam in praxi Cameræ Imperialis observatur, quod contra transactionem non detur restitutio in ad N. 14.

 integrum,

rus evasit Patriarcha, cum subjectas acceperit provincias successu temporis tam multas, ut prope 350. Metropolitanos, ut ait Fleury in suis Inst. Can. sub se haberet, quorum cuique triginta prope Episcopi erant subjecti; nec mirum est, tot esse in Græcia Episcopos ob urbium multitudinem.

Hinc potentia præcipue Imperatorum fretus, Joannes Jejunator assumpsit titulum Patriarchæ œcumenici, & supra ipsum Romanum Pontificem sese efferre voluit; Jurisdictionem sibi in reliquos Patriarchas affectans, in specie Gregor. Antiochen. judicare voluit. Cujus superbiam, ut magis confunderet Gregorius M. (cujus acta in controversiis cum sede Apostolica utilissime leguntur) hoc titulo sibi in Conc. Chalced. jam concesso & confirmato ad tempus abstinuit, & se nominavit *servum servorum Dei*. Ortum hinc est schisma Græcorum, a quo sæpius quidem recesserunt & sæpius reuniti sunt Romanæ Ecclesiæ, & ultimo quidem in Sæc. XIV. in Conc. Florent. ubi primatum Romanæ concessere, salvis tamen suis privilegiis, & processionem a Patre Filioque, admisere. Tum Ecclesia Ruthenorum, cum esset propinquior Patriarchæ Constantinopolit. illi adhæsit & defecit. Basilius magnus dux Ruthenorum cum Sixto IV. se voluit reunire, si titulum Imperatoris acciperet; sed Pontifex in ipso opere mortuus est. Item dum Petrus I. contra Leges fundamentales, quæ prohibebant proficisci in externas Regiones & cum aliis communicare, Galliam invisit; oblatus est illi a Sorbona modus reunionis, cujus spes hactenus aliqua semper affulsit, nunquam tamen effectum sortita est.

Demum in Sæc. V. etiam Hierosolymæ Ecclesia ad Patriarchalem ad refricandam memoriam passionis & mortis Domini JEsu Christi evecta est. Non autem ab initio constituta fuit, quia urbs hæc juxta Christi vaticinium funditus eversa, & ex post modo ab Ælio Hadriano prope illum locum alia ædificata est, quam suo a nomine Æliam dixerat, & successu temporis non meram præeminentiam, sed Patriarchatum etiam jurisdictionis in certas Provincias & Episcopos Metropolit. accepit. Hæ Provinciæ & districtus vocati sunt, *diœceses*; Districtus autem Episcoporum *Parochiæ*.

Quæres,

Quæres, quænam sit horum potestas? ad N. 24.

Præcipua eorum potestas erat; ordinare omnes Archiepiscopos & Episcopos, 2) convocare Concilia plenaria, scilicet Patriarchalia, ubi de causis majoribus Metropolit. Archiepiscoporum tractabatur.

Patriarcha autem Romanus, quia ejus provinciæ nimis erant remotæ, potestatem ordinandi Episcopos non exercebat, nisi in suburbicariis & adjacentibus insulis, sed hæc potestas erat penes Metropolitanos. In Illyrico autem sibi constituerat Vicarium Thessalonicensem Archiepiscopum. Successu tamen temporis hanc sibi potestatem cum pluribus, quæ erant olim communia Archiepiscopis, reservavit.

In quolibet Regno unus fuit Primas, Rhemensis in Gallia, Pisanus in Italia, Strigoviensis in Hungaria, Gnesnensis in Polonia &c. Hodie solus superest Lugdunensis in Gallia, qui aliquam jurisdictionem adhuc habet, qui accipit appellationem a tribus Metropolitanis. Rhodomagensi, Turonensi & Sinonensi. In Africa ille Primas dicebatur, qui erat antiquior in ordinatione, ita tamen, ut Carthaginensis instar Patriarchæ semper Primas esset. ad N. 23.

Metropolitani potissimum illi dicti sunt, qui in urbe aliqua Metropoli residebant, & quidem ad formam regiminis sæcularis, uti Præses in urbe reliquos præfectos, ita hi reliquos sub se habebant Episcopos. Subinde tamen alius Ecclesiasticus Præses in hac, sæcularis in altera commoratus est, & ex recentiore disciplina Pontifices sæpe Archiepiscopos sine hoc respectu crearunt. Horum autem, sicut & Patriarcharum institutio & dignitas est juris meri Ecclesiastici, non divini. ad N. 5.

Quænam sit potestas Metropolitanorum in suffraganeos? ad N. 27.

Magna olim fuit. Ad ipsos enim pertinebat examen electionis, jus confirmationis, consecrationis, recipiendæ professionis obedientiæ, poterant illos ad se vocare, criminales causas cognoscere; sed quia nimis viliter has tractabant, in Conc. Trid. Sess. 14. C. 5. causæ criminales majores reservatæ summo Pontifici, minores Concilio provinciali. Convocare hodie possunt Concilia Provincialia, quæ ex Trid. singulis trienniis debent haberi, ad quæ etiam compellere licet Episcopos. Quia tamen acta debent prius remitti Romam, ut a Cardinalibus

reviderì, corrigi & approbari possint, Episcopi, qui se nolunt ita subjicere, hæc omittunt.

In civilibus, quia sunt Principes Imperii, habent jus Austregarum, vel per appellationem Cameram Imperialem.

Hodie tantum habent jus supplendi, ut, si Suffraganei eorum nolint electiones confirmare, si præsentatos non instituant, causas intra biennium non absolvant ex Trid. notoria finant grassari crimina; si sede vacante capitulum non bene administret, non constituat Vicarios, ipse potest visitatorem constituere, & præviis tamen monitionibus dictas negligentias supplere. Sed ne Pontificalia quidem sine licentia suffraganei in ejus Diœcesi licet exercere.

Generaliter ergo nullam, & per appellationem tantum in appellantes subditos habet jurisdictionem, ita ut ne testes quidem productos ab appellantibus, sine requisitione possit evocare. Tempore visitationis jurisdictionem in foro conscientiæ tantum sortitur.

Quia autem hodie liberum est, vel ad Nuntium, qui concurrentem habet jurisdictionem, vel ad Pontificem, vel ad Archiepiscopum appellare, hoc jus parum utile est. In Gallia autem vi Concordatorum debet appellari prius ad Archiepiscopum.

§. V.

De Episcopis, Officio, & Potestate eorum.

ad N. 34. *An Institutio Episcoporum quoad consecrationem & jurisdictionem sit immediate a Deo?*

Duæ quæstiones acerrime agitatæ sunt in Conc. Trid. 1) an Episcopi jure Divino teneantur residere; & petita est hujus definitio. Contradixerunt aliqui, maxime qui versabantur libenter in aulis Pontificum. Et cum hæc esset quæstio scholæ, quales noluit attingere Conc. Trid. res definita non est. Ipsa tamen residentia sub amissione quartæ partis fructuum, si per sex menses non residerent, Episcopis imperata.

Altera

Altera fuit, an jurisdictio Episcoporum sit immediate a Deo? quam Galli & Hispani maxime agitaverunt, & non multum res aberat a definitione. Intercesserunt autem Itali, & Generalis Soc. Jes. P. Lainez prolixum fecit desuper discursum, in quo varia momenta adducit, queis probare nititur, jurisdictionem Episcoporum tantum mediate, mediante scilicet Pontifice, esse a Deo. Sed cum altera sententia sit fundatior in sacra scriptura, & efficacior ad probandam Hierarchiam divinitus institutam, cum Authore a nobis tenetur & probatur hoc stringenti argumento: Conf. Pallavicin. in sua historia Conc. Trid.

Pontifex habet immediate jurisdictionem a Deo, ergo etiam Episcopi. Probatur conf. Ideo Pontifex habet jurisdictionem immediate a Deo, quia est successor Petri. Atqui etiam Episcopi sunt successores Apostolorum. Ergo. Apostoli autem non a Petro, sed a Deo suam jurisdictionem accepere, ait enim illis; *sicut misit me Pater, & ego mitto vos, quodcunque ligaveritis &c. attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, Act. 20. Sicut ergo Pontifex est Caput Ecclesiæ, quia Petrus est constitutum Caput, sic etiam Episcopi sunt institutionis Divinæ quoad jurisdictionem, quia Apostoli hanc a Deo acceperunt. Vide Habert. Tom. 7. Fol. 296. & seq.

Propterea tamen non tollitur subordinatio. Licet enim in exercitu Generalissimus & Colonellus sint immediate constituti ab Imperatore, subordinatio tamen non tollitur. Sed Objicies

1) Episcopi confirmantur, ordinantur a summo Pontifice, ergo. Resp. Etiam Pontifex ordinatur a Cardinali. Sicut ergo illa est nuda designatio, sic & hæc confirmatio. In oriente non ordinantur a Pontifice. In occidente per decem fere sæcula ordinati sunt ab Archiepiscopis.

2) Per confirmationem tamen hodie confertur jurisdictio. Dist. vera, intrinseca & Hierarchica, *Neg.* vicaria, administratoria, *Conc.* hæc confertur per consecrationem, a qua per decem sæcula confirmatio non distinguebatur, sed consecratio & confirmatio unus idemque actus erat.

3) Scribunt se Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopos. Resp. In oriente non. In occidente etiam per decem sæcula id non fecerunt. Nicosiensis Archiepiscopus in Cypro in sæculo XIII. id primo incepit.

Quod enim jus territoriale in sæcularibus est respectu Principis, hoc est jus Diœcesanum in spiritualibus. Et sicut illud non datur sine territorio, sic nec hoc sine Diœcesi & districtu. Hoc ipsum constituit Episcopum principem Ecclesiasticum, Primarium Antistitem & Pastorem animarum, vi cujus omnes Clerici tenentur ipsi præstare obedientiam. Differt a jurisdictione, quod illa Episcopum magis constituat judicem, hoc patrem. Ex hoc jure spectat ad ipsum ministros constituere, inspectionem habere in vitam & mores, synodos convocare, condere leges, inspectionem & administrationem habere omnium locorum piorum & religiosorum, visitare subditos. Et quia in his scilicet visitationibus Episcopus non ut judex, sed ut pater ex zelo prudentiæ procedit, nulla valet quoad visitationem exemtio, nulla extinctiva præscriptio, quia pertinet ad reverentialia patris. Sicut autem emancipati filii his non liberantur, sic nec exempti, quibus a S. Bernardo comparantur. Ex hac ratione potest in locis exemptis celebrare in Pontificalibus, erigere Baldachinum, quia pertinent ad reverentialia. Quibus adde, quod a decretis in visitatione, quia non ut judex, sed ut pater procedit, non detur appellatio, saltem quoad effectum suspensivum; licet subinde quoad devolutivum; nec convenit visitationi interesse Fiscalem, quia debet esse paterna. Quarta Potestas secum fert jura status & præeminentialia. Ad hæc olim pertinebant tituli, hodie, quod vocentur Celsissimi, præcedant Status sæculares, sedeant in scamno dextro in Comitiis. Hæc quoque omnia ipsi infulæ & dignitati Episcopali sunt annexa, quæ Protestantes libenter vindicarent Capitulis, ut sic authoritatem Episcoporum minuerent, & tandem etiam Capitulorum. Hinc Episcopos tantum Proprincipes volunt vocare, & jura Episcopalia inter Capitulares dividere; passim etiam adstruunt his præcedentiam præ Suffraganeis, ut Episcopalem dignitatem imminuant. His autem Concil Trident. præcepit suam defendere authoritatem. Quis sit horum origo, constat ex historia, quod tempore cruciatarum, cum iterum ejecti sint Episcopi isti titulares, invaluerint.

Duæ hic maxime contrariæ a Doctoribus dantur regulæ. Prior est: quod Episcopus in regula dispensare non possit in jure Communi Concil. Generalis, vel Constitutionum Apostolicarum, nisi in specie hæc facultas ei sit concessa. Altera est: quod in regula Episcopus possit in Canonibus Concilii Generalis & Constitutionibus Apostolicis, se- **ad N. 48.**

cundum ſpiritum tamen Canonum, ex utilitate vel neceſſitate publica diſpenſare, niſi in ſpecie hæc ei facultas ſit ademta. Et hæc ultima etiam contra Authorem a nobis tenetur. Ratio eſt 1. quia illa facultas diſpenſandi in ſuo diſtrictu Epiſcopo eſt conceſſa, quæ eſt utilis & neceſſaria ad regendam Eccleſiam, in qua a Spiritu Sancto poſitus eſt. Atqui facultas diſpenſandi in Concilii Generalis Canonibus &c. eſt Epiſcopo neceſſaria & utilis, ne jugum Chriſti evadat durum, & homines ſubin laqueis conſcientiæ involvantur. Ergo in regula eſt conceſſa; cum Chriſtus dominus illimitate dixerit: *quæcunque ſolveritis ſuper terram &c.*

Secundo *C. 29. de ſententia excommunicationis.* Poteſt Epiſcopus abſolvere ab omnibus peccatis & cenſuris, non ſpecialiter reſervatis; ergo etiam diſpenſare, niſi ſpecialiter facultas adempta ſit. Tertio, poteſt in regula diſpenſare in juramentis & votis non reſervatis, qualia ſunt votum perpetuæ Caſtitatis, ingrediendi religionem, peregrinandi ad limina Apoſtolorum, Compoſtellam & Hieroſolymam, ergo etiam in aliis conſtitutionibus. *Si ais:*

1mo. Inferior non poteſt diſpenſare in lege ſuperioris. Reſpondetur: Galli etiam negant, Pontificem eſſe ſuperiorem Concilio, & tamen poteſtatem temperandi canones concedunt. Reſp. 2do. Non poteſt ſine juſta & Canonica cauſa, vel etiam plane tollere legem ſuperioris, conceditur; cum hac, negatur. Hoc pertinet ad ſuave Eccleſiæ regimen, in quo & ipſe Rector a Deo conſtitutus eſt.

2do. Cap. 15. de temp. Ordinand. & alibi Pontifex dixit, ſe habere plenitudinem poteſtatis, eſſe ſupra Canones. Atqui hanc non habent Epiſcopi &c. Ergo. Reſp. diſt. Maj. habere plenitudinem poteſtatis &c. generaliter pro tota Eccleſia, ita quidem, ut hæc ipſi adimi non poſſit. Conc. particularem. Negatur. Magna hinc eſt differentia inter poteſtatem Pontificis & Epiſcopi. Hæc enim reſtringi, adimi poteſt; illa non. Galli ſupradictam plenitudinem poteſtatis & arbitrariam negant Pontifici.

Ubi ergo vel jus ſcriptum vel conſuetudinarium non adimit Epiſcopo poteſtatem, illam in regula habet. Paucos habemus Canones, in quibus poteſtas ipſi adempta eſt, ſicuti in diſpenſanda ætate, in impedimentis matrimonii nullos habemus, ſed ex mera conſuetudine ſunt reſervata. Cum enim ob teneram conſcientiam Epiſcopi in ſæculo XII. deſu-

desuper sæpius referrent ad Pontificem, non, quod de sua potestate dubitarent, sed quod ejus exquirerent Consilium, quia magis adhuc insistebant observantiæ Canonum, consuetudine sibi hæc impedimenta Pontifex reservavit. Quia tamen in remotis partibus nimis dein sumptuosum & difficile erat recurrere Romam, cœperunt Episcopi iterum uti sua potestate, si nempe recursus vel nimis difficilis, vel nimis sumptuosus fieret, vel esset periculum in mora, ut passim authores adducunt casum de impedimento pridie nuptiarum detecto & occulto. Et in hoc casu Doctores dicunt, ex casu Papali fieri Episcopalem, de quo observandum in praxi, non oportere quemquam esse scrupulosum ex Papali facere casum Episcopalem, si causa Canonica subsit, cum redeat primigenea facultas Episcoporum, quam consuetudine tantum sibi Pontifex reservavit.

Ne ergo Episcopi passim redeant ad suam potestatem, acceptissimam in Germania accipiunt potestatem, quam singulis quinquenniis debent repetere, vi cujus dispensare possunt in casibus alias jure positivo vel consuetudine reservatis, in impedimentis matrimonii, in secundo gradu consanguinitatis cum conversis, cum reliquis in quarto & tertio æquali &c. Vide praxin dispensationum.

Fuit autem hæc potestas adempta Episcopis, quia passim illa abutebantur, ex respectu personarum, consanguineorum dispensabant &c.

Quid Episcopo in Germania observandum?

Resp. In Germania cum Episcopi simul sint Principes Imperii, vel Electores, cum pluribus ipsis est negotium. Præterquam enim, quòd illis sit agendum cum Papa, cum Metropolitano, cum Legatis & Nunciis, insuper ipsis est negotium cum Capitulis, cum sæcularibus Principibus, cum Generalibus exemptis &c.

Quæres, quid in praxi circa singulos notandum?

Resp. *Quoad Papam* strictius utique subjacent Episcopi Italiæ; qui omnes Bullas indistinctè recipere, & executioni cum summa reverentia mandare debent. In Germania autem, quia ipsi in multis restituta, & jure postliminii reddita est primæva jurisdictio, non cæcam obedientiam, sed rationabile præstant obsequium, & si non sint Bullæ in materia fidei vel morum, sed in aliis materiis, & præcipuo si tendant

ad

ad restringendam authoritatem in Concilio Tridentino, vel per Concordata sub Friderico III. & Nicolao V. concessam, illas non ita passim recipiunt & publicant, unde multæ ex hoc casu non obligant. Magna tamen cum reverentia & cautela in his casibus agendum cum Pontifice, & Gallos imitari oportet, apud quos, licet liberior existat Episcopalis authoritatis usus, & eorum potestas fere revocata sit ad primævos Canones, in quo eorum libertates consistunt, summa tamen cum reverentia agunt cum Pontifice, & plerumque in litteris præmittunt Regis merita in Ecclesiam, quæ petita gratia probe digna essent, uti fecerunt, dum voluerunt extendi libertatem Ecclesiæ Gallicanæ ad Episcopatus regno noviter adjectos.

Quoad Legatos. Debent quidem his præstare reverentiam, & honorem, uti jurant ante confirmationem, eorum potestatem autem non aliter, ac in Concil. Trid. statutum, recognoscere; ita ut tantum consistat in supplendo, vel obtineat per devolutionem a sententia definitiva, antequam non datur appellatio, nec valide ab iis proceditur. Vide supra de officio Legatorum.

Quoad Metropolitanum. Dictum est, quod nullam hic habeat jurisdictionem in Episcopum suffraganeum, quoad subditos autem tantum in appellantes, adeoque hujus potestas hodie vix non omnis cesset, & consistat tantum in supplendo, vel in visitatione quoad forum conscientiæ tantum obtineat. Vide superius dicta. Et huc refer, quod legitur de Moguntino quodam, dum prior Archiepiscoporum potestas viguit, illum scilicet ante prandium ad prandum vocasse Herbipolensem &c.

Quoad Capitula. Licet Cardinales unum cum Pontifice corpus constituant, nihil tamen condominii cum Pontifice participant; sed sunt meri Ministri & Consiliarii. Sic etiam defendunt Episcopi Capitula, sive Capitulares, licet unum cum Episcopo Corpus constituant, esse tantum Ministros, adeoque forum regiminis in sua Diœcesi Monarchicum; quamvis hi condominium & aristocratiam prætendant. Et cum a jure communi nullam habeant jurisdictionem, hanc sibi per capitulationes successive stabilire voluerunt; sed quod fuerit harum fatum, dictum est superius; adeoque si non speciali jure vel consuetudine quid probari possit, contra Capitula procedendum.

Quoad

Quoad Generales & exemptos. Circa plurima restituta est primæva Episcopis authoritas, ut saltem tanquam Apostolicæ sedis delegati possint procedere. Supra autem jam notatum est, quoad reverentialia nullam suffragari exemptionem. Et, si lis a Generalibus movetur Romæ, est congregatio Cardinalium, quæ hac in materia summarie non secundum juris rigorem, sed prudentiæ regulas litem determinat.

Quoad Principes sæculares. Hic regula observanda: *quæ sunt Dei, Deo. Quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Si ergo jurisdictio Episcopalis in sæcularium principum territoria se extendat, sæcularia illis relinquenda, spiritualia Episcopo administranda. Sed quia frequentissimæ moventur lites, an res sit spiritualis, an mixta, & illud raro eliquatum, nunquam Episcopi censuris & pœnis debent procedere. Cum enim hæ non possint infligi, nisi patrato manifesto peccato mortali, illud autem vix committat, qui ex judicio prudentum jus suum defendere existimat, plus damni quam emolumenti afferrent. Hinc potius communicationibus & recommunicationibus agendum, usque dum res amice componatur, ne vilescat fulmen Ecclesiæ.

Quoad status Protestanticos. In subditos protestantes suspensa est jurisdictio Episcopalis. In Catholicos exercetur, si in anno 1624. vel aliqua ejus parte hi publicum habuerint exercitium, & jurisdictionem agnoverint. Si non, subsunt, salvis suis principiis protestantico Principi, sicut & Catholicis Principibus subsunt Protestantes subditi salvis itidem suis principiis. Vide Instr. Pac. Art. 48. &c.

TITULUS XXXIV.

De Treuga & Pace.

Quæritur: an ergo ad Pontificem pertineat statuere de bello & discordiis summorum Principum?

Resp. Negat. Et videntur isti canones editi propter jus manuarium, quod olim vigebat, quo nunc sublato non magnus horum canonum usus superest.

In regula ergo qui habent ſuperiorem, bellum gerere non poſſunt. Sic nec Principes Imperii inter ſe bella poſſunt gerere, licet cum extraneis & in continenti vim vi repellere queant. Reliqua in Authore.

TITULUS XXXV.

De Pactis.

Actum eſt in titulis præcedentibus de perſona & officio judicis, de variis judicum ſpeciebus, de Ordinario, delegato &c. Jam tranſit Pontifex ad alterum juris objectum, circa quod judicis officium verſatur. Quia autem præſtat lites amice componi, quam contentiones in judiciis inſtitui, antequam ad proceſſum judicialem progrediatur, præmittit ea, quibus extrajudicialiter lites dirimantur. Maxime autem ſopiuntur per pacta, conventiones, & transactiones. Agit ergo imprimis de pactis, quam materiam Author ex jure civili fuſe & ſatis bene explicat.

Quæres hic tantum: an diſtinctio inter pacta nuda & veſtita a jure Canonico attendatur?

Reſp. Negat. Jus enim Canonicum non attendit illas ſubtilitates Romanas, illas verborum formulas: *Spondeſne &c. ſpondeo:* ſed æquitatem, juxta quam fides data ſervanda, & moribus etiam Germaniæ non eſt recepta illa ſubtilitas. Sed ex quolibet etiam pacto, non tantum ut olim exceptio, ſed actio datur.

Bene tamen diſtinguendum eſt inter pactum nudum, & imperfectum. Nudum eſt abſolutum aliquod pactum, cui nihil amplius deeſt, quam quod lex ei non aſſiſtat ob ſolemnitates omiſſas. Imperfectum autem, quod nondum eſt abſolutum; ut, ſi actum ſit de emptione, nihil autem in ſpecie determinatum, ſed in genere tantum ſermo fuerit; hinc prævius potius tractatus, quam pactum dicendum eſt. Neque inde obligatio oritur.

Ad

Ad §. IX.

Teneatur Authoris sententia, quia maxime laborandum, ut forum externum & internum concordent. Rationes habes in Authore. ad N. 38.

Ad §. X.

Hæc Paragraphi dispositio de meris administrationibus intelligenda est, quod scilicet debeat probari versio in utilitatem; non autem de iis, qui sunt domini bonorum, uti Episcopi, Prælati, nisi sint bona communia, ad quæ alienanda consensus Capituli requiritur. In hoc casu non debet probari versio in utilitatem, quia alias nemo mutuam Episcopis daret pecuniam, cum hæ probationes semper sunt difficillimæ.

Ultimo dictum est, quænam pacta jure Canonico specialiter reprobentur. Pacta scilicet de re spirituali pro temporali, quia sunt Simoniaca. Item cum officia & ministeria Ecclesiæ sint publica, & extra commercium privatorum, nulla queque valet de iis pactio vel transactio.

TITULUS XXXVI.

De Transactionibus.

Modus frequentissimus & optimus, quo extrajudicialiter lites terminantur, est transactio, quam etiam in aliquibus judiciis & dicasteriis judices, antequam causam inchoent, tentare debent, & probi etiam judices suadent. Et hæc parit etiam exceptionem peremptoriam litis inchoandæ, sicut aliæ duæ, juramentum scilicet & res judicata, si in continenti probari possit: quamvis etiam hodie aliæ dentur exceptiones peremtoriæ, quandocunque una pars in continenti probare potest, alteram non habere causam litigandi. Quid sit transactio, habes in Authore.

Nostra quoque sententia est, quæ etiam in praxi Cameræ Imperialis observatur, quod contra transactionem non detur restitutio in ad N. 14.

 integrum,

integrum, ſicut in dolo & minore. Ratio eſt: quia maxime intereſt reipublicæ, litium eſſe finem. Dum ergo tendit transactio ad ſopiendas lites, exacte debet ſervari; & ulterius, quia, ſicut difficile eſt in aliis rebus læſionem taxare, ob diverſos rerum æſtimatores, ita in transactione ſuper lite difficillimum & moraliter impoſſibile eſt dubietatem litis æſtimare; cum cauſæ fatis potius ſubjaceant.

Sequitur Titulus XXXVII. de POSTULANDO, de quo lege Authorem, eumque imitare, & hoc obſerva de omnibus Titulis in hiſce Notaminibus omiſſis, in quibus ſpeciale nihil notandum ſupereſt.

TITULUS XXXVIII.

De Procuratoribus.

Hoc Dominium litis, de quo hic fit mentio, & quod fictum tantum fuit ad ſpeciales quosdam effectus, obtinuit olim ex ſubtilitate Juris Romani, & varios habuit effectus, ut, quod poſt litem conteſtatam alium licuerit ſubſtituere, quod non amplius potuerit revocari Procurator, quod non exſpiraverit morte concedentis. Hodie autem in praxi poteſt revocari, exſpirat morte concedentis, quia non amplius fiunt domini litis, ſed ſunt meri cauſæ adminiſtratores.

An Minor poſſit eſſe Procurator?

ad N. 8. not. VI. Diſputatur de hoc in Jure Civili. In praxi tamen receptum eſt Jus Canonicum ad evitandas tricas, licet ratio aſſignata minus congrua ſit. Minor enim poteſt quidem reſtitui in rebus propriis, ſi ſit læſus, non autem reſpectu tertii, qui ſibi imputare debet, quod minus idoneum elegerit.

ad N. 11. Duo ergo requiruntur, ut poſſit quis eſſe Procurator, habilitas ſcilicet perſonæ, & mandatum; hoc autem poteſt eſſe varium, uti hic habes in Authore.

In bene formatis Dicaſteriis ad evitanda dubia, annon ſubinde ſpeciale mandatum requiratur in eo, qui habet mandatum cum libera, id eſt cum plena & libera facultate, vel generale, extant certæ formulæ,

mulæ, quas principales debent subinde subscribere, antequam eorum procuratores admittantur, ut plene constet de eorum facultate.

Possunt etiam plures dari Procuratores, qui si indefinite dentur, unus sine altero procedere non potest. Si autem in solidum, Sambt und Sonders, locus est præventioni, uti dictum est de Officio Judicis delegati. Ad electionem autem, si plures dentur, non admittitur nisi unus ad Conclave.

Hic olim effectus dominii litis erat, & hodie adhuc obtinet, si per negligentiam, non autem, si per dolum nocuerit. Contra tamen potest peti restitutio, quamvis Author putet, regressum primario contra procuratorem instituendum; quia tamen non est taxabilis dubietas litis, & læsio, in praxi etiam restitutio obtinet. ad N. 17.

Potest autem revocari vel tacite vel expresse. *Expresse:* Si litteris aut verbis mandatum revocet, quæ revocatio, ut habeat effectum, debet esse insinuata, alias valide adhuc procedit. *Tacite*, si Principalis per se negotia tractare suscipiat. &c. ad N. 18.

TITULUS XL.

De his, quæ vi metusve Causa fiunt.

Hic contra Authorem distinguimus inter contractus bonæ fidei, & stricti juris. Contractus stricti Juris, quia in iis qualiscunque consensus sufficit, summo jure valent, & sunt tantum rescindibiles per judicem. Contractus autem bonæ fidei sunt ipso jure nulli, & tantum declarantur invalidi a judice. Præter rationes assignatas hic in Authore ulteriores sunt, quia metus repugnat bonæ fidei, sicut dolus. Si ergo dolus faciat actus ipso jure nullos, etiam id præstat metus. Secundo, nullum promissum obligat, nisi legitime acceptatum, contra omnem vero æquitatem est, eum legitime posse acceptare, qui vi & metu injusto quid extorquet; cum nemo debeat ex sua nequitia commodum referre. Idem conformiter statuendum de juramento. Quia tamen Canones valde religiosi sunt, & juramentum observandum præcipiunt, ad securitatem petitur absolutio. ad N. 2.

 Actio,

Actio, quæ ex hoc datur, vocatur actio, quod metus causa, hæc quidem est personalis, quia est actio ex delicto, omnis autem actio ex delicto est personalis, interim tamen est anomala, & imitatur actionem realem, cum sit personalis, in rem scripta. Datur actio talis etiam contra tertium v. g. si equus vi extortus tertio venditus esset.

TITULUS XLI.

De in Integrum restitutione.

Restitutio est causæ perditæ redintegratio, vel, ut Author habet, remedium juris &c. Inventa potissimum est, ut læsis succurratur, & est remedium prætorium, quod etiam contra contractus validos & quidem omnes datur, si probetur læsio.

Currit ergo illud tempus a tempore notitiæ. Hinc, si Prælatus læsit Ecclesiam, modo a morte ipsius tempus numeratur, & tempus vitæ subtrahitur. Hinc etiam in præscriptione contra Ecclesias in bonis immobilibus 44. anni requiruntur, quia a 40. modo currit tempus quadriennii, post quos restitui non possunt.

ad N. 22. *Quæritur, an Minor resignans beneficium restitui possit?*

Resp. Quia hic læsio non ex reditibus, sed ex spiritu potius & animo clericandi æstimanda est, hæc autem difficillimæ sit probationis, non facile concedetur. Si tamen revera ostenderetur adfuisse animum clericandi, genium & dotes, & beneficium ex juvenili & consueta facilitate, falsis persuasionibus vel blanditiis resignatum fuisse, posset minor restitui in integrum.

Quoad sponsalia non facile datur, quia hic læsio non ex divitiis, sed sæpe ex affectione & forma æstimanda. Sufficit enim adfuisse affectionem. Hinc facile non potest taxari læsio. Forma enim subinde pro dote est.

Mensura autem restitutionis est mensura læsionis. In tantum ergo quis restitui debet, etiam quoad fructus, in quantum est læsus.

Effe-

Effectus autem petitæ restitutionis, uti appellationis est, ne judex possit procedere, quamvis habeamus caput, in quo dicitur, si cautio offeratur, interim procedi posse, si autem impetrata sit, restituitur quis in eum locum, in quo fuit ante litem contestatam.

TITULUS XLIII.

De Arbitris.

Solent processus vel via ordinaria coram competente & ordinario judice terminari, vel via extraordinaria coram Arbitris. Hinc antequam Pontifex agat de judiciis & via ordinaria, bene præmittit Titulum de Arbitris, per quos via extraordinaria lites finiuntur.

Quæres, quotuplicis generis sint Arbitri?

Resp. Duplicis. Alii enim sunt necessarii vel juris, alii voluntarii. *Arbitri juris*, qui quidem a partibus non libera voluntate, sed ex necessitate legis & juris assumuntur, ut si ex ratione suspecti delegatus sit removendus, quia in partibus remotis difficile est semper adire Pontificem, & lites alioquin protraherentur. C. suspicio. 39. de Off. Deleg. statutum est, ut Arbitri assumantur, qui desuper cognoscant, & hi nihil omnino differunt a judicibus ordinariis. Hinc ab iis datur etiam appellatio.

Tales enim Arbitri juris sunt in jure publico Austreges, quos quidam status sibi debent constituere, ne eorum causæ statim trahantur ad Imperii dicasteria.

Voluntarii vel compromissarii sunt, qui nullo jure, nulla lege cogente ex libera partium voluntate assumuntur, de quibus specialiter in hoc Titulo agitur. Author ulteriorem speciem assignat Arbitri, & Arbitratoris, de quibus eum lege.

Si plures sint constituti, debet inspici forma compromissi, & in litteris debent compromissa consignari, ut constet de potestate, & utrum unus sine altero possit procedere. Formam quoque accurate debent observare, alias nihil agunt, quia omnem potestatem suam habent a partibus, ultra quam procedere non possunt, & sicut delegatio ad N. 3.

strictæ,

strictæ, ita arbitrium strictissimæ est interpretationis. Et si duo sint constituti, non possunt nominare tertium sine consensu partium ob tricas & dissensiones evitandas, quæ plerumque inter duos contingunt. Id tamen, quod Author in hoc Num. habet, si scilicet plures indefinite statuantur, quod unus sine altero vel absente vel malitiose nolente, possit procedere, speciale est, & secus ac in delegatis. Nequit autem solida hujus ratio dari. Pontifex ait, ut citius lites terminentur. Hic ergo debet recurri *ad legem : non omnium*, *quæ majores statuerunt*, *ratio reddi potest*. Alii ajunt, Pontificem voluisse corrigere jus civile. In praxi tamen statur jure Canonico.

ad N. 4 *Quæres, qui & de qua re compromittere possint?*

In regula, qui libere utuntur jure suo, & pleni sunt rerum domini, possunt compromittere. Ubicunque ergo non est libera dispositio, Compromissio non valet. Hinc compromittere nequit Procurator sine speciali mandato, nec arbiter constituere subarbitrum sine speciali concessione, nec Prælatus circa res immobiles sine consensu Capituli.

De qua re?

Resp. Super rebus privati commercii, & dominii, & ubi non agitur de jure tertii, uti in exemptione statuitur. Hinc non valet de matrimonio &c. Bene tamen de sponsalibus, quia mutuo consensu tolli possunt.

ad N. 6. *In quos compromitti possit ?* Videtur hic obstare C. 9. de judiciis. Ubi laicus ne quidem condelegatus esse potest; quare ergo coarbiter? cum tamen coarbitri ad normam judicis redigantur. Sed ratio datur, quia delegati publica authoritate pollent & constituuntur, non autem arbitri. Hinc cap. 8. dicit, *non decet :* quæ indecentia videntur abstergi per præsentiam Cleri.

Olim etiam non poterat compromitti in judicem ordinarium, quia judices pedanei debuerunt suam præscriptam formam observare, quod hodie exulat.

ad N 7. *Quænam forma observanda ?* De forma debet constare ex litteris; ultra quam ad non expressa procedere nequeunt, nisi plane sint connexa. Cui enim concessus est finis, etiam concessa debent esse media.

Qui-

Quinam effectus? Si compromissum sit receptum, compelli possunt ad sententiam arbitri, quæ vocatur laudum vel arbitralis.

Si autem lata sit, non datur ex jure conventio, nisi specialiter conventum, sive æqua sive iniqua sit sententia, nisi arbiter sit necessarius, vel notoria iniquitas; quia partes sibi imputare debent, quod ad celeriorem litium exitum arbitros sibi delegerint. Et quia citius voluerunt causam sic finiri, ad hoc se obligasse censentur.

Quæ quidem sententia in praxi esset optanda. Sed quia sæculum nostrum nimis ferax est litium, non tantum laudum arbitratoris, sed etiam arbitri, reduci potest ad arbitrium boni viri. Quod in effectu idem est, ac quod possit appellari ad judicem ordinarium. Quod quidem adhuc extendere volunt, etsi reconventioni renuntiatum sit, nos vero negamus, quia sic arbitrium non esset medium finiendarum sed protrahendarum litium. Reipublicæ autem magis interest, lites finiri, quam ex privata utilitate remedia litium violari. *Publica privatis anteferenda bonis.*

Quandonam fieri debeat? ad N. 8.

Debet autem reductio fieri intra decem dies in praxi, alias laudum fit homologatum sive transit in rem judicatam.

Quomodo finiatur compromissum, vide in Authore, & pro coronide ad solvendos textus juris observa, multa olim specialia circa laudum jure Justinianeo constituta esse, quæ hodie non observantur.

Sic quia olim ex pacto nudo non dabatur actio, si compromissum pacto nudo constitutum fuerat, nulla admittebatur actio, neque poterat adjici juramentum ob periculum multiplicandorum perjuriorum; quia non aderat remedium compulsivum; si autem ita fuit homologatum laudum, dabatur actio in factum. Hodie autem, cum etiam ex pacto nudo detur actio, hæc non sunt in usu. Potest tamen adjici juramentum, quamvis & hoc conditionatum velint, nisi sententia sit iniqua, & contra admittant reductionem ad arbitrium boni viri.

ANNOTATIONES
AD
DECRETALIUM
LIBRUM SECUNDUM.
TITULUS I.
De Judiciis.

Quomodo ſtrepitus forenſis introductus fuerit in Eccleſiam, dictum eſt in Prolegomenis, & alibi.

Quæres, quid ſit Judicium?

Reſp. Judicium eſt complexum aliquod ex variis actibus, ad litem inchoandam, proſequendam, & terminandam ordinatis. Author definit, quod ſit legitima controverſiæ diſceptatio & dijudicatio actorem inter & reum.

Inventi autem ſunt actus iſti varii, ut evitetur confuſio, & ne judices facile argutiis & non ſatis proſpectis partium fundamentis inducantur ad deflectendum a juſtitia.

ad N. 3. Actoris conditio plerumque eſt deterior. Actori enim incumbit onus probandi, & actore non probante reus eſt abſolvendus. Debet autem actor plene probare, niſi in judiciis communibus, ut de communi dividendo &c. ubi uterque ſimul eſt actor, & reus, in quo non plene debet probari, ſed qui plus probat, vincit. Hinc longa inter advocatos ſæpe oritur diſceptatio, quinam ſit actor, & cui incumbat probatio.

ad N. 4. Recenſet hic Author quoſdam, quibus agere non licet, & in numeris ſubſequentibus alias quaſdam perſonas ad judicium concurrentes, de quibus locorum uſus & conſuetudo inſpicienda.

In

In hoc numero incipit judicium dividere ſecundum quatuor genera cauſarum. *A cauſa efficiente* in judicium ſæculare & Eccleſiaſticum. In N. 12. *a cauſa formali* in ordinarium & ſummarium. Ordinarium eſt, dum ſervato juris ordine judex procedit. Summarium, quando judex omiſſis ſolennibus ſola rei veritate inſpecta de plano judicat. ad N. 10. ad N. 12.

In quo tamen ſubſtantialia proceſſus non debent omitti, licet omittantur ſolennia, alias fit proceſſus tumultuarius. Quænam autem ſint ſubſtantialia, quænam ſolennia, habetur in Clement. 2. de verb. ſignif. ubi deſcribuntur. Si ſubſtantiale eſt citatio rei, debent ipſi præmitti exceptiones, & defenſiones, &c. Videatur Author.

Quæres, quænam cauſæ poſſint ſummarie tractari?

Reſp. Aliquæ ex natura rei exigunt proceſſum ſummarium, ubi periculum in mora eſt, ut in electionibus, &c. Subinde etiam ex conſenſu & compromiſſione partium aſſumitur judicium ſummarium. Plura in Authore.

In aliis eſt regula, quod in notoriis non debeat ſervari proceſſus Ordinarius. In praxi autem difficile eſt judicare, quænam ſint notoria. Notoria notorietate juris dicuntur, quæ ita ſunt clara & expreſſa, ut contradici non poſſit; ut confeſſio judiciaria, res judicata. Notoria notorietate facti, quæ ita ſunt manifeſta, ut factum nulla tergiverſatione poſſit celari & contradici. Hæc autem notorietas raro dehenditur.

A Cauſa finali in criminale & civile. Poteſt autem etiam in criminali agi civiliter ad reſarciendum damnum, quod & Clericus ſine periculo incurrendi irregularitatem facere poteſt, etſi judex ex officio pœnam ſanguinis infligat. Alias enim malo loco eſſent. Pro majore tamen cautela ſolent proteſtari, quod nullo modo ad pœnam ſanguinis agant, ſed tantum ad conſequendam rem ſuam. ad N. 14.

A Cauſa materiali in petitorium & poſſeſſorium. Quodnam autem judicium ſit inſtitutum, ex libello dignoſcendum, an de jure & rei proprietate, vel de ſola poſſeſſione inſtituatur actio. ad N. 15.

Hoc judicium poſſeſſorium ſubinde eſt ordinarium, quando judex ex plena cauſæ cognitione procedit, & per ſententiam definitivam poſſeſſionem adjudicat.

Si autem non ad plenam causæ cognitionem, sed talem qualem demonstrationem, non finaliter & definitive, sed provisorie tantum possessionem adjudicat, vocatur possessorium summarissimum; & obtinet, ubi periculum est in mora, cædium v. g. & armorum, & ordinarie adjudicatur possessio ei, qui ultimum actum & factum possessionis exercuit.

Ulterius etiam alius processus dicitur communis, si observentur ea, quæ a jure communi sunt præscripta.

Specialis, si ex præscripto principis, vel alia speciali consuetudine, procedatur. Hujus tamen fundamentum est processus communis.

TITULUS II.

De Foro Competenti.

ad N. 3. Potest quidem Pontifex avocare causam. Sed uti dictum, propria ejus manu avocatio debet subscribi. Accipit etiam immediate sine prima instantia processus ex partibus, nisi pars adversa vel Episcopus contradicat. Si autem ab alterutro fiat contradictio, remittitur causa ad primam instantiam. Reliqua in Authore.

Ad §. II.

De Foro rei petitæ.

ad N. 15. Secundo competit forum rei petitæ, quia facilior probatio haberi potest. Et executio est expeditior, proin hoc forum melius est, quam forum domicilii. Ratio ulterior est, quod res in loco, in quo sita est, sentiat protectionem. Ergo etiam non debet declinare judicium illius loci.

Actio autem, quæ ratione rei petitæ instituitur, debet esse realis, non mere personalis. Sufficit tamen actio in rem scripta, ut actio, *quod metus causa.*

Ad

Ad §. III.

De Foro contractus.

Duo autem copulative requiruntur, primo, ut eo in loco quis contraxerit, aut saltem soluturum se promiserit, secundo ut ibidem inveniatur. Absens enim citari non potest. ad N. 19.

Huic tamen videtur obstare Cap. *Romana*, *§. contrahentes hoc tit. in 6to.* Sed bene ait Author, supponere *Cap. cit.* reum jam citatione præventum; & cum hac ratione judicium jam sit acceptum, contra eum tanquam contumacem procedi posse. ad N. 23.

Ad §. V.

De Foro Clericorum.

Quamvis Clerici sortiantur forum ratione rei petitæ, domicilii &c. habent tamen speciale hoc privilegium, ut non possint conveniri, nisi coram judice Ecclesiastico. Sed quæstio præjudicialis & multum inter authores controversa est, quo jure competat hæc exemptio, an jure divino, vel humano. Author cum pluribus præcipue status Ecclesiastici defendit, jure divino hanc competere. Alii sæculares negant. Oliva Professor juris Canonici in Hispania, & alii mediam ineunt viam, & distinguunt in mere spiritualibus & politicis. Quoad ministeria spiritualia, functiones mere Ecclesiasticas, exemptionem jure divino esse dicunt. Quoad temporalia autem & politica exemptionem Regibus & Imperatoribus in acceptis referunt. ad N. 38.

Ratio est, quia 1mo. nullus in sacra scriptura textus exhiberi potest, in quo exemptio hæc probatur, cum Christus ipse solverit censum pro Petro; & Christus & duo Apostolorum principes semper præceperint, obediendum esse superioribus. Secundo, quia repugnat omni historiæ Ecclesiasticæ, cum usque ad Justiniani tempora etiam in criminalibus fuerint subjecti, ut ex ejus novella patet; qui tamen jam processum contra Clericum formatum Episcopo transmittendum præcepit, ut, si forte iniquus videretur, suam etiam sententiam diceret, & si Episcopus processum injustum judicavit, sibi Imperator sententiam decisivam reservavit, qua prolata Clericus ab Episcopo degradatus debi-

ta plectebatur pœna. 3tio. Quia plurimas mutationes, restrictiones, ampliationes &c. hæc exemptio passa est, quod ab Imperatoribus Christianis fieri non potuisset, si juris divini fuisset. Et ipsa Ecclesia certas conditiones in minoribus Clericis adjecit, ut hoc privilegio uti possent.

Ex quibus omnibus constat, successu temporis ob rationes jam alio loco datas *in titulo de Constitutionibus*, Beneficio Regum & Imperatorum, ne status Clericalis vilesceret, Clericos esse exemptos.

Si ais: Paulus Apostolus reprehendit Christianos, quod coram Ethnicis judicio contendant: Resp. Non ideo, quod eorum potestatem disputet, quam ubique adstruit, sed quia Christianæ charitati magis convenire duxit, amice per arbitros lites inter se componere, quam judicio contendere, ibi nævos & maculas objicere, & sic religionem vilipensioni exponere, cujus fundamentum & basis est charitas.

2do. Clerici sunt Magistri superiores sæcularium, Doctores &c. Resp. in spiritualibus Conc. in temporalibus Negat. Sicut ergo non repugnat, Principes & Reges, qui nullum superiorem in temporalibus præter Deum & gladium agnoscunt, in spiritualibus subjici Episcopis, ita quoque non repugnat, Clericos in temporalibus subjici Imperatori & Regibus, quia ita abstrahi & spiritualizari nequeunt, quin maneant reipublicæ membra. Salvis tamen semper eorum privilegiis hæc intelligenda sunt.

Controversa est hæc sententia, an Clericus ratione rei sitæ non possit coram judice sæculari conveniri, & a multis in utramque contradictionis partem defenditur. *Pro affirmativa* rationes sunt, quod hæc actio sit realis ipsi rei inhærens, quæ judicem non debet dedignari, quem protectorem habet &c. *Pro negativa*, quod hoc privilegium simpliciter sit concessum. Cum ergo jura non distinguant, nec nos distinguere debemus, cum actio realis mediate saltem personam afficiat.

Itaque hic respondendum, quod debeat attendi consuetudo. Et generaliter est observandum, quod in juribus dubiis & controversis consulenda sit cujuscunque loci consuetudo; hæc enim est optima legum interpres. Si non exstat consuetudo, hæc sententia tenenda, quod possit coram Laico conveniri quoad patrimonialia, quia hæc non habent exceptionem a tributis, ergo nec a judicio sæculari. Sin autem

bona

bona sint Ecclesiastica præcipue dotalia & fundationes, ipsi Protestantes admittunt, hæc pertinere ad Consistorium. Galli etiam bona, ut vocant, amortizata sæculari judicio subjiciunt.

An Clericus possit reconveniri?

Celebris hæc est quæstio, & multum inter Doctores agitata, an Clericus actor coram judice sæculari possit etiam in casu succumbentiæ e. g. reconveniri, & ab eo damnari in expensas. Plurimi negant; quia non potest in se prorogare jurisdictionem Sæcularis. Æquitas tamen suadere videtur, quia reconventio non est voluntaria, sed legalis ad terminandas lites inventa, ut in temporalibus possit reconveniri, quia non debet dedignari, eum habere contra se, quem pro se agnoscere debuisset.

Cum augeretur numerus Clericorum, & multi, ut Concil. Trident. loquitur, ad declinandum forum sæculare, non ad fidelem Domino Deo cultum præstandum Clerici fierent, restrinxit hoc privilegium, ut in majoribus quidem constituti illo simpliciter gauderent, minores non aliter, quam, si vel habeant actuale beneficium, vel hæc duo copulative concurrant, ut deferant habitum & tonsuram, & ex mandato Episcopi Ecclesiæ deserviant, vel clericaliter incedentes in seminario degant, vel in aliqua schola vel universitate de licentia Episcopi versentur. ad N. 42.

Si familia sit dotalis, ut mancipia, etiam Protestantes illam in Consistorio judicant. Conductitii autem non sunt exempti. Vis tamen, ut monet Author, non est adhibenda. ad N. 44.

An præscriptione Jurisdictio in Clericos Laicis acquiri possit? ad N. 49.

Maxime hæc controversia inter reliquas in jure agitur. Plurimi negant, quia omnis præscriptio vel consuetudo tacitum requirit superioris consensum. Cum autem Canones omnes reclament & damnent hanc consuetudinem ut iniquam, & Bulla Cœnæ singulis annis prælegi solita etiam nominatim Imperatorem, Reges, quod non fit in aliis, excommunicationi subjiciat, qui immunitatem Ecclesiasticam infringere vel lædere præsumpserint: nunquam tacitus Pontificis consensus præsumi potest. Deberet quidem hæc Bulla in singulis Diœcesibus promulgari.

mulgari. Sed quia nominatim excommunicationi ſubjicit Reges &c. ejus promulgatio non permittitur. Hic itaque eſt ſtilus Curiæ.

In Gallia autem, ubi maxime olim floruit immunitas Eccleſiaſtica, hodie adeo, ut in nullo alio regnò, imminuta eſt, & omnes cauſæ civiles tum reales tum perſonales tractantur coram judicibus ſæcularibus & Laicis.

In Auſtria pariter cauſæ civiles tum reales tum perſonales coram regimine excelſo tractantur, quam tamen conſuetudinem hi ſpeciali Pontificis privilegio volunt tueri.

In reliqua Germania liberior adhuc eſt privilegiorum uſus, quem authenticis Frid. I. & II. in acceptis referimus.

Quid ergo jam ſentiendum?

Betzhofer, qui ſcripſit arcana ſtatuum circa Eccleſiaſtica & ſæcularia, cenſet, in his conſuetudinem locorum attendendam. Cum enim hæc exemptio non ſit juris divini, ſed ex favore Principum deſcendat, modus ex eorum conſuetudinibus deſumendus eſt, ſi nihil deroget Pontifici in foro ſpirituali.

Patres Conc. Trid. quidem, cum continuo peteretur reformatio Cleri, hoc reformato, has etiam conſuetudines reformandas cenſuerunt. Sed interceſſit Cardinalis Lotharingius ex ratione, quod plurimi Principes ad ſuam jurisdictionem ampliandam defeciſſent, & reliqui, ſe non auditos, reclamaturi eſſent. Ideo paterne tantum ſeſſ. 25. Cap. 20. & modeſte admonuit Principes ſæculares, ne permittant ab officialibus cupiditatis ſtudio ex inconſideratione immunitates violari. Itaque oportet ſuum cuique reddere, & neutra pars ad apices ſuam debet jurisdictionem protendere, multo minus ſtudium ſæculares eo conferre, ut privilegia ex graviſſimis rationibus Clero conceſſa imminuant. Ejusmodi S. Carolus Borromæus, qui etiam negotia cum talibus habuit, appellat: politica porrigine fœda capita lixivio ſolito tractanda. *Duro nodo durus quærendus eſt cuneus.*

§. VI.

De reo prævento.

Contingit ſubinde, ut circa eundem reum diverſi concurrentem habeant jurisdictionem, & tunc eſt locus præventioni. Ut autem habeat

habeat effectum, debet fieri citatio a judice competente, & etiam esse insinuata reo, ut vere dici possit, citationem reum affecisse, secus ac in delegatione, quia sola emanatione citationis, licet necdum insinuatæ, delegatus censetur suo functus esse officio, & res non amplius esse integra.

Quæres, an Clericus in statu laicali præventus, vel hæres laici lite contestata cum laico, sit præventus in foro sæculari? ad N.53.

Resp. Author ex subtilitate distinguit inter actionem realem & personalem. Quoad realem concedit; quia per citationem, vel litis contestationem res ita afficitur, ut non possit cum effectu dici facta Clericalis. De personali negat. Attendenda igitur consuetudo. Hac deficiente regula æquitatis suadere videtur *L.* 30. *de off. Judicis.* Ubi judicium est acceptum, ibi debet continuari, ne pars adversa nimium gravetur, & novum judicium inchoare debeat, cum dubium sit, an jus Canonicum in hoc casu velit indulgere privilegium fori. Sequeretur enim, Clericum posse recedere, cum causa fere esset conclusa, & utraque pars jam ad sententiam se submisisset, id quod privilegium faceret nimis onerosum & odiosum. Relinquenda ergo dubia, ne evadant certa. Nullus ad apicem sua protendere debet.

§. VII.

De foro L. diffamari 5. C. de ingenuis Manumissis.

Quæres, quænam ratio hujus legis?

Resp. Cum valde frequens sit hoc privilegium in praxi, voluerunt jura famam virorum proborum sartam & tectam servari, ideo facile datum est remedium diffamatis famæ suæ succurrendi *L.* 5. *C. de Ing. Man.*

Quæres, in quo consistat favor hujus legis?

Resp. In eo, quod diffamatus sibi possit eligere judicem magis faventem, non quidem personæ, quod iniquum faceret judicem, sed causæ. Multa enim potestati judicis relinquuntur, quæ juris necessitati non subjiciuntur, & multa potest ex officio judex, quæ tamen facere

cere non tenetur, adeoque poteſt quis judicem alias incompetentem eligere, ut ſi Bambergenſis diffamaſſet Herbipolenſem, poteſt Herbipolenſis ſuum hic accedere judicem, ut ad ſuum tribunal Bambergenſem citet, & niſi diffamationem probet, perpetuum imponat ſilentium. Hinc etſi videatur, Herbipolenſem debere ſequi forum rei, reſpondetur tamen: ipſe diffamans jactatione ſua ſit actor, & fictione juris cenſetur ad diffamati judicium provocaſſe.

Hoc judicium dicitur etiam alias jactationis, & obtinet in quacunque cauſa jactationis, ut, ſi quis alterum debitorem, aliam ſibi deſponſatam, jactaret.

Multi defendunt, quod Clericus diffamator coram judice ſæculari conveniri poſſit. Subinde etiam propter cauſæ continentiam tota cauſa trahitur ad judicium diffamati.

Pars II. De Competentia fori ex qualitate cauſæ.

§. I.

De cauſa Eccleſiaſtica & ſæculari.

Poteſt ſubinde utraque pars litigans eſſe ſæcularis, cauſæ tamen ad judicem pertinere Eccleſiaſticum; ſubinde etiam locus eſſe præventioni, vel Clericorum cauſa pertinere ad forum ſæculare, ut in feudis.

Ad forum igitur Eccleſiaſticum pertinent omnes cauſæ ſpirituales & Eccleſiaſticæ. Poſſunt autem, quod bene notandum, tripliciter eſſe ſpirituales, vel intrinſece, vel acceſſorie, vel per accidens.

Intrinſece ſpirituales ſunt, quæ pertinent ad fidem, religionem, ſacramenta, ut cauſæ matrimoniales; ad cultum divinum & miniſterium Eccleſiaſticum, ut electiones, conſtitutiones miniſtrorum &c.

Acceſſorie ſpirituales, quæ propter connexionem, quam habent cum ſpirituali, cenſentur ſpirituales, ut jus Patronatus, quia tendit ad miniſterium Eccleſiaſticum; cauſæ decimarum, quia ex primæva inſtitutione pertinent ad ſuſtentationem miniſtrorum; jus ſepulturæ & cœmeteriorum, an ſit quis ſepultura privandus, quia certæ benedictiones

nes

nes adhibentur in consecratione locorum; sponsalia de futuro, quia sunt via ad matrimonium.

Per accidens spirituales, quæ propter respectum aliquem accidentalem fiunt Ecclesiasticæ, ut in famoso Capite *Novit.* 15. *de Judice.* Innocentius III. legato potestatem dedit cognoscendi inter Regem Angliæ & Galliæ. Rex Angliæ denunciaverat Pontifici, Regem Galliæ non servare fœdus suum publicum etiam juratum. Opposuit Rex Galliæ exceptionem judicis incompetentis. Pontifex autem se ratione juramenti judicem competentem tuetur; & ibidem etiam ratione peccati se judicare posse affirmat. De his autem & reliquis, per accidens, spiritualibus causis notandum, quod in praxi & ex consuetudine desierint esse spirituales & causæ Ecclesiasticæ; licet olim jure decretalium in foro Ecclesiastico potuerint terminari, quia alias nullum pactum publicum, nullus contractus esset, qui non ad forum Ecclesiasticum trahi posset. Unde Rex quidam Lusitaniæ, quia olim ob juramentum omnes fere causæ ad judicium Ecclesiasticum trahebantur, speciali ideo Edicto prohibuisse legitur, ne ulli contractui deinceps juramentum adjiceretur. ad N. 63.

Si ais: Ecclesia judicat de peccato; Resp. Dist. in foro interno & pœnitentiæ ad infligendas pœnas medicinales, Conc. in foro externo modo forensi in forma juris ad effectus civiles, ubi principaliter agitur super contractum, Neg.

Si urges: allegat Pontifex in dicto famoso Capit. id olim concessum ab Imperatoribus, Constantino Magno, Theodosio Magno. Resp. Bene, etiam ait, monuisse Episcopos &c. Valentinum. Monere utique possunt, & olim etiam ex speciali concessione has causas & civiles omnes judicare potuerunt, quia magis de plano via arbitraria duce charitate & æquitate lites Episcopi terminabant. Sed cum introducto foro in Ecclesiam lites in foro Ecclesiastico subin diuturniores essent, & eodem cum strepitu tractarentur, hæc privilegia revocata sunt.

Causa per accidens etiam facta est Ecclesiastica, ex causa protractæ vel neglectæ justitiæ, jure decretalium. Hodie autem & hoc recessit ab aula, quia si supplenda est negligentia sæcularis, ea ab alio sæculari suppleri debet. ad N. 65.

Ex confuetudine quoque magis, quam textu juris caufa per accidens eft fpiritualis, fi officialis eft perfona Ecclefiaftica, ut in Weftphalia funt Clerici, qui habent etiam in fæcularibus competens judicium, fique ille caufam in prima inftantia cognoverit. Per hanc perfonam Ecclefiafticam caufam quafi fpiritualizari fingebant Romani, & caufas fæculares fic ad Nunciaturas & Curiam trahebant, quod poftea in receffibus Imperii & Capitulationibus Imperatorum prohibitum eft.

§. II.

De caufis mixti Fori.

Si fuper nudo poffefforio agatur, omnes caufæ funt mixti fori, ut, fi in matrimonio agatur, an contractum fit matrimonium; etiam judex fæcularis cognofcere poteft, quamvis ob connexionem cum petitorio faltem concurrenter ad forum Ecclefiafticum pertineat. Et hic eft titulus, quo in Gallia omnes caufæ beneficiales, patronatus, Decimarum &c. excepta fola caufa religionis, ad forum fæculare trahuntur fub prætextu, quod cognofcant fub folo poffefforio; quod indulgendum effet, nifi ulterius procederent. Cum autem poffefforium ita plene inftruant, ut omnino evacuetur petitorium, & poffefforio decifo, etiam petitorium fit decifum, ultra limites fuos egrediuntur, & immunitatem Ecclefiafticam nimium lædunt, quod facile approbari non poteft.

ad N. 73. Hæc etiam per accidens fpiritualis eft, & receffit ab aula, poteft curam habere Ecclefiafticus monendo, intercedendo, non autem ad fe trahendo caufam.

Caufæ tamen piæ, fi conftet de qualitate caufæ, ex Conc. Trid. pertinent ad forum Ecclefiafticum, quod & ipfi Proteftantes admittunt, uti *Böhmer* &c. & in Confiftorio has tractant.

Si tamen non conftet de qualitate caufæ, & dubium fit, hoc judicium volunt ad fæculares pertinere.

Delicta contra fidem & religionem: Hærefis, Simonia, Apoftafia, Schifma privative pertinent ad judicium Ecclefiafticum. Mixti autem fori funt, de quibus in Libro V. agetur. Sed hodie in praxi non obtinent. Ex fpecialibus ordinationibus hodie adhuc mixti fori funt

ſunt crimen ſortilegii, Magiæ, & concubinatus. Attendenda ergo eſt hodie conſuetudo & praxis cujuſque loci.

Graviora igitur delicta, quæ merentur pœnam vindicativam, hodie privative ſunt fori ſæcularis, quia cum receſſerunt ab Eccleſia pœnitentiæ antiquæ & publicæ, non ſufficientes amplius pœnas habet, quibus delicta ejusmodi caſtiget. Duplici autem virga nemo puniendus eſt. Si quæ autem mixti adhuc fori ſunt, Eccleſia tantum valet injungere pœnas medicinales. Ex Trid. tamen contra concubinarios publicos ratione ſcandali invocato etiam brachio ſæculari poſſunt procedere Epiſcopi.

§. III.

De cauſa connexa.

Connexio vel continentia cauſæ ſubinde etiam facit judicem incompetentem competentem, ut, ſi judicium ſit univerſale, vel ratione rei, ſi plures quæſtiones incidentes involvat. Sin autem cauſa incidens ſit ſpiritualis, judex debet eam ſuſpendere, & illud incidens remittere ad judicem Eccleſiaſticum. Ratio eſt, quia connexietas cauſæ facit quidem ex judice incompetente competentem, non autem ex incapaci capacem. Judex autem ſæcularis cauſæ Eccleſiaſticæ eſt omnino incapax. Ergo &c. ad N. 78. 80. 81.

§. IV.

De cauſa feudali.

In cauſa feudali Clerici forum ſæculare Domini feudalis habent, quod ideo Eccleſia conceſſit, ne Domini & Principes ſæculares abſterrerentur a feudis Eccleſiæ aut Clericis conferendis.

§. V.

Quis ſit Judex, ſi de ipſa Fori competentia quæratur.

Duas hic contrarias habemus regulas, alteram, quod judex ipſe in hac cauſa decidere poſſit, alteram, quod nemo in propria cauſa poſſit eſſe judex; quam tamen ultimam bene explicat Author, ſi agitur de ad N. 97.

U 3 magno

magno interesse vel pecuniæ, vel honoris, neminem posse esse in propria causa judicem, secus autem procedere primam.

Quæres, quomodo ergo judex debeat se declarare competentem judicem?

Resp. Monet Cardinalis de Luca, ne id expresso faciat decreto, quia alias ab eo posset appellari, sed ipso facto procedat, & cognoscat de causa, & sic cognitione causæ competentem se declaret judicem. Etsi autem sic procedat, tamen ab eo potest appellari.

Quæres, an Episcopi in Germania possint removeri, si agatur de eorum Interesse Camerali?

Resp. In Germania ob qualecunque emolumentum non possunt removeri, quia nimis difficile & durum esset, ob quascunque causas cum subditis, si aliquod emolumentum Episcopi exinde derivetur, extraneum accedere judicem, cum præcipue causas omnes non per se ipsos, sed per formata dicasteria secundum jus soleant decidere, & Consiliariorum juramenta principi in iniquis non sint facta. Si tamen notabile emolumentum inde obveniret, solent, uti sæpius fecit Coloniensis Clemens Augustus, causam bene instructam ad universitates mittere, & desuper Recessum juris petere.

TITULUS III.

De Libelli Oblatione.

§. I.

An in omni judicio debeat intervenire libellus?

Resp. In omni judicio ordinario, quod in consuetis juris solennitatibus peragitur, debet etiam intervenire libellus. Si autem judicium sit tantum summarium, ubi non omnes juris solennitates adhibentur, sufficit, si petitio sit verbalis. Illa tamen debet in Protocollum redigi, ut authentice de petitione constet.

Hinc

Hinc multi dicunt, libellum adinstar syllogismi ordinandum. Sufficit autem in actione personali, causam remotam allegare, in reali tantum proximam. Expedit subinde unam saltem remotam allegare, ne obstet dein exceptio rei judicatæ simpliciter, si intra decem dies non appelletur. ad N. 2. & 3.

Ponamus enim, aliquem instituere actionem rei vindicatoriam ex donatione, si hac non probata causa cadat, neque intra decem dies appellet, non obstat ei exceptio rei judicatæ, si expost velit agere ex titulo legati, licet obstet ex titulo donationis, quia non omne jus suum in judicium deduxisse censetur. Sin autem causam proximam tantum v. g. Dominii alleget, omne jus suum in judicium deduxisse censetur, & obstat ei simpliciter exceptio rei judicatæ.

Has clausulas multi otiosas defendunt, & his non obstantibus multa relinqui judicis potestati, quæ juris necessitati non subjiciuntur. ad N. 6.

Quæres, an possit libellus mutari?

Resp. Ante Lit. Contest. pro libitu potest mutari; post illam non aliter, nisi reus ab hac instantia sit absolutus, & impensæ refusæ. Ratio est in Authore, ne in arbitrio privatorum sit, judiciorum solennitates turbare.

§. II.

De Citatione.

Dividit Author citationem in realem, verbalem & edictalem, de quibus videri potest.

Ulterius etiam dividitur citatio 1mo. in generalem & specialem. *Generalis*, quæ fit ad totam causam; *specialis*, quæ fit ad actum aliquem specialem v. g. ad audiendum rotulum testium &c. Romæ, & in dicasteriis Imperii, quia partes subinde nimis distant, semper fit citatio ad totam causam.

2do. In simplicem & peremptoriam. *Simplex*, quæ fit sine ulla comminatione præjudicii aut pœnæ. *Peremptoria*, quæ fit cum comminatione præjudicii aut pœnæ. Et si peremtorie citatus non compareat, contra illum in contumaciam procedi potest. Trina autem simplex

plex æquivalet peremtoriæ. Si autem ſtatim peremptoria præfigatur, generaliter tantum temporis debet concedi, quantum in tribus ſimplicibus.

TITULUS IV.

De mutuis Petitionibus.

Fundatur hic titulus in æquitate. Non enim debet quis dedignari habere contra ſe, quem pro ſe elegit.

ad N. 2. In arbitrio tamen, quia hoc eſt ſtrictiſſimæ interpretationis, reconventio non habet locum. Excipiuntur etiam quædam cauſæ, ubi periculum eſt in mora, quarum aliquas hic Author commemorat. Diſtinguimus nos tamen quoad duplicem effectum reconventionis: 1mus effectus eſt, quod cauſa reconventionis pari & ſimultaneo proceſſu & eadem ſententia finiri debeat. Et quoad hunc effectum non admittitur reconventio, ubi periculum eſt in mora, quia ſimultas proceſſus & ſententiæ ob periculum non poteſt exſpectari. 2dus effectus eſt, quod prorogetur jurisdictio, & judex alias incompetens fiat competens. Et quoad hunc effectum reconventio inſtitui poteſt in cauſis etiam celeris expeditionis.

Ut autem prior effectus in reconventione locum habeat, debet illa ſtatim in exordio litis proponi. Licet enim tota lite pendente & intermedio tempore ſemper poſſit proponi, non valet tamen in ordine ad hunc effectum, ut eodem ſimultaneo proceſſu & eadem ſententia lis debeat terminari.

Subin tamen, ſi cauſa reconventionis altioris eſſet indaginis, & longius tempus requireret, æquitas ſuadere videtur, ut interim judex ſuper uno pronuntiare poſſit.

TITULUS V.

De litis Conteſtatione.

Litis conteſtatio, vulgo die Kriegs-Beveſtigung, nihil eſt aliud, quam declaratio partium, quod ſuper cauſa controverſa velint in judicio contendere, quod fit affirmatione unius & contradictione alterius.

Ea

Ea duplex eſt, alia ſolennis, quæ fit ſolennibus verbis, alia communis, quæ fit aliquali contradictione.

Non tamen omnis contradictio facit litem conteſtatam, ſique enim merum factum exponeret judici, ad nudam informationem cum proteſtatione litem conteſtandi, lis non cenſeretur conteſtata, item ſi ad declinandum forum opponeret exceptionem peremptoriam. Poſſunt quidem exceptiones peremptoriæ generaliter non proponi niſi lite conteſtata; ſi autem in continenti & ſtatim poſſint probari, impediunt litis conteſtationem, & proponi poſſunt. Et, ſi exceptio ſit clara, judex pronuntiat: daß Beklagter in Klag-Sachen ſich einzulaſſen nicht ſchuldig ſeye. Sin autem dubiæ ſint exceptiones, pronuntiat: daß Beklagter ſich in die Klag einzulaſſen ſchuldig ſeye, und nach geſchehener Kriegs-Beveſtigung ſeine exceptiones ausführen ſolle. ad N. 2.

Quæres, quandonam lis affirmative, quandonam negative dicatur conteſtata?

Reſp. Affirmative dicitur conteſtata, ſi per propoſitionem affirmativam, negative, ſi per negativam conteſtetur: e. g. in ſervitute inſtituit aliquis actionem ſervianam vel quaſi talem, & prætendit, jus ſibi competere per fundum alterius ducendi aquam. Si alter negat, & inſtituit actionem negatoriam; & prior affirmat dicens: competit mihi hoc jus; lis affirmative cenſetur conteſtata; ſecus, ſi petitio actoris conſiſtat in negatione.

Quæres, ſi inſtituatur actio confeſſoria, quinam ſit effectus?

Reſp. *Ratione judicis* prorogat jurisdictionem, & ex incompetente facit competentem, perpetuat actionem, ut non poſſit opponi amplius exceptio judicis incompetentis. *Reſpectu actoris* facit actiones perpetuas, & tranſitorias in hæredes ex quaſi contractu. *Reſpectu rei* conſtituit illum in mala fide, ut debeat fructus a tempore litis conteſtatæ reſtituere, interrumpit præſcriptionem, prohibet mutationem libelli, niſi reus ſit ab inſtantia abſolutus, & expenſæ refuſæ. ad N. 5.

X TITU-

TITULUS VI.

Ut Lite non Conteſtata non procedatur &c.

ad N. 1. Lite ergo non Conteſtata, nulliter proceditur, & generaliter teſtes recipi non poſſunt. Duplex autem eſt receptio teſtium, alia ordinaria, quæ fit Lite Conteſtata, alia extraordinaria, quæ etiam Lite non Conteſtata quandoque fieri poteſt, & dicitur receptio teſtium ad perpetuam rei memoriam. Facilius hæc conceditur reo, quam actori, cui in regula debet negari; quia in ejus arbitrio eſt, intentare actionem. Debet ergo prius actionem inſtituere, per modum exceptionis. Tamen ipſi conceditur, ſi ſit periculum in mora, ſi abeant e. g. teſtes in Indiam, morti ſint proximi.

Extra ordinem facilius & generaliter conceditur reo receptio teſtium, quia in ejus poteſtate non eſt, actionem incipere. Sed debet exſpectare, donec moveatur. Ne ergo teſtimonia pereant, conceditur ei Lite nondum Conteſtata examen teſtium, quod vocatur ad perpetuam rei memoriam.

Quæres, quomodo hoc debeat fieri, ut ſit legale?

Reſp. Eodem modo, quo fit intra ordinem, etiam extra ordinem fieri debet; ſcilicet ut fiat a judice competente, citetur pars adverſa. Si tamen periculum ſit in mora, & pars adverſa non poſſit citari, debet intra annum denuntiari, ut moveatur actio. Alias exſpirat examen teſtium, & non eſt amplius legale.

Quæres, an non poſſit fieri coram Notario?

Reſp. Generaliter debet fieri coram judice competente, & examen Notariorum non eſt legale. Si tamen judex non potuit adiri, ſuſtinetur ſubinde examen coram Notario factum.

TITULUS VII.

De Juramento Calumniæ.

Quæres, an sit de substantia processus?

Resp. Si sit petitum, secus non est de substantia processus. Procurator autem ad hoc debet habere mandatum, si velit illud præstare in animam Principalis.

Tacite, ex ratione in Authore, potest remitti. Potest tamen subinde in praxi contingere, ut judex illud teneatur expresse remittere, ubi scilicet non potest non abesse a rei veritate, & periculum est perjurii, ut alterutra pars certo committat perjurium, cum ambæ contradictionis partes non possint esse veræ. E. g. Si utraque pars in sponsaliis velit jurare, se justam fovere causam, cum tamen alterutra debeat fovere injustam, expresse a judice debet remitti juramentum calumniæ.

Effectus est, quod purget a suspicione, non tamen liberet a refusione expensarum.

TITULUS VIII.

De Dilationibus.

Utique frustratoriæ dilationes non possunt peti, & inter reliquos articulos formula juramenti calumniæ etiam hoc continet. Quia tamen subinde probæ sunt altioris indaginis, instrumenta, testes aliunde advocandi, debet peti & concedi a judice terminus, intra quem res commode possit expediri.

Quæres: Quid si terminus sit nimis arctus?

Resp. Debet adire judicem, & petere prolongationem. Si nolit illum prolongare, potest appellare ad superiorem. Quotuplex sit dilatio, vide in Authore.

TITULUS IX.

De Feriis.

Species dilationis etiam sunt feriæ, cum in his judicia peragi non possint, sic mora injicitur. Hinc intersèritur titulus de feriis.

Sunt autem feriæ dies a strepitu forensi vacui & duplices; aliæ ordinariæ, aliæ extraordinariæ. De quibus vide Auth.

Quæres, ex quo Calendario feriæ desumendæ?

Resp. Gregorius XIII. ob multos repertos nævos adscitis peritissimis Mathematicis correxit Calendarium Iulianum, & in Bulla edita id recipi præcepit. Quia tamen Protestantes negabant se authoritatem Pontificis agnoscere, illudque recipere nolebant, petiit Leopoldus Imperator, ut per modum sanctionis pragmaticæ reciperetur in Imperio, ut fiat uniformitas. Non tamen acquievere, sed & ipsi adscitis doctis aliud composuere Calendarium, quod cum sæpe dissentiat a Gregoriano, multas jam turbas excitavit in Imperio. In supremis Imperii dicasteriis, si sit discordia in utrisque festis, sunt feriæ, in aliis locis attendenda est consuetudo.

Quæres: An Episcopus vel Princeps Catholicus suis Protestantibus subditis injungere possit observationem festorum?

Præstaret, non tot esse festa apud Catholicos, quia sic multum impediuntur a negotiis, & indulgentes otio vitia contrahunt, sicut & modernus Pontifex Benedictus XIV. statim ab initio regiminis sui litteras circulares ad omnes Episcopos dedit, an non expediret reduci festa; & petiit sibi suggeri modum. Liberum dein Episcopis reliquit illa reducere, uti factum in plurimis diœcesibus, Basileensi &c. ita tamen, ut mane sacro debeant interesse. Nunc ad Quæstionem.

Resp. Plurimi id negant, quia observatio festorum pertinet ad conscientiam. Et cum præcipue festa instituantur ad cultum sanctorum, quem ipsi reijciunt, videntur contra sua principia tractari. Hinc alii distinguunt, quod non possint obstringi & obligari ad officia sacra, in cultum præcise & venerationem sanctorum ordinata, sed præcise tantum quoad opera servilia, & quæ cum strepitu peragantur, omittenda,

ne

ne impediantur Catholici a celebratione festorum; quia abstinere ab operibus servilibus est actio indifferens. Non enim præcise jubent Principes, ut per hanc abstinentiam colant sanctos, sed ne impediant alios.

Bœhmer negat hoc Catholicis, & tamen admittit, quod, si Princeps Protestanticus dies precatorios indicet, etiam Catholici subditi teneantur illos observare.

TITULUS XI.

De plus Petitionibus.

Hodie pœna plus petentium est, quod condemnentur in expensas. ad N. 3.

TITULUS XII.

De causa Possessionis & Proprietatis.

Summarium est, si judex non plene cognoscat, sed tali quali communicatione possessionem non finaliter, sed ad interim per decretum provisionis decernit. *Ordinarium*, in quo plena permissa communicatione possessionem finaliter adjudicat. Summarium etiam dicitur momentaneum, quod momento iterum possit adimi. Sed hodie cum sæculum nostrum litium sit ferax, quia etiam a possessorio summario datur appellatio, sæpe momentaneum fit æternum, quod tamen non deberet fieri, cum res possessorio ordinario posset definiri. ad N. 3.

Quæres, quandonam in praxi præstet agere in summario, vel ordinario?

Resp. Qui habet possessionem recentiorem, melius agit, si in summario agat, quia in hoc illi adjudicatur possessio, qui ultimo fuit in possessione. Neque admittuntur exceptiones altioris indaginis, quod vi, clam, precario possederit.

Qui autem antiquiorem habet possessionem, melius agit in ordinario, quia in regula statur pro possessione antiquiore, & recentior præ-

ſumitur vitioſa. Hinc alter debet probare, poſſeſſionem recentiorem non eſſe vitioſam. Qui vicit in poſſeſſorio, debet reſtitui in poſſeſſionem, alias, ſi alter velit agere in petitorio, habet exceptionem, quod non permaneat in poſſeſſorio.

Regulæ ab Authore datæ ſubſiſtunt. Si uterque eodem tempore ſe probet in poſſeſſione fuiſſe, præfertur, qui probat titulum. Si hunc uterque probet, præfertur, qui magis probat; quia, quod bene notandum, in judicio poſſeſſorio uterque eſt actor ſimul & reus, & judicium duplex. Hinc neuter debet plene probare, ſed ille, qui magis probat, præfertur.

ad N. 9. *An petitorium & poſſeſſorium poſſint cumulari?*

Multum olim hæc res controverſa fuit inter duos Juriſconſultos, Bulgarum & Martinum, qui erant in Comitatu Friderici Barbaroſſæ. Affirmavit id Martinus; negavit Bulgarus. Pontifex tamen ſecutus Martinum, in hoc titulo affirmat, ſimul poſſe cumulari petitorium & poſſeſſorium, quia jus Canonicum tendit ad terminandas lites. Hinc in praxi etiam obſervatur, & invaluit, ut plures actiones, dummodo non contrariæ, in eodem libello poſſint cumulari.

ad N. 10. Et qui egit in petitorio, ſemper adhuc poteſt mutare actionem, & agere in poſſeſſorio. *Si ais:* non licet pendente lite mutare libellum; reſp. proprie non mutatur libellus, ſed tantum interim ſuperſedetur petitorio. Alii etiam reſpondent, in hoc caſu mutari libellum poſſe, niſi ad ſententiam ſe jam ſubmiſerint.

Quoad interdictum retinendæ poſſeſſionis, dubitant aliqui, an poſſit cumulari cum petitorio, quia rei vindicatio & inſiſtentia rei videntur actiones contrariæ. Sed quia poteſt vindicatio rei & poſſeſſio civilis concurrere, dum alter naturaliter poſſidet, non ſibi contrariantur, ſed ſimul conjungi poſſunt.

Quæres, an ſuper petitorio & poſſeſſorio ſimul poſſit pro diverſa parte pronuntiari?

Habemus hic *Cap.* 3tium, quod ſane mirabile eſt, & cujus diſpoſitio videtur ridicula. Dicit enim, quod, ſi una pars poſſeſſorium, altera petitorium probaverit, uni poſſit adjudicari petitorium, alteri poſſeſſorium, cum tamen petitorium clarum omnino abſorbeat poſſeſſorium.

rium. Sed respondetur, hoc casu tamen subinde super utroque simul posse pronuntiari; ita ut possessorium habeat effectum pro præterito, petitorium pro futuro. Casus in *dicto Cap.* fuit iste. Canonici extranei cum contradictione fuerunt admissi ad Electionem. Quæsitum dein fuit, an electio esset valida. Probarunt hi suam possessionem, sed in petitorio jus vel præscriptionem non potuerunt probare. Hinc pronuntiari jussit Pontifex, illos vere fuisse in possessione, adeoque electionem valere: jus autem illis non competere, adeoque deinceps electioni interesse illos non debere. Et sic dispositio non est ridicula.

TITULUS XIII.

De Restitutione Spoliatorum.

Plura occurrunt specialia circa remedium recuperandæ possessionis. Hinc de eo toto hoc titulo agitur. Hoc alias etiam vocatur remedium spolii, quod frequentissime in praxi occurrit. Debemus hic iterum distinguere tempora & jura. *Jure ff.* actio ex spolio tantum competebat contra illum, qui vi aut violentia sua aliquem possessione dejecerat. *Jure dein Codicis* magis extensum est hoc privilegium, ut actio contra quemcunque, qui injuste rem aliquam detineret, concederetur, si tamen res esset immobilis. Jure autem Canonico latissime extensum est hoc privilegium, ut detur contra quemcunque in quibuscunque causis in possessione vel quasi alterum turbantem aut impedientem, ne jus suum possit libere exercere, imo etiam contra ipsum judicem, qui non processit debito juris ordine, non vocatis e. g. quibus intererat, non auditis exceptionibus.

Potest autem hoc remedium dupliciter intentari, vel per modum actionis, vel exceptionis. *Per modum actionis*, si quis e. g. queratur, se possessione rei corporalis vel incorporalis esse privatum, & petat se restitui in integrum, & liberum usum & exercitium sui juris. Hinc debet duo probare 1mo, se fuisse in possessione vel quasi. 2do, quod privata alterius authoritate injuste fuerit dejectus.

Maxime favorabilis est hæc actio, quia inventa ad evitandas turbas, & quia nemo sibi ipsi jus debet dicere. Hinc 1mo ante omnia debet restitui, ita ut si vellet spoliator opponere exceptiones altioris indaginis, ad N. 1.

daginis, non audiatur ante restitutionem. Neque admittit reconventionem, quoad simultatem processus. 2do etiam quoad omnia. Regula est, quod spoliatus ante omnia sit restituendus, quæ suas tamen patitur exceptiones.

ad N. 3. ad N. 5. ad N. 8. 1mo Si sit periculum peccati vel animæ, ut casus est in *Cap.* 13. *hoc Tit.* vide casum ibidem, 2do si immineat grave periculum corporis. *d. C.* 13. quæ sævities subinde etiam extenditur ad filios & filias a parentibus fugientes, si probent, sibi adimi libertatem, ut interim sequestrentur, item si duo proci de eadem inter se contendant, etiam interim sequestratur in Monasterio, vel apud alios honestos homines, 3tio
ad N. 17. si pro spoliante fortis sit præsumptio juris, spoliato autem jus resistat; *ut Cap.* 5. *hoc titulo.* Hoc autem de possessione exigui temporis intelligendum, ut verbum: *aliquamdiu* innuit.

ad N. 18. *Quæres, contra quem detur hæc actio Spolii?*

Jure civili tantum dabatur contra Spoliatorem, ejus hæredem, mandantem, vel ratam habentem spoliationem. Jure Canonico etiam contra tertium conscium Spolii: & in praxi observatur *Cap.* 18. Imo pragmatici, inter quos Mavius praxeos fabricator dictus, volunt hoc extendere contra tertium b. f. possessorem & illud probare *ex Can. Episcopi* 2. & *Can. redintegranda* 3. *C.* 3. *Q.* 1. Sed hic Canon hoc non probat. Dicit enim tantum, quod sicut in juribus temporalibus, ita etiam in spiritualibus, detur restitutio spoliatorum, & otiose *C.* 18. hoc extendisset ad possessorem malæ fidei, si hoc jam in antiquiore hoc canone de possessore b. f. statutum fuisset. Interim tamen de praxi id volunt procedere.

Per modum exceptionis proponitur, siquis e. g. ratione mutui conventus, excipiat se spoliatum a mutuatario e. g. equo, quæ exceptio spolii, si quæ allegari potest, maxime facit ad protrahendas lites. Non enim alter prius auditur, quam de spolio fuerit cognitum. Hinc jure Canonico *C.* 1. *h. t. in* 6. statutum, ut ista exceptio intra 15. dies probetur; quod in praxi optandum, ut observaretur. Stilus autem hic variat, & cujusque loci consuetudo est consulenda.

Quær.

Quær. Quamdiu duret hæc actio?

Resp. Jure civili durabat tantum per annum. Quia autem est actio, & exceptio rei persecutoria, est hodie perpetua, & durat 30. annos, sicut actio quod metus causa.

Huic remedio affine est *juramentum in litem*, quod ex supposito, quod constet de fraude & dolo, datur spoliato adversus spoliantem. Abstulit e. g. quis cistam. Hac restituta spoliatus plura in ea fuisse queritur. Quoad quantitatem, ergo simpliciter statur ejus juramento. Quoad qualitatem autem & æstimationem, si Judici excessiva videtur, potest illam moderari, & spoliatus dein debet jurare, se non minus perdidisse, non autem, quod non plus perdiderit, ne detur occasio perjurii.

Si autem Judex nimium reducat illud pretium, potest ab hac taxa apellari.

TITULUS XIV.

De Dolo & Contumacia.

Agitur in hoc tit. de processu contumaciali, quem Romani processum per contradictas appellant. Potest autem tam actor, quam reus fieri contumax, ut habes in Authore.

Contumacia autem est duplex; *alia dolosa*, alia *præsumpta & ficta*. Dolosa est, quando constat de destinato proposito & consilio non obediendi. Si autem non constat de his, dicitur ficta vel præsumpta, quam jura ob non comparitionem præsumunt, si citatio fuerit facta & insinuata. In effectu autem hoc scias interesse, quod mitius procedatur a judice cum contumace præsumpto, quam cum doloso, ut siquis peremtorie citatus non compareat, & termino elapso doceat de impedimento, Judex post terminum illum admittit, & reguraliter dat adhuc tempus se purgandi.

Varia jure communi prodita sunt media coercendi contumaciam tum actoris, tum rei. In cujusque autem partis arbitrio est eligere, quod placet; & illud semper in libello debet determinari. Judex enim hic

ad N. 5. nisi rogatus non interponit suum officium. Ratione actoris itaque sunt media. &c.

ad N. 6. Si autem periculosum putaret reus onus probandi in se suscipere, consultius agit, si litem negative contestetur, & petat a judice, actori præfigi terminum, intra quem causam suam probet, quo elapso absolvatur ab instantia.

ad N. 8. Ad modum excommunicationis olim in supremis Imperiis dicasteriis erat introducta pœna banni. Sed sicut sobrie & parce utendum pœna excommunicationis, ita omnino ab aula recessit, & Camera Imperiali pœna banni, & immissionis in bona per recessum novissimum Imperii.

ad N. 10. Ex praxi dicasteriorum Romani Imperii & Romanæ Curiæ, quia ibi partes semper citantur ad totam causam. Si compareant, lis negative contestata censetur, ita ut Lis Contestata habeatur, & in causa principali possit procedi, etiam absente altera parte; actore tamen non probante, reus contumax & absens absolvendus est, sicut præsens, & debet Judex ex officio supplere partes rei. Nec potest quis jure communi sub pœna jacturæ causæ citari, quia nullo juris textu hanc pœnam habemus expressam, nisi subinde ex speciali ordinatione judiciorum vel consuetudine hæc pœna sit in usu.

Maxima autem hodie pœna est, si citentur sub pœna convicti aut confessi. Et sic reo non comparente Judex procedit, & sola superest executio.

Hic advertendum adhuc, si certus dies citato sit præfixus, ut compareat die Jovis 16. Febr. actor eo die debet esse præsens, & alteram partem accusare de contumacia, alias citatio fit circumducta, & nova opus est citatione. Si autem non sit certus dies reo præfixus, sed tantum certum tempus e. g. ut intra 14. dies vel 4. septimanas &c. compareat, non debet actor ultimo die adesse, sed potest termino illo elapso petere, ut in contumaciam procedatur. Quo autem medio velit uti, debet determinare in libello.

TITU-

TITULUS XV.

De eo, qui mittitur in possessionem causa rei servandæ.

Diximus supra, medium coërcendi contumaces esse immissionem in bona ex primo decreto, quæ viget in particularium subinde locorum Judiciis.

Quæres, quis sit effectus hujus immissionis.

Author id satis explicat. Annus tamen præcise hodie non debet expectari, sed brevius tempus potest peti, quo elapso mittatur quis in veram possessionem. Hic maxime consulendus est stylus & praxis dieasteriorum.

Quod autem jure communi hic explicat Author de immissione, & expectatione anni, intelligenda sunt, si lis nondum est contestata. Lite autem contestata potest quis statim in veram possessionem mitti. *C.* 4. *de Dolo & Cont.* & sic conciliantur capitula in hac materia sibi opposita.

TITULUS XVI.

Ut Lite pendente nihil innovetur.

Hæc rubrica completum habet sensum, adeoque vim legis.

Olim lis pendere dicebatur per Litis Contestationem. Hodie autem per citationem insinuatam cum transmissione libelli. Hac ergo pendente nihil innovandum, id est, nihil debet fieri in præjudicium causæ vel rei petitæ, sed omnia in eodem statu relinqui, in quo fuerunt tempore motæ litis. Et si contra quid fiat, factum illud dicitur in jure attentatum, ut si e. g. facta appellatione Judex procederet ad executionem. Maximum autem attentatum, quod etiam dolosum vocatur, est, si fiat aliquid contra expressam Judicis prohibitionem. ad N. 1.

Hoc attentatum præter alia habet privilegium spolii, ita ut pars, contra quam aliquid attentatum, ante omnia, & quoad omnia sit re-

ſtituenda, nec teneatur prius ſuper cauſa principali reſpondere. Quia tamen hæc actio attentatorum impedit cognitionem cauſæ principalis, & multum protrahit lites; ille, qui ſuæ cauſæ confidit, non facile actionem attentatorum inſtituere debet; & ſæpe etiam Pontifex reſcribit, ut arbitrio judicis, omiſſis attentatis in cauſa Papali procedatur.

Maximum attentatum habetur de ſtilo Curiæ recurſus ad Principes ſæculares in Cauſa Eccleſiaſtica, ita ut non ad Inſtantiam, ſed ex officio Judex contra ejusmodi caſum debeat procedere, ut omnia damna inde illata reſtituantur. Cenſuras inſuper & excommunicationem Bullæ cœnæ incurrunt.

Quæres, an ergo non liceat in cauſa gravaminis recurrere ad Imperatorem?

Reſp. Si revera ſubſit gravamen rationis, ac contra concordata ageretur, deberet prius Pontifici fieri remonſtratio debita, ut ipſe gravamen tolleret. Si autem nolit, cum ipſe Pontifex Imperatorem agnoſcat defenſorem & protectorem concordatorum, & hic juramento ſeobſtringat, concordata contra ſedem Romanam tuendì, neque dicis cauſa ſit protector & defenſor, recurri utique poſſet absque metu cenſurarum. Hæ enim tantum infliguntur temerarie & frivole recurrentibus, non autem, qui ſolida & fundata ratione ad defenſionem jurium ſuorum absque peccato implorant protectionem ſui defenſoris. Sine manifeſto enim peccato cenſura non incurritur. Solent in cauſis hiſce gravatorialibus Capitula inter ſe facere cauſam communem. Sed antequam hoc faciant, bene fit, ſi Capitula non cœco modo procedant, ſed petant prius ſpeciem facti ſibi cum omnibus circumſtantiis transmitti, ut bene poſſint agnoſcere, an revera ſubſit gravamen rationis, & non tam facilia ſint in facienda cauſa communi, ne dum alienis volunt ſuccurrere, ſibi excommunicationes & cenſuras accerſant.

Quæres, quinam effectus Litis pendentis?

ad N. 2. Reſp. Lite pendente nemo commodo ſuæ poſſeſſionis privandus. Et hæc dejectio eſt gravior, quia habet ſpeciem attentatorum.

ad N. 3. Non valent reſcripta non expreſſa Litis pendentia, ut, ſi alicui beneficium ab inferiore vitioſe collatum eſſet, & ille Romam recurreret, ut fit ſubinde & bene, ad impetrandam gratiam ſanatoriam; vel, ſi

ſi ab ipſa curia vitioſe collatum eſſet ad impetrandum reſcriptum perinde valeret, ſi revera lis deſuper jam mota ſit, & Pontifex non expreſſerit; non obſtante regula cancellariæ, de jure tertii non tollendo, non valet. Ratio eſt, quia in dubio Papa non intelligitur velle alterius juri præjudicare, vel ſtatum litis immutare.

Res non poſſunt alienari. Pœnæ tamen hic ſtatutæ non ſunt in uſu.

TITULUS XVIII.

De Confeſſis.

Hi articuli vel poſitiones nihil aliud ſunt, quam propoſitiones affirmativæ vel negativæ, quos actor proponit, ut ſciat, quænam contradicantur, & quid ſibi probandum e. g. verum eſt, inprimis Titium me acceſſiſſe anno ſuperiore in hac vel illa neceſſitate, & petiviſſe mutuum, verum eſt, me eundem alio tempore vocaſſe, verum eſt, me expoſt tradidiſſe mutuum &c. Sed hi libelli articulati rejecti ſunt a Camera Wezlarienſi ex receſſu Imperii, & alibi præſtaret illos rejici, quia nimium faciunt ad protrahendas lites. Si enim pars adverſa excipiat, quod articuli non ſint relevantes, prius ſemper de his cognoſci debet, & ſic cauſa Papalis relinquitur. ad N. 5.

Hæc duo, ut fiat confeſſio coram judice competente, & in forma judicii, eſſentialia ſunt confeſſionis judicialis requiſita. Et hæc confeſſio plene probat, ſi non ſit in præjudicium tertii. Alleganti enim propriam turpitudinem in præjudicium tertii non creditur, ut ſi mater unum ex filiis illegitimum dicat, ſtultus vocatur ille filius, qui fidem habet. Et male agunt Confeſſarii ſuggerentes, ut mater vel eum aperiat, vel in genere id dicat, & condonationem inter ſe ſuadeat. ad N. 14.

1mo. debet conſtare de corpore delicti. Si tamen ſit delictum, quod veſtigium poſt ſe relinquit, quia alias homines ſæpe tædio vitæ vel carceris fatentur, quæ nunquam commiſerunt, & falſo ſubin perſuadent ſibi, crimen a ſe commiſſum, ut de cive Haſsfurtenſi uxorem ſuam per gradus ſtudio præcipitante & ſtatim aufugiente, quia putabat illam mortuam, non ita pridem conſtat, qui ſe ipſum de hoc crimine in Palatinatu ex falſa perſuaſione ſecutæ mortis accuſavit, cum tamen uxor adhuc viveret. ad N. 17.

 Ulte-

Ulterius alia confeſſio eſt ſimplex, alia qualificata; ſiquis pure & ſimpliciter rem confitetur, dicitur confeſſio ſimplex, & hæc utique ſimpliciter probat. Quæ autem fit cum adjecta quadam modificatione, dicitur qualificata, ut, ſi quis dicat: contraxi quidem ſponſalia, ſed conditionate. De hac qualificata confeſſione

Quæres, an ex parte recipi, & ex parte rejici, & onus probandi in confitentem conjici, poſſit?

Reſp. Hic in Conſiſtorio in ſponſaliis, quæ quis conditionate facta conceſſit, ita aliquando practicatum, ut cauſa fuerit diviſa, & ex parte recepta. Id autem nos male fieri ſtatuimus, & in regula confeſſionem dividi poſſe, negamus. Ratio eſt: quia actor omne fundamentum dubium & contradictum plene & concludenter debet probare ad hoc, ut condemnetur reus. Cum ergo in dicto caſu petat partem alteram ſimpliciter ad ſponſalia condemnari, ex conditionatis autem non oriatur obligatio, & maneat hæc dubia: debet actor hanc obligationem puram & ſimplicem probare.

Hoc in regula. Ab hac tamen excipitur 1mo. ſi ſit fortis præſumptio contra qualificationem, ut ſi qua protulerit verba de ſe injurioſa, blaſphema, neget autem, ſe habuiſſe animum injuriandi, aut blaſphemandi, debet ipſe probare, ſe non habuiſſe hunc animum propter fortem præſumptionem, & in criminalibus, ſi quis fateatur, ſe occidiſſe alterum, ſed alleget motum 1mo. primum, vel moderamen inculpatæ tutelæ, debet hæc probare. Si tamen non probaret, pœna ordinaria non poſſet puniri, quia non conſtaret de dolo. Culpa autem lata & dolus in criminalibus nunquam æquiparantur. Poſſet tamen ſubjici torturæ. 2do. Si alleget factum ſeparatum & diſtinctum, non unum idemque, unum poteſt admitti, alterum rejici, ut, ſi fateatur quis mutuum, dicat autem, ſe illud iterum ſolviſſe. 2dum debet probare, & 1mum admittitur.

TITULUS XIX.

De Probationibus.

In regula ergo tantum actor debet probare, quantum reus negat. Alias actore non plene probante reus eſt abſolvendus, & dicitur ei: amice, non tibi jus, ſed probatio deficit.

Quicun-

Quicunque ergo allegat factum dubium & contradictum, fundamentum suæ intentionis debet probare, sive negative, sive affirmative illud alleget. Hinc, si quis excipiendo affirmative novum alleget factum dubium & controversum, illud tenetur probare.

Si ais. Negativa, cum nullius entis nullæ sint qualitates, non posse probari, si non sint circumstantiata: resp. non possunt probari per probationem artificialem intrinsecam ex visceribus causæ: Conc. per inartificialem extrinsecam & indirecte, Neg. ut si quis impugnet testamentum, & neget adfuisse usum rationis; hæc est allegatio pure negativa & vaga, & tamen potest probari.

Quæres, quænam non debeant probari?

Resp. Inprimis facta notoria, quia in claris non subintrant argumenta, nec in iis servatur ordo & processus juris. Hæc ergo non probantur.

2do. Jus, quia jura non debent probari; & de officio judicis dictum est, si causa sit fundata in juris textu claro, etsi non allegatus sit, judicem tamen secundum illum debere decidere.

3. Si pro actore militet fortis præsumptio juris, quia jus fundat se in claris. Cum ergo dubium factum tantum debeat probari, illud pro quo jus præsumit, censetur clarum; ut patet in parocho contra negantem decimas, quia omnis fundus a jure præsumitur decimalis, non ipse, sed negans debet probare liberationem.

Quid si autem pro uno possessio, pro altero præsumptio juris militat? Respondemus: Si possessio sit brevis temporis, illa vincitur a præsumptione juris in *Cap. 5. de restit. spoliat.* Si autem sit longi temporis, prævalet possessio.

In probationibus autem plurimum subintrat arbitrium judicis, & magna requiritur jurisprudentia in judice, ut sciat in praxi determinare, cui incumbat probatio, quales sint probationes, an plenæ, semiplenæ &c.

Ad

Ad §. III.

De probatione quæ fit per Ocularem &c.

ad fin.N.22. *An judicium ejusmodi peritorum in arte habeat se instar sententiæ, vel rei judicatæ, & an judex teneatur illa sequi?*

Resp. Negative. Illi enim publica authoritate non pollent, proinde nec sententiam ferre possunt, multo minus res rei judicatæ vires accipere. Sed horum judicia censentur inter probatorialia, quæ Judex subin etiam rejicere potest; præcipue, si pars adversa parata sit ad probandum clare contrarium, contra illa etiam procedere, & ferre sententiam valet.

Ad §. IV.

De Fama.

Fama semiplene probat. Bene autem notandum est, quod fama, antequam in civilibus faciat semiplenam probationem, prius debeat esse plene probata vel per duos testes, vel alio modo.

TITULUS XX. & XXI.

De Testibus & Attestationibus, & de Testibus cogendis.

Quæres, quid sint Testes?

Resp. Testes sunt personæ fide dignæ, quæ in judicium producuntur, ut judici super aliquo facto controverso & ab altera parte contradicto fidem faciant. Quid autem requiratur ad personam testis, & quæ possint fieri exceptiones, late habetur in Authore.

Quæres, quomodo in praxi fiat productio testium?

Regulariter porriguntur judici articuli ab actore, quibus singulis, si diversos producat, testes subscribit, quod vocatur directorium testium,

stium, ut judex sic sciat, quos testes, & super quibus articulis velit producere. Hoc directorium regulariter communicatur parti adversæ ad formanda interrogatoria; quæ autem Actori non amplius communicantur, sed his datis judex præfigit terminum ad recipiendum testes in judicio, ad quod pars adversa debet citari, ad videndum recipi, & jurare testes. Si enim pars adversa non citetur, irregulare est examen testium, & nullius roboris & valoris. Si autem pars adversa citata non compareat, in contumaciam proceditur, & recipiuntur testes. Testes autem singulatim, semotis partibus debent audiri.

Quæres, quem in finem pars adversa debeat citari?

Debet pars adversa citari, ut possit opponere exceptiones, si quas habeat contra testes. Alias enim, si non opponat has ante receptionem, postea non amplius auditur, nisi jurato deponat, se modo venisse in notitiam harum exceptionum, & sine culpa eas non ante opposuisse; vel, nisi interim admiserit receptionem testium cum reservatione postea exceptiones opponendi.

Quæres, an expediat, exceptiones ante receptionem opponere, vel sibi reservare exceptiones?

Resp. Si testes sint subinde plane inhabiles vel suspecti, expediret utique contra illos exceptiones ante receptionem opponere. Si enim præjudiciis testium pars gravetur, potest illi deinde injungi juramentum purgatorium, ut se ab hisce gravaminibus & præjudiciis purget. Et quandocunque pars deposuit juramentum purgatorium, si in causa dein vincat, non potest pars adversa condemnari in expensas, quas semper supplet hoc juramentum. Si tamen judex frivolas videret exceptiones tantum ad pertrahendas lites, posset interim ex officio testes recipère & audire. Si autem pars contraria non sit contenta, potest appellare.

Notandum adhuc est, quod in Gallia Clerici cogantur ad dicendum testimonium in criminalibus, irregularitatem in praxi ibidem, quia coacti faciunt, non incurrant, quia ajunt, interesse Reipublicæ, delicta puniri.

§. IV.

ad N. 57. Qui ergo eſt conteſtis, ſuper uno eodemque contemporaneo facto debet deponere: alias objicitur ſingularitas teſtis. Hæc autem, quod bene notandum, eſt triplex, *obſtativa*, *diverſificativa*, & *adminiculativa*. *Obſtativa* eſt, ſi contraria & ſe invicem excludentia opponant duo teſtes, ut plerumque a criminaliſtis adducitur exemplum S. Suſannæ, ubi ſuſcitavit Deus ſpiritum Danielis, ut quæreret, ſub qua arbore commiſſum eſſet adulterium, & primus reſpondit: ſub ſchino, alter ſub pino. Et hæc ſingularitas omnem fidem adimit teſtibus.

Diverſificativa, ſi teſtes deponant ſuper diverſis actibus nullam inter ſe connexionem vel relationem habentibus, & tunc unus nec adimit, nec auget fidem alterius.

Adminiculativa, quando quidem teſtes non deponunt ſuper uno eodemque actu contemporaneo, ſed ſuper diverſis, qui tamen ad eundem finem conducunt, ut ſi quis in cauſa poſſeſſionis vel quaſi e. g. venationis plures produceret teſtes, quorum unus affirmaret, ſe vidiſſe illum in ſylva venantem menſe Octobri, alter menſe Novembri, tertius menſe Decembri. Et hi teſtes, licet non ſuper uno eodemque contemporaneo facto deponant, quod tamen regulariter loquendo requiritur, ut conteſtes plene probent, adjuvant tamen fidem & plene etiam probant.

TITULUS XXII.

De Fide Inſtrumentorum.

§. I.

Ad Inſtrumentum publicum alia requiruntur ex parte perſonæ, alia ex parte materiæ, alia ex parte formæ.

ad N. 5. Ex parte perſonæ, ut ſit legitime creata a ſuperiore. Et regulariter, qui a ſummo Pontifice creatus, extra ejus territorium non poteſt inſtrumentum conficere ſuper ſæcularibus, quia ejus juriſdictio non ſe extendit ad ſæcularia, niſi conſuetudo ſubinde plus tribuat, neque ab Imperatore creatus ſuper ſpiritualibus, ex eadem ratione &c.

Hic

Hic in praxi observandum, ut, si quod instrumentum in partibus remotis conficeretur aliorsum v. g. Romam transmittendum, quia ibi nomen & sigillum non est notum, ut fidem faciat, debet legalizari a Magistratu aliquo publico, cujus manus & sigillum in curia nota sunt, quia ex sola notarii manu & sigillo de authenticitate non constat.

Subinde in Dicasteriis requiritur, ut Notarii sint immatriculati; in quibus attendenda est consuetudo.

§. II.

In Causa tamen propria, ubi agitur de magno interesse, ex toto non semper probant ista scripta in Archivis, nisi ex aliis etiam indiciis de publicitate & authenticitate eorum constet. ad N. 20.

Sic, si quis me debitorem scriberet, neque ego remitterem epistolam, neque contradicerem, cum possem, hæc epistola a me acceptata contra me probaret; ut Romæ adolescens puellam sponsam scripsit, & ex hac acceptata epistola contra illam egit. ad N. 31.

Idem etiam de libris Judæorum, si alias bonæ famæ sint, pariformiter statuitur. Gaudent enim privilegio mercatorum & commercii. ad N. 32.

§. III.

Quando, & quo debeant Instrumenta produci?

Debent produci ab actore, & in regula non possunt exigi a reo, si penes illum sint instrumenta, nisi essent propria actoris, vel dolo subtracta, vel reus affirmative excipiendo fieret actor, in ordine ad replicandum teneretur reo exhibere instrumentum &c. vide n. 38. ad N. 35. ad N. 36. ad N. 37.

Et quidem post Litem contestatam, & si terminus probatorius est præfixus, quia hic regulariter est peremptorius, debent intra eundem produci, nisi ex post noviter esset aliquod instrumentum repertum, & jurata desuper fieret fides. Tunc enim daretur restitutio in integrum. Et licet tertia tantum admittatur productio testium, aut quarta etiam, sed jurata, & publicato rotulo testium, nec in prima, nec ulteriori instantia super iisdem articulis testes admittantur: instrumenta

ta tamen usque ad conclusionem & submissionem in causa possunt produci. Imo post conclusionem in causa, si noviter reperiantur & jurata desuper fiat fides; quia hic cessat periculum subornationis; post rem judicatam tamen, etsi liquido pro parte adversa constaret, instrumenta ulterius produci nequeunt.

Judici, si petat, integrum exhiberi debet, adversario non nisi articulus de quo lis movetur; quia hic omnem cavillandi occasionem captat, non ille.

ad N. 41. Hoc privilegium fisci multi Auctores volunt extendere ad alias causas pias & favorabiles in jure. Sed quia hoc privilegium per modum exceptionis conceditur, sine alio textu juris non est extendendum ad alias causas pias &c. Sunt enim hæ causæ favorabiles, sed non habent indefinitum in jure favorem, ut de favore omnium causarum participent. Sed sunt privilegiatæ specialibus suis favoribus.

ad N. 50. Generaliter ergo Copiæ, ut plene probent, judicialiter debent esse recognitæ, citatis partibus, quarum interest, ut, si quas habeant exceptiones, illas opponant. Notarius enim super meris factis, nunquam super jure, attestari potest.

Hinc sæpius in Camera Imperiali, si originalia sine periculo amissionis &c. non possint transmitti, instituitur judicium commissarium, & certa judicibus præscribitur formula, quomodo instrumentum examinare, sigillum &c. recognoscere debeant, an nihil sit rasum, cancellatum &c.

Quær. Quomodo Instrumenta oppugnentur?

ad N. 55. Maxima est difficultas in collisione probationum, ut si testes contra testes, instrumenta contra instrumenta producantur, cui fides adhibenda sit, dantur hic regulæ, sed plurimum subintrat iterum arbitrium Judicis.

Solent autem instrumenta variis modis impugnari, ut a. n. 48. habes, per testes etiam & alia instrumenta.

Et si duo diversa & irreconciliabilia instrumenta ab uno eodemque producantur, neutri habetur fides. Partes enim sibi imputare debent, quod non inspexerint testimonia, & contraria produxerint.

Pri-

Privatum instrumentum, ut probet contra scribentem, debet esse recognitum. Si nolit recognoscere, præfigitur terminus, intra quem si nolit recognoscere, in contumaciam habetur pro recognito. Si autem neget, debet per testes probari, qui si super manu tantum testentur, nonnisi semiplene probant, sicut & comparatio litterarum, quia homines tam dextre solent imitari manus & characteres, ut peritissimi etiam non possint discernere. Hinc, si pergat negare, debet jurato diffiteri, se hoc scripsisse. ad N. 59.

TITULUS XXIII.

De Præsumptionibus.

Probatio est duplex, alia *artificialis*, alia *non artificialis*. *Hæc* fit ab extrinsecis argumentis, quæ non ex ipso facto desumuntur. *Artificialis est*, quæ fit ex visceribus causæ vel argumentis ab ipso facto & circumstantiis depromptis, qualis probatio est ea, quæ ex præsumptionibus deducta.

Quæres, quid sit Præsumptio?

Præsumptio nihil aliud est, quam conjectura, quæ ex circumstantiis antecedentibus, comitantibus vel subsequentibus cum facto connexis oritur. Jam quo major & frequentior est connexio circumstantiarum cum facto, eo major oritur præsumptio. Hinc præsumptio alia levis, alia probabilis, alia vehemens dicitur; levis oritur ex indiciis insufficientibus &c. probabilis concipitur ex circumstantiis verosimilibus & cum facto sæpe connexis. Vehemens deducitur ex circumstantiis fere semper cum facto connexis, quæ non nisi in casu extraordinario absunt. &c. vide Authorem.

Præsumptio hominis vehemens seu violenta hunc habet effectum quod in causis civilibus plenam faciat probationem, quæ sufficit ad ferendam sententiam definitivam, non autem in criminalibus practice loquendo, quia habemus ordinationem Carolinam prohibentem, ne quis ex sola præsumptione possit condemnari, quamvis sustineri queat, quod præsumptio talis etiam in judicio criminali plenam reddat proba-

tionem, cum moralem præbeat certitudinem, bonitasque testium imo propria confessio in præsumptione fundentur. &c.

TITULUS XXIV.

De jurejurando.

ad N. 1. Melius definitur juramentum, quod sit gravis, seria & religiosa obtestatio, qua Deus in testem & vindicem vocatur. In praxi non est difficultas, quænam verba importent juramentum, cum in judiciis certæ formulæ sint præscriptæ, quæ sunt diversæ pro Judæis & Christianis. Catholici plerumque ita jurant: Sic me Deus adjuvet & ejus Sancti; quod hunc sensum facit: vindicet hoc Deus, nisi verum dixero. Protestantes autem: sic me Deus adjuvet & sancta ejus verba. Neque ultima verba prioris juramenti ipsis injungi possunt, quia sunt contra eorum fidei principia.

Secundum Jus ff. juramentum contractui civiliter annullato & irritato adjectum erat pure-pute accessorium, & sequebatur naturam actus. Hinc si non valebat actus, nec ipsum valuit juramentum. Hæc dispositio autem juris civ. correcta est a jure canonico, quia omne juramentum, quod non vergit in præjudicium tertii, aut dispendium salutis, est observandum; imo ut majorem vim tribueret, statuit, ut pactum etiam, si solo jure civili sit irritatum, juramento autem confirmatum, vim ac robur suum haberet. *C.* 2. *de pactis in 6.* Sic illicita alias jure civili futuræ hæreditatis renunciatio, si juramento firmata sit, valet. Ratio est, quia jus canonicum juramentum spectavit ut religiosam divini nominis invocationem, quod in vanum assumere non licet, sed quidquid sub hujus nominis obtestatione promissum, si non in dispendium salutis aut præjudicium tertii vergit, debet religiose observari.

Huic assertioni obstare videtur *C. 6. debitores hoc tit.* ubi, si juramento usuræ promissæ, solvi debent; quod caput unum ex difficillimis est. Hinc

Quæres

Quæres I. Quare ergo pactum non firmetur hoc casu, sed solum obliget juramentum.

Resp. Quia altera pars, creditor scilicet, probibetur jure Nat. pacisci de usuris accipiendis. Cum ergo ad pactum duorum requiratur consensus, & hic ex parte creditoris sit nullum pactum, non potest firmari.

Quæres II. Quare ergo Juramentum sit observandum?

Resp. Quia Jus Canonicum est punctualissimum & exactissimum, & omne juramentum, quod in dispendium salutis aut præjudicium tertii non est, vult observari. *Si ais*

1mo. Illicitum & contra jus naturale est, usuras concedere. R. D. usuras concedere & præcipere solvendas Neg. accipiendas, Conc. Solvere usuras de se non est illicitum. *Si ais*

2do. Hic cooperaretur alterius peccato, quia alter sine peccato usuras non potest accipere.

Resp. Directe Neg. indirecte & ex malitia alterius, Conc. Hæc cooperatio non est mala, sed provenit ex alterius malitia. Solvere enim est actio de se indifferens & licita. Actionem autem de se indifferentem & licitam non teneor omittere, etsi alter ex malitia ea sit abusurus in malum. Sic mulier non tenetur, nisi ex charitate, manere domi, si sciat, se semper in publico illicite concupisci.

§. II.

Celeberrima divisione dividitur juramentum in voluntarium & necessarium. *Voluntarium*, quod parti a parte defertur; & hoc vel est *judiciale*, quod in judicio parti a parte defertur, & *extrajudiciale*, quod extra judicium defertur.

Extrajudiciale pars non tenetur subire, sed potest viam juris eligere. Si autem sit acceptatum & præstitum, habet vim litis decisæ & finitæ, quia est species transactionis, & altera pars sibi debet imputare, quod adversarium juramento constituerit Judicem arbitrum. *Judiciale*

le vel acceptari debet vel deferri; manifestæ enim turpitudinis dicitur nec velle jurare, nec juramentum velle deferre.

ad N. 24. Si autem deferatur, facti notitiam pars altera debet habere. Sic hæredi super factis defuncti, de quibus non constat ipsi, deferri nequit.

Quær. An liceat pœnitere, si juramentum sit delatum?

ad N. 30. Resp. Si non sit acceptatum ab altera parte juramentum delatum, licet. Si autem sit acceptatum, & ille velit deinde aliis probationibus jus suum prosequi, non licet generaliter; nisi perjurium timeretur. Vide Authorem, eumque in hac materia practica sequere.

TITULUS XXV.

De Exceptionibus.

ad N. 2. Ex recessu novissimo Imperii prudenter introductum est, ut omnes exceptiones dilatoriæ ante litem contest. simul opponantur, & in defectum eventualis litis contestat. admittantur.

Quæres, an etiam in summario possint opponi?

Resp. Si solennia Judicii respiciunt, ut libellum esse ineptum, terminum nimis angustum &c. opponi non possunt. Si autem ad substantialia judicii pertinent, ut judicem esse incompetentem &c. possunt opponi.

ad N. 4. Ex recessu iterum Imperii, si peremptorias quis velit opponere exceptiones, debet Litis Contestationi omnes simul subjungere, alias dein non amplius auditur. Non tamen statim tenetur illas probare, sed expectare potest, donec actor fundamentum suæ intentionis probarit. Et non tantum exceptiones Litis finitæ, ut aliqui vocant, jurisjurandi scilicet, rei judicatæ & transactionis ante Litem Contest. possunt proponi; sed in praxi omnes exceptiones peremptoriæ indistincte ante Litem contest. possunt opponi, si non sint altioris indaginis & in continenti possint probari.

TITU-

TITULUS XXVI.

De Præſcriptionibus.

Multi Canoniſtæ hallucinantur, qui jus decimandi ideo non præſcriptibile putant, quod ſit res ſpiritualis. Sed cum novem partes non ſunt ſpirituales, quare decima? Et quid eſt ſpirituale? quod perficit ſpiritum. Decimæ autem paſcunt corpus, non perficiunt ſpiritum; ſunt ergo impræſcriptibiles præſcriptione ordinaria vel extraordinaria ſine titulo, quia jus reſiſtit & prohibet præſcriptionem; cum enim præſcriptio ſit creatura juris civilis, ubi jus prohibet præſcriptionem, illa non procedit. Intelligitur autem plerumque præſcriptio ordinaria. Extraordinaria enim cum titulo vel immemoralis tamen valet.

Ratio eſt, quia viſitatio eſt nervus diſciplinæ Eccleſiaſticæ, & pertinet ad intrinſecam & eſſentialem diſciplinam Eccleſiæ, ſine qua non ſtaret nexus inter imperantes & obedientes. Hinc abſolute prohibetur præſcribi, ſicut & procuratio ſive ſubminiſtratio victualium in viſitatione, eſt quid acceſſorium, quæ ſequitur Principale. ad N. 7.

Breviſſime etiam hic attingit Author quæſtionem, an jus Epiſcopale poſſit præſcribi, & affirmativam tenet. Sed hæc res, dum ille ſcripſit, non fuit ita agitata & eliquata, ut nunc in cauſa Fuldenſi cum Herbipolenſi, quæ famoſa & ſumptuoſiſſima fuit, & Epiſcopo Herbipol. ultra centies mille forte florenis, Abbati vero Fuldenſi forte altero tanto pluris conſtitit; an ſcilicet jura Epiſcopalia cum territorio ſeparato poſſint præſcribi. Variæ pro Fuldenſibus emanarunt ex Rota deciſiones. 1. Quod nativam habeat exemptionem ſ. nunquam fuerit ſub Epiſcopo. 2. Quod dativam ex ſpeciali privilegio, & 3tio, quod jura Epiſcopalia cum titulo colorato 40. annis poſſint præſcribi. Contra hanc ultimam deciſionem inſurrexerunt Epiſcopi & Joannes Philip. de Greiffenklau cum cæteris fecit cauſam communem, ita ut multi Epiſcopi Germaniæ, Poloniæ, Galliæ queſti ſint Romæ, hanc ſententiam eſſe injurioſam & præjudicialem poteſtati Epiſcopali Hierarchiæ & divinæ, nimiumque deprimere authoritatem eorum divinitus collatam, ita ut Pontifex novam & ſpecialem ordinarit congregationem Cardinalium, cui modernus Pontifex Bened. XIV. interfuit Secretarius, & in ea ſtatutum eſt an. 1721, Jura Epiſcopalia non poſſe præ-

 ſcribi,

ſcribi, ſed requiri aut clarum undequaque ſubſiſtens privilegium, aut conſuetudinem immemorialem cum omnibus requiſitis probatam, ex qua privilegium Pontificis præſumi poſſet. Quæ etiam ſententia a Pontifice approbata eſt. Noviſſime amicabilis facta eſt tranſactio, & Abbatia Fuldenſis in Epiſcopatum erecta. Moguntino tamen Archiepiſcopo, a quo pariter exempta fuit, iterum ſubjecta eſt.

ad N. 8. Si conſtet de limitibus, in dubio in vim obſervantiæ poſſunt obtineri.
ad N. 9. Omnibus fere præſcriptionibus opponitur hæc exceptio, quod fuerint actus meræ facultatis. Hinc bene notandum, quid ſit actus facultatis; & reſpondetur, actus meræ facultatis eſt, qui pendet ex ſolo arbitrio & voluntate agentis, cujus ratio eſt ſola naturalis libertas, ut ſi quærerem, quare hoc vel illud facerct, hanc ſolam poſſet aſſignare. Si autem ex conceſſione legis vel hominis, ex teſtamento, contractu, privilegio quid faciat, non eſt actus meræ facultatis. Contra hos procedit præſcriptio, non contra illos; niſi interveniat contradictio unius, & acquieſcentia alterius.

ad N. 10. In favorem dotis, quamdiu res manet dotalis, præſcribi non poteſt. Ex hoc argumentantur Canoniſtæ etiam Proteſtantes & diſtinguunt inter bona Eccleſiæ Dotalia & Communia. Dotalia, quæ ex primæva ſua deſtinatione & conceſſione ad fundationem vel ſuſtentationem Eccleſiæ pertinent, ut bona menſæ. Et hæc ajunt non poſſe præſcribi, niſi præſcriptione immemoriali, quia ſunt inalienabilia. Epiſcopus enim debet in ordinatione ſua jurare, quod inconſulto ſummo Pontifice hæc bona alienare nolit. Communia, quæ non ex primæva fundatione &c. Et contra hæc currit præſcriptio extraordinaria 40. annorum. In effectu autem, ut ſit completa, requiruntur 44. anni. Quadriennio enim poſt completam præſcriptionem, ſi Eccleſia ſit læſa, datur reſtitutio in integrum.

§. III.

Reliqua requiſita ad præſcriptionem hoc verſu comprehendi poſſunt: *æqua fides, juſtus titulus, poſſeſſio, tempus.* 1mum ergo eſt bona fides, quæ jure civili in præſcriptione ordinaria tantum ab initio, in extraordinaria plane non; jure autem Canonico, cui in materia pacti

in

in utroque foro ſtandum, tam ab initio, quam in decurſu in omni præſcriptione requiritur.

Per bonam autem fidem hic non intelligitur fides Theologica, ſed dictamen conſcientiæ vel rectæ rationis, quo quis putat nihil ſe agere contra juſtitiam, idcirco in præſcriptione poſitiva, ubi requiritur poſſeſſio vel quaſi, erit conſcientia vel credulitas, ſe juſte poſſidere quod habet. In negativa eſt conſcientia, ſeu credulitas ſe nihil agere contra ſuam obligationem. Ex quibus patet, non accurate dici currere præſcriptionem extinctivam cum mala fide, cum ſcientia juris alieni malam fidem non inducat.

Extraordinaria tamen procedit cum ignorantia juris clari. Eſt autem ignorantia juris *clari*, quando quis ignorat, quod jure claro eſt deciſum, ut ſi exiſtimes, pupillum res ſuas poſſe alienare. *Dubii*, ut ſi quis exiſtimet, relicta in teſtamento imperfecto bona conſcientia ſe poſſe retinere, quæ ignorantia non poteſt dici error, cum adhuc ignoretur, an ſit error vel veritas. Ratio eſt, quia hæc ignorantia tantum inducit malam fidem ſcitam. Quæ tamen extraordinariæ præſcriptioni neutiquam obeſt &c. **ad N. 15.**

Hoc de præſcriptione ordinaria, non extraordinaria procedit, ſi ipſe ſucceſſor ſit in bona fide, ex ratione data. Pleraque enim quæ non præſcriptibilia dicuntur, intelliguntur præſcriptione ordinaria. **ad N. 16. An noceat mala fides anteceſſoris.**

Hæc ſententia contra Authorem etiam in obligationibus, quæ in faciendo conſiſtunt, affirmatur, ut e. g. in debito indefinite contracto, ubi nec homo, nec dies interpellat, quia jure civili actio intra 30. annos expirat, illi etiam obligationi intra idem tempus præſcribi poteſt. Ratio eſt, quia ſola mala fides, quæ inducit peccatum juſtitiæ, impedit præſcriptionem. Atqui ſcientia hujus obligationis, ſi alter non petat, non inducit peccatum injuſtitiæ, ergo ſi non procedat hæc ſententia in obligationibus, quæ in faciendo conſiſtunt, etiam non procedet in iis, quæ in patiendo conſiſtunt, & ad argumenta contraria reſpondetur inprimis negando eorum fundamentum, quod ad præſcriptionem extinctivam requiratur poſſeſſio, ſed ipſum jus extinguit actionem. Ad alterum, ubi dicitur: vel vult ſolvere, vel non, retorquendo, vel vult prætermittere tranſitum, vel non. Reſp. Vult, ſi petat, ſi autem non petat, non ſolvendo non peccat. 3) Eſt in mora Diſt. culpoſa Neg. non culpoſa Conc. Quomodo enim in mora culpoſa ſit, cum nec homo, nec dies interpellat. **ad N. 18.**

§. IV.

ad N. 23. Titulus alius est verus, alius coloratus, existimatus, & præsumptus. *Verus*, quando dominium revera fuit translatum. *Coloratus*, quando quidem titulus habilis intercessit, sed ob defectum tradentis v. g. non-domini dominium non fuit translatum, ut si emam a non-domino. *Existimatus*, dum creditur intervenisse titulus, cum tamen non intervenerit, & fundatur, quandoque in errore *facti proprii*, ut si rem commodatam mihi credam donatam; quandoque alieni, ut si equum a procuratore non emptum ab illo emptum putem. *Præsumptus*, quem jura ob diuturnitatem temporis præsumunt.

Titulus verus non requiritur, quia actu transfert dominium, sed sufficit coloratus ad præscriptionem ordinariam. In extraordinaria, nisi jus resistat præscribenti, nullus probandus est titulus. Existimatus non sufficit, nisi sit fundatus in errore facti alieni *L. 11. ff. pro empt.* præsumptus sufficit in præscriptione immemoriali. De qua

§. V.

ad N. 34. *Adverte*, quod præscriptio immemorialis illa sit, cujus initii non extat memoria. Licet ergo ex instrumentis ostendatur castrum e. g. quod possideo, ante 200. annos vel mille pertinuisse ad alterum, propterea non possum turbari, si tantum initii, a quo incepta est possessio, non extet memoria. Ad hoc autem requiritur, ut homines 40. annorum de possessione possint testari. Et quia tempus impubertatis subtrahitur in effectu, requiruntur 54. anni. De se autem non habet majorem vim, quam præscriptio ordinaria vel extraordinaria, & quæ sunt impræscriptibilia, hac non possunt acquiri. Hoc unum tribuit, quod faciat de jure præsumi omnem titulum de mundo meliorem pro possessore, uti in decimis a laicis possessis. Facit præsumi vel specialem concessionem, vel privilegium, vel alium quemcunque titulum, de mundo meliorem.

TITU-

TITULUS XXVII.

De Sententia & re judicata.

An numeraria sit conclusio in causa? ad N. 1.

Resp. In judiciis ordinariis requiritur, in summariis non est necessaria. In Curia Romana ista expressa & solennis submissio non requiritur. Sed, si causa sufficienter sit instructa & discussa, proceditur ad sententiam.

Hujus conclusionis effectus est, quod non possint novæ allegationes & transactiones a partibus fieri super ipso facto, quia hæc conclusio est finis & terminus causæ, & ipsa causa quoad partes est terminata, quia ulteriori probationi & exceptioni renuntiarunt. Et si judici quid novi offeratur, potest id, quod in praxi notandum, partibus communicare non ad formandas novas probationes vel exceptiones, sed ad meram notitiam. Super jure autem possunt adhuc partes adducere & petere Responsa juris &c. Judici autem in causa nunquam concluditur.

Subinde si causæ sint favorabiles in jure, ut personarum miserabilium, vel noviter reperiatur instrumentum, vel æquitas id suadeat, rescinditur ista conclusio per restitutionem in integrum, ut alibi dictum.

De jure civili non alia dabatur sententia, quam definitiva. Quæ de incidentibus emanarunt decreta, tantum interlocutiones dicebantur. Jure autem Canonico duplex est sententia definitiva & interlocutoria. ad N. 3.

Sententia autem in genere nihil aliud est, quam actus judicialis, quo judex super causa coram se disceptata & sufficienter instructa & discussa pronuntiat, eamque decidit. Si super ipsa causa Principali mediante vel absolutione vel condonatione pronuntiat, dicitur sententia definitiva. Si autem non super causa principali, sed super incidente tantum aliquo pronuntiat, nec absolutione, nec condonatione mediante, est sententia interlocutoria. Quid sit sententia.

Hæc iterum duplex est, simplex & mixta. *Simplex*, si Judex super puncto incidente vel directione causæ & processus pronuntiat, quin & quotuplex sit.

illa pronuntiatio tangat causam Principalem, vel indirecte aut per consequentiam illam decidat. Si autem super incidente quidem pronuntiat, ita tamen, ut indirecte vel per consequentiam terminetur causa principalis, dicitur sententia mixta, vel habens in ventre definitivam, ut si quis fundamentum suæ intentionis unice vellet probare per testes, vel instrumentum, & hæc simpliciter reijcerentur a judice. Et de hac sententia in praxi notandum, quod habeat omnes effectus sententiæ definitivæ.

Enumerat jam Author differentias sententiæ definitivæ & interlocutoriæ. Ad IV. advertendum, olim jure decretalium ab omni decreto interlocutorio *sive* ante, *sive* post Litem contestatam licuisse appellare, & si quod gravamen probatum, etiam ad se trahebat causam principalem, quod sub schemate defensionis, quæ esset largissimæ interpretationis, factum. Protestantes autem ad dilatandam jurisdictionem Curiæ concessum fuisse dicunt. Quia tamen hæc appellatio nimis protrahebat lites, a Conc. Trid. approbata est dispositio juris civilis, quod non nisi a Definitiva, vel interlocutoria, quæ inferret irreparabile damnum, vel vim definitivæ haberet, liceret appellare.

ad N. 6. Alia jam sunt solennia, alia substantialia sententiæ, quæ ipsam ordinatam causæ decisionem spectant. Solennia in processu summario possunt omitti, non autem substantialia. Alias processus summarius fit tumultuarius.

ad N. 7. Substantiale sententiæ est, ut sit conformis libello, quoad quantitatem scilicet & qualitatem probatam, non petitam; vel potius deberet dici, ut sit conformis actis & juri. Unde licet nihil sit in libello de petitorio, si tamen hoc in actis probatum, debet adjudicari. Reliqua vide in Authore.

ad N. 19. Stilus subinde in aliquo tribunali jus facit, & omnino est attendendus. Et si sit sententia dubia, Judex secundum stilum suæ curiæ debet judicare. Sic in Camera Imperiali ex stilo receptum, ut in enormi læsione, in transactione hæc non rescindatur, licet jurisconsulti disputent, & in utramque partem contradictionis hanc sententiam defendant.

§. II.

§. II.

Sentential dupliciter in rem judicatam poteſt tranſire, vel expreſſe, vel tacite. *Expreſſe*, ſi pars adverſa ſententiam explicite acceptet. *Tacite*, ſi inter 10. dies non appellet. Et intra hoc decendium Judex non poteſt procedere ad executionem, quia lis cenſetur adhuc pendere, & ſiquid ageret, eſſet attentatum & ſpolium. Si autem hoc elapſo non fuit appellatum, tranſit tacite ſententia in rem judicatam. ad N. 22.

Et hujus ſententiæ effectus eſt, ut habeat vim æternam ob publicam utilitatem, ut ſit litium finis, & legem faciat inter partes litigantes, quia fertur publica Judicis authoritate, & nonniſi in caſu extraordinario reſcindi poteſt.

Hinc etſi novum inſtrumentum ex poſt reperiretur, in quo pars adverſa clariſſime demonſtraret jus ſuum, tamen non reſcinditur, quia ſententia, quæ tranſiit in rem judicatam, dicitur ex albo facere nigrum, ex nigro album, ex non jure jus. Licet ergo pars adverſa non habuerit jus antecedenter, tamen illud acquirit ex re judicata.

Quod etiam ex noſtra ſententia in conſcientia procedit, ſi bona fide litigavit, quia *Cap.* 13. *hoc titulo* expreſſe jus tribuit. Et ſi Jus Canonicum, quod ſpectat forum conſcientiæ, jus aliquod concedat, illud absque dubio in conſcientia tenebit.

Hæc de ſententia, quæ tranſiit in rem judicatam in regula. Exceptiones adducit Author.

Quæres, an etiam ſententia interlocutoria tranſeat in Rem judicatam, & quandonam?

Reſp. Generaliter meræ ſententiæ interlocutoriæ, mandata quæcunque, quæ ad inſtantiam unius tantum partis ſunt edita, ſi non ſit præmiſſa plena cauſæ cognitio & inſtructio, nunquam tranſeunt in rem judicatam. Si autem præmiſſa ſit plena cauſæ cognitio & inſtructio, tranſeunt in rem judicatam, ut nec in prima, nec ulteriori inſtantia reformari poſſint.

An

An Judicia peritorum in arte & Decreta provisionalia litem decidant?

Resp. *Negative.* Judicia enim peritorum in arte non habent publicam authoritatem ex defectu jurisdictionis; & si non causent evidentiam & certitudinem, non habent vim sententiæ, sed sunt tantum de probatoriis, quæ contrariis probationibus possunt elidi; consequenter non possunt vires legis acquirere & in rem judicatam transire. Idem sentiendum de decretis provisionalibus, quæ causa necdum sufficienter instructa emanant.

TITULUS XXVIII.

De Appellationibus, Recursionibus & Relationibus.

ad N. 7. Hoc remedium nullitatis quoad tempus est propinquius quam appellationis, cum hæc intra 10. dies fieri debeat, illud 30. annis duret. Advertendum hic tamen ex recessu Imperii novissimo de an. 1654. sententiam aliam esse nullam nullitate insanabili, aliam nullam nullitate sanabili. Si sententia est nulla ex defectu solennium, quod a judice stante, non sedente, die feriato &c. lata sit, dicitur nulla nullitate sanabili, & intra 10. dies opponi debet, sicut appellatio. Si autem sit nulla ex defectu substantiali, quod Judex non habuerit jurisdictionem, quod super bonis minoris, qui non habet personam standi in Judicio, ipso tamen actore, lata sit, aut ex defectu mandati, quod sit contra substantialia processus, parte altera non citata, datur nullitas insanabilis, & de praxi Cameræ Imperialis & Germaniæ 30. annos opponi potest.

§. II.

Extrajudicialis non est proprie appellatio. Non enim fit ab inferiore ad superiorem Judicem, sed ab extrajudiciali gravamine ad ordinarium Judicem. Debet tamen, uti judicialis, intra decem dies proponi, cum limitatione tamen Authoris *C.* 8. *Concertationi hoc titulo in 6.*

quod

quod præcipit appellationem intra decendium. In fine tamen concedit etiam alia remedia, uti nullitatis, spolii, quæ postea opponi possunt; & ita *b. Cap.* explicandum est.

Subinde a judice potest extrajudicialis fieri appellatio, ut si Lite non Contestata, ubi Judicium non est cœptum, rejiciat libellum tanquam ineptum, processum non acceptet, non det resolutionem, quia hæc gravamina cæpto nondum judicio inferuntur, sunt extrajudicialia, & ab iis extrajudicialis fieri potest ad superiorem appellatio.

Optandum esset, ut hæc Conc. Trid. constitutio in praxi observaretur. Sed quia lucrum & questus ex litibus provenit, a qualibet interlocutoria, superiora Archiepiscoporum &c. dicasteria appellationes admittunt, cui praxi inferiores se debent opponere, & causam revocare. ad N. 14.

Si ab interlocutoria appelletur, notabilis effectus est, quod illa non operetur effectum suspensivum, nisi a superiore fiat inhibitio, & quod Judex possit procedere usque ad definitivam, & executionem; neque etiam operetur effectum devolutivum causæ principalis, nisi Judex detulerit. Si autem non detulerit, tunc iterum distinguendum est. Nam vel Judex superior reformavit sententiam interlocutoriam, & sic devolvitur ad illum causa principalis, ne gravatus, ad gravantem remittatur. Si autem non reformaverit, sed approbaverit, remittitur causa ad inferiorem, ne sine causa prima sua Instantia privetur.

Et si in causa communi una pars appellet & in hac appellatione vincat, appellatio prodest omnibus.

§. III.

Si dolose sit contumax, & ob dolosam contumaciam damnatus, non potest appellare. Romæ tamen ex stilo curiæ hæc causa non attenditur. ad N. 32.

A visitatione, correctione, & decretis in ea factis, non datur appellatio, saltem quoad effectum suspensivum, dummodo superior paterne, non ut judex, procedat, & pœnas non adeo graves infligat, ad quas officium judicis requireretur, ut si Abbas ex levi delicto 3. annorum carcerem ex paterna correctione vellet dictare.

TITULUS XXX.

De Confirmatione.

Confirmatio alia generalis sive communis, quæ non ex prævia cognitione causæ fit, & hæc actum de se nullum non confirmat, quia nullius entis nullæ sunt qualitates. Alia specialis, quæ fit in forma specifica, & ex certa scientia, quia fit prævia plena causæ cognitione, & actum etiam alias nullum sanat.

LIBER TERTIUS
DECRETALIUM.

TITULUS I.

De Vita & Honestate Clericorum.

Amplum est, ut alibi dictum, Jus Diœcesanum Episcopi, vi cujus tanquam verus Hierarcha inspectionem habet in vitam & mores Clericorum, in omnia Loca Sacra, & fundationes pias. De hoc in Lib. 3. agitur. Et, quia inprimis ad eum pertinet inspicere in vitam Clericorum, agit jam Pontifex de vita & honestate Clericorum, de eorum contractibus, &c.

ad N. 1. Celeberrima est Jure Canonico personarum divisio in Clericos & Laicos. Clerici vocantur, qui publica authoritate & solenni ritu & inauguratione ad cultum divinum deputati sunt. Qui vero non ita deputati sunt, Laici vocantur.

Ulterius, qui specialiter ad cultum divinum ita deputati sunt, tantum Clerici; qui autem ad alia Ministeria insuper deputati, alii vocantur Canonici, alii Curati.

Olim Clerici Canonici dicti sunt, qui erant relati in album & Canonem Ecclesiæ. In Sæc. autem VII. Chrodegangus Episcopus Metensis vir Zelosus & pius aliud institutum Clericorum Canonicorum in Com-

Commune viventium incepit, ſub auſpiciis Pipini, quod dein ſub Carolo M. Ludovico Pio & reliquis Carolingicis Imperatoribus mire per Galliam & Germaniam cum maxima fidelium approbatione propagatum eſt.

Erat hoc inſtitutum effigiatum ad exemplum Benedictinorum, & plures etiam regulas deſumpſerat ex hoc inſtituto Chrodegangus. Vivebant ergo inſtar Monachorum in communi, cum Epiſcopo celebrabant conventus, in quibus prælectum eſt ſemper capitulum ex ſacra ſcriptura vel regulis, unde dicta capitula. Juniores habebant inſtar novitiatus annos probationis, nec ſtatim ad conventus admittebantur, unde plurimos terminos cum Monachis communes habuerunt, ac eorum collegia vocabantur Clauſtra, Cloſter &c. Hinc minime ex his terminis colligi poteſt, canonicos iſtos olim fuiſſe Monachos. Ab his enim differebant, quod non emiſerint vota ſolennia paupertatis & obedientiæ. Hinc etiam ortum habent nomina Præpoſitorum, qui ab initio poſt Epiſcopum habebant inſpectionem in ſacra & profana. Sed cum augerentur bona, cura ſpiritualium in Eccleſia quoad ordinationem miniſteriorum translata eſt in Decanum, & Præpoſito relicta ſunt bona temporalia, ut eorum curam gereret, & jura defenderet. Hinc nomen Scholaſtici, Cantoris, qui ob defectum Scholarum juniores Canonicos in litteris, Muſica, &c. inſtruerent; Emancipationes, reſidentia &c. originem pariter ad iſta tempora referunt.

Magno cum amore receptum eſt hoc inſtitutum, imo multa monaſteria, quia a vita ſtrictiore defecerant, converſa ſunt in ejusmodi Collegia. Et quia cathedralia non ſufficiebant, erecta ſunt collegiata; ſed cum ex liberalitate fidelium multis fundis & bonis cœperunt abundare, in Sæc. X. & XI. præcipue receſſerunt a communione, & ſeparatim vivere cæperunt. Et ille receſſus anſam dedit erigendi beneficia, quæ ab initio inſtar feudorum erecta ſunt. Feuda enim ſecus ac nunc, non erant tranſitoria in hæredes, ſed uſumfructum tantum tribuebant. Hinc plurimi termini uſitati in feudis, translati ſunt in beneficia, ut inveſtiri &c.

Sed quia hic receſſus diſplicuit multis viris religioſis & ſanctis, ut ſancto Norberto, quem adverterunt ex capacitate dominii ortum, alios Canonicos, regulares dictos, inſtituerunt, qui ut continerentur in communione, votum paupertatis debuerunt emittere, unde diſtinctio in canonicos regulares & ſæculares.

Horum fæcularium vita, cum fucceffu temporis pejor fieret, quam laicorum, graviffima inde orta funt fcandala; & magnam anfam dederunt hærefi Lutheranorum, ut plane de fupprimendo hoc Canonicorum ftatu tum temporis cogitatum fuerit, quod tamen ex rationibus politicis non factum, ne fcilicet familiæ etiam illuftres tam facile interirent.

Pauca funt, quæ in hoc titulo prohibentur Clericis, plura & utiliffima decreta funt in conciliis Provincialibus, tum ante, tum poft Conc. Trid. habitis. Cum enim adverterent Epifcopi, vitam fceleftam Clericorum tantas fufcitare hærefes, habuerunt confilia, in quibus præclariffima de vita & honeftate clericorum ediderunt. Inter cætera commendantur fex Mediolanenfia fub S. Carolo Borromæo: unum Moguntinum fub Sebaftiano Archiepifcopo; duo Colonienfia, unum Trevirenfe, quorum ftudium commendatur Clericis in ordine ad formandum fpiritum fecundum Canones.

Militia olim, ut matrimonium, erat ftatus incompatibilis cum Clericatu. Sed in Germania, quia eft natio bellicofa & armis affueta, Clerici etiam militiam fequentes non privantur fuis beneficiis, & legimus etiam, Epifcopos fecutos effe Imperatores in bellum.

TITULUS II.

De cohabitatu Clerici & Mulieris.

Hoc decretum non loquitur de convictis & confeffis. Hi enim ftatim pro gravitate delicti poffunt puniri, & hifce gradibus non eft opus, fed loquitur de præfumptis tantum & fufpectis concubinariis.

Præfumpti autem dicuntur, qui ob nimiam familiaritatem & converfationem cum fufpectis aliis & fibi periculofis fœminis funt fufpecti. In his gradatus a Con. Trid. proceffus obfervandus. Primo ergo talis monendus, ut vel domo dimittat, vel vitet; Si non facit, jam major fit præfumptio, & jam tertia parte fructuum privari poteft; Si necdum obediat, omnibus privatur & fufpenditur. Et demum fi perfiftat, etfi nec confeffus nec convictus fit, poteft Epifcopus procedere ad privationem beneficii & demum ad excommunicationem. Et hoc judicium debet tantum effe fummarium, nec requiritur ordinarius juris proceffus,

&

& privative pertinet ad Epiſcopum, non ad Decanum vel capitulum, neque ab eo datur appellatio ſaltem quoad effectum ſuſpenſivum, quod ſane expediret ſæpius practicari, & Domino Deo debent Epiſcopi reddere rationes, ſi ſcandala tam impune graſſari permittant. Quæ inter præcipua ſunt, quæ nobis ab Hæreticis objiciuntur, ut legenti Conringium patebit. Et ipſe Juſtin. jam in nr. 45. ſevere voluit puniri ejusmodi delicta.

TITULUS IV.

De Clericis non reſidentibus in Eccleſia vel Præbenda.

Fruſtra hanc quæſt. movet Author, cum expreſſe in Conc. Trid. ſtatutum, ut ſine licentia parochus abeſſe non poſſit ad duos menſes, niſi cauſa ab Epiſcopo cognita, & accepta in ſcriptis licentia. Vide in N. 8. & N. 10.

Beneficia ſimplicia dicuntur, quæ quidem in ordine ad officium Eccleſiaſticum, ſed private magis quam publice exercendum, ad legendas e. g. Miſſas, conferuntur, quin aliquis Choro & cœtui alicui ſit adſcriptus, & hæ ex conſuetudine univerſali non ſunt reſidentiales, excepto unico caſu, ſi in fundatione ita cautum eſſet. ad N. 22.

Ad modum beneficiorum ſimplicium invaluere etiam conſuetudines, ut Canonicatus non fierent reſidentiales, ſed per Vicarios & ſubſtitutos reſidentia poſſet ſuppleri. Has conſuetudines circa Eccleſias Cathedrales & Collegiatas Conc. Trid. omnino abrogavit, & novem menſium reſidentiam præcepit tam Cathedralibus, quam Collegiatis, ſalvis tamen ſtatutis particularium Eccleſiarum, in quibus longior requiritur reſidentia, ut hic in Haugenſi & Monaſterienſi Capitularibus ſex tantum ſeptimanæ, domicellaribus autem tantum binæ conceduntur, quibus poſſint abeſſe. Gradatus hic a Conc. Trid. contra non reſidentes præſcriptus proceſſus eſt neceſſarius, nec poſſunt Epiſcopi ex intempeſtivo zelo citius ad privationem procedere, ſed elapſis hiſce binis annis vel ſpeciali, ſi ſciatur, ubi moretur Canonicus, vel generali & edictali citatione, ſi ignoretur, debet citari, & demum ſi non compareat, privari. ad N. 23.

Videmus tamen, in multis Ecclesiis minorem requiri residentiam. Quid ergo de hac censendum consuetudine?

Resp. Si quis Romam deferat desuper causam & se fundet in consuetudine vel particularibus statutis, semper respondet sacra Trid. Conc. Congregatio, non valere. Sine expressa ergo dispensatione summi Pontificis minor hodie non admittitur residentia.

Quid ergo respondendum ad illa statuta, quae minorem permittunt residentiam?

Censent aliqui, hæc statuta prævia Pontificis dispensatione valere, si sint confirmata. Si autem non sint confirmata, dicunt, Conc. Trid. non tanto cum rigore esse receptum, quod tolerandum forte erit, nisi nimis curta & exigua sit residentia, Beneficium enim datur propter officium; præcipue cum Canonici magnam partem de suis reditibus decerpserint & assignarint vicariis, ne cultus divinus in eorum absentia negligatur, quorum proin residentia accuratius urgenda.

ad N. 24. Ad distinguendos fructus annuos a quotidianis hæc regula datur; quandocunque respectus habetur ad singulas præsentias in choro, & hisce detrahitur, etsi uno die solvantur, tamen erunt distributiones quotidianæ, & ad has lucrandas strictior requiritur residentia. Unde has non capiunt Canonici a latere, studiorum causa absentes &c.

Ex consuetudine liberantur a residentia Jubilares, qui sunt a servitio Episcopi, Canonici dicti a latere, quorum binos potest sibi Episcopus assumere ad juvandum se Consilio & opera in regenda Diœcesi. Quod autem hodie sensu plane contrario intelligitur, & Canonici a latere sunt remotissimi ab Episcopi latere, ita ut nec Episcopo, nec Ecclesiæ præstent officium, hinc obtinent vulgo die frey-Præbend in abusum, ut sic pluribus possint frui præbendis. Sed cum absentiam in Ecclesia supplere deberent opera & consilio in regenda Diœcesi, viderint, quid Domino Deo respondeant. Eodem privilegio, quo Canonici a latere, etiam gaudent, qui sunt in servitiis Papæ *C.* 14. *h. tit. in* 6.

Et Clemens VII. speciali constitutione 1525. edita, nominatim concessit hoc privilegium auditoribus rotæ. Quæ tamen constitutio a

Pio

Pio IV. ad mentem Conc. Trid. reducta est sic: nisi sint Episcopi, qui curam animarum haberent; Hi enim residere tenentur.

TITULUS V.

De Præbendis & Dignitatibus.

§. I.

Prolixa hæc & ampla est materia, cui adæquate explicandæ vix annus sufficeret.

Prænotandum autem est, non eandem semper fuisse Ecclesiæ disciplinam circa beneficia. In primitiva enim Ecclesia fiebant collationes fidelium, ex quibus ministri Ecclesiæ & pauperes sustentabantur. Cum enim Ministri non sint spiritus, sed homines, qui indigent victu & amictu, debetur illis pro Spiritualibus, quæ ministrant, sustentatio corporalis. Qui enim *servit altari*, ait S. Sciptura, *vivat de altari, & dignus est operarius mercede sua; non obligabis os bovis triturantis;* & *qui pascit gregem, potest etiam vesci lacte gregis.*

Cum autem Episcopi subinde essent avari, & plurimam partem sibi retinerent, sua cuilibet est portio assignata. In Sæc. VII. autem Episcopus Metensis Chrodegangus incepit institutum suum canonicorum in commune viventium, in qua Communione vixerunt usque ad Sæc. X. & XI, a qua, dum recesserunt, cœperunt erigi hactenus incognita beneficia instar feudorum. Antiquius nomen est præbendæ a præbendo dictæ. Beneficia ergo tum modo cœperunt, unde nihil de iis in collectionibus Gratiani & aliis antiquioribus habetur.

Hæc beneficia etiam Canonicatus, & Præsidentes Canonici vocantur. Olim erant Canonici, qui erant relati in Canonem alicujus Ecclesiæ, a qua jus habebant petendi sua victualia, hæc autem adscriptio fiebat per ipsam ordinationem. Olim enim non vaga, ut nunc dabatur ordinatio, sed quandocunque Episcopus aliquem ordinabat, per ordinationem illum certæ adscribebat Ecclesiæ. Hoc nomen dein in communitate viventes retinere, & hodie adhuc habent. Canonia autem stricte dicta hodie duo importat. Jus scilicet habendi stallum in Choro, Sessionem & votum in Capitulo.

Definit

ad N. 1. Definit jam Author, quid fit beneficium, & illud aliter ac theologi in ordine ad reditus defcribit, qui tamen illud in ordine ad officium Ecclefiafticum definientes cum Canoniftis coincidunt.

Stricte ergo loquendo & ex fpiritu Canonum, non deberet dari Canonia fine præbenda. In Germania autem ufus & confuetudo eft contraria, & dantur Canoniæ fine præbenda. Cum enim olim numerum Canonicorum vellent augere, nihil tamen de fructibus fuis decerpere, plures quidem admiferunt, fed vel certam ætatem, vel certos annos carentiæ ftatuerunt, poft quos ad præbendam pervenirent. Et hi, qui necdum habent præbendas, vocantur Canonici in herbis, qui fcilicet necdum percipiunt fructus, fed exfpectant. Et circa hoc admodum variant Ecclefiarum confuetudines. Aliqui enim omnino nihil, alii diftributiones tantum quotidianas, alii etiam fructus groffos, fed minores, non autem integros percipiunt, donec ad Capitulum pervenerint.

Quæres, quomodo ergo iftæ Canoniæ fubfiftant, cum in C. T. omnes exfpectativæ, quia anfam præbent captandæ mortis, fint prohibitæ, & non valeant?

Refpondent Germani, fe mortis non tam cupidos & finceriores effe, & diftinguunt. Prohibitæ funt Canoniæ fimplices Conc. qualificatæ Neg. Cum enim actu recipiantur in numerum Canonicorum & in album & calendarium referantur, non funt Canoniæ fimplices; fed qualificatæ. Solæ preces mere exfpectativæ hodie dici poffunt.

Cætera, quæ explicat Author de beneficiis, procedunt.

Quid fi dubitetur, an beneficia fint fæcularia vel regularia?

ad N. 6. In dubio præfumuntur fæcularia, nifi fundata effent in Capellis & Ecclefiis regularium, tum enim præfumptio pro illis ftaret.

§. II.

De Collatione Beneficiorum.

Explicat Author hanc materiam, prout habetur in decretalibus, & quafi ad jus primatus collationem cum Romanis reducit, in qua materia

teria burſali non ita adhærendum Romanis. Sunt hæc eorum principia. Quod Pontifex habeat jus conferendi omnia beneficia, quod Papa ſolus ab initio omnia beneficia contulerit, ex quibus dein invaluere exceſſivæ reſervationes. Hinc

Quæres. An immediata Collatio beneficiorum ad jus primatus pertineat?

Reſp. *negative.* Ad primatum enim tantum pertinet generalis Inſpectio & Superintendentia, ut beneficia rite, digne, & dignis conferantur, a quocunque demum fiat collatio. Et ſic pertinet vi primatus ad Pontificem, condere leges & Canones, quatenus digne conferantur beneficia, ſtatuere pœnas in indigne conferentes, nihil enim intereſt Eccleſiæ, an a Papa, vel Epiſcopo, aut alio conferantur. Imo videtur repugnare utilitati Eccleſiæ, ſi ab ipſo Pontifice beneficia omnia conferantur. Ut enim utiliter Eccleſiæ provideatur, requiritur in proviſo notitia ſubin ſtatuum, ut in Cathedralibus, in providente notitia qualitatum, pietatis & morum providendi, quæ cum ſint facti, & facta prudentiſſimos etiam lateant, Pontifici etſi etiam infallibili conſtare pro toto terrarum orbe non poſſunt. Non enim eſt omniſcius. Hinc parœmia in ipſa curia recepta eſt: Papa providet perſonis, ordinarii autem Eccleſiis, id eſt utilitati perſonarum, non Eccleſiæ conſulit, & vel ideo omnis reſervatio eſt odioſa, quia non tam proficua eſt Eccleſiæ.

Quæres, an Papa omnia ab initio contulerit beneficia?

Reſp. *Negative*, in primis enim ante Sæc. X. & XI. plane nulla fuerunt beneficia, ſed Epiſcopi, ut dictum, per ipſam ordinationem Miniſtros Eccleſiis dabant, nec unquam ultra ſuburbicarias regiones Miniſtros conſtituebant Pontifices. In Sæc. XI. primus omnium fuit Hadrianus IV. qui incepit ſubinde per preces Epiſcopis perſonas recommendare, ut illis Epiſcopi conferrent beneficia, ad cujus exemplum eodem fere tempore invaluere preces Imperatorum. Sed cum hæ preces Pontificum fierent frequentiores, recuſarunt ſubinde Epiſcopi obedire. Et cum potentum preces facile in jus degenerant, dederunt dein mandata de providendo, & hæc etiam cum non implerentur, litteræ executionales invaluere. Et hinc mos invaluit, ut hodie adhuc in litteris adjungatur exſecutor, ſi Epiſcopus nollet conferre beneficium.

Ante ſæculum ergo XII. nihil fere conſtabat de reſervationibus, exſpectativis, collationibus &c. ſed tum cœperunt ab initio ſpeciales quædam fieri reſervationes, & demum ſucceſſive potiſſimum ab Avenionenſibus Pontificibus factæ ſunt Generales.

Quæres, an ergo omnis reſervatio Papæ neganda & improbanda?

Reſp. Negative. Servetur modus, tollatur abuſus, aurea in omnibus ſervanda mediocritas, *eſt modus in rebus ſunt certi denique fines.* Non autem ex eo reſervatio eſt approbanda, quod Dominus ſit omnium beneficiorum, quod principium Romanorum falſum eſt; ſed ut ſervetur vinculum, & debita nationum obedientia. Parum enim exteræ nationes Pontificem curarent, niſi gratias quasdam ab ipſo poſſent exſpectare.

De reſervatione juris communis.

Prima hæc eſt reſervatio generalis, quæ extendit ſe ad omnes dignitates, perſonatus, beneficia, & dicitur clauſula in corpore juris. Quia habetur in conſtitutione Bonifacii VIII; hæc tanquam favorabilior ſervata fuit in Conc. Conſtant. Baſil. Sanctione Pragmatica Gallorum, & noſtris Concordatis 1448. factis.

Reſervantur in ea, uti habet Author, beneficia non tantum eorum, qui in curia propter quodcunque negotium verſantes moriuntur, ſed & illorum qui ſtudiorum vel civitatis videndæ cauſa illuc abiverunt, ſi recedentes intra duas dietas ſive quadraginta Italica milliaria, quorum quinque unum Germanicum & conſequenter 40. Italica 8. Germanica conficiunt, moriantur; ratio hujus reſervationis eſt, quia diuturnior beneficiorum vacatio Eccleſiis cenſetur damnoſa. Cum ergo Pontifex prius ſciret mortem, ipſe contulit hæc beneficia, & ab initio tantum concurrebat cum ordinariis, deinde autem ſibi illa reſervavit.

Debet autem ex Cap. 3. hoc titulo Pontifex beneficia taliter vacantia conferre intra menſem, qui non a die notæ vacationis, ſed a die mortis incipit currere, quia ideo reſervata, quod diuturnior vacatio Eccleſiis ſit damnoſa. Si intra menſem non conferat, Epiſcopus jus conferendi habet.

Inſe-

Inferes: ergo inferior fupplet negligentiam fuperioris. Refp. *negative*, alias terminus curreret a die notæ vacationis. Sed Epifcopi jure primævo & ordinario illa conferunt. In habitu enim ad illos pertinet poteftas conferendi beneficia, & manent illi ordinarii collatores, licet eorum poteftas quoad actum fecundum per menfem fit ligata, fere ut manet poteftas eundi in eo, qui vinculis conftrictus eft.

Altera refervatio generalis eft Joannis XXII. in qua prohibetur pluralitas beneficiorum curatorum, & dignitatum, ut duorum decanatuum, five perfonatuum. Hæc etiam extravagans inferta eft concordatis Germaniæ. ad N. 13.

Non autem loquitur de pluribus beneficiis cathedralibus, vel collegiatis, aut fimplicibus, & ftatuitur in ea, ut fi quis fecundum admittat, & primum non ftatim in manus ordinarii refignet, utrumque ad puniendam avaritiam vacet.

Hodie autem in praxi primum non tenetur dimittere, nifi poft pacificam fecundi poffeffionem. Hinc illud *ftatim* fpatium duorum menfium importat, intra quos videre poffit, an non fibi lis fuper fecundo moveatur. Et fi poft duos menfes primum non refignat, utrumque vacat. Non tamen primum, quod in manus ordinarii dimittere jubetur, fed fecundum eft refervatum, nifi fecundum fuiffet a Papa impetratum, & collationi infertum, ut primum in manus Pontificis dimitteret; quia fi Pontifex confert fecundum, & non difpenfat, femper jubet in manus fuas primum refignare. Quod fi intra duos menfes non præftetur, utrumque vacat, & eft refervatum.

Tertia & ampliffima refervatio eft in extravagante ad Regimen, in qua refervantur omnia beneficia hic memorata. Inferta eft hæc extravagans concordatis Germaniæ, cum aliqua tamen moderatione: 1) ut non fint refervata beneficia curialium, nifi moriantur ut curiales. Hinc, fi ante mortem refignent, beneficia eorum non funt refervata, quod fecus eft ftatutum in regulis cancellariæ. 2) In extravagante plura enumerantur nomina & officia Curialium, quorum aliqua funt in concordatis omiffa. In hac extravagante 1) renovatur extravagans Ioan. XXII. 2) refervantur beneficia per obitum in Curia. 3.) beneficia omnia Curialium. Sic, fi Epifcopus Leodienfis, qui fimul eft Cardinalis, moreretur, tres ejus Epifcopatus refervati effent Pontifici. Hinc capitulares in hoc cafu fibi debent profpicere, ut obtineant indul- ad N. 15.

tum eligibilitatis. Attentarunt quidem ſubinde ſine hoc eligere, ſed eorum electio ſemper eſt caſſata. Ad pacem tamen ſervandam Pontifex perſonæ ante electæ de novo contulit Epiſcopatum. Præſtat ergo prius indultum eligendi petere, ne ſuo jure priventur. 4) Reſervantur omnia beneficia apud ſedem vacantia. Dicuntur autem apud ſedem vacare, quæ per translationem, privationem, depoſitionem aut reſignationem in Curia Romana factam vacant.

Hæc reſignatio in Curia multas ſæpe ob Preciſtas lites ſuſcitat; Beneficia enim ita vacantia non ſunt obnoxia precibus, & in his excepta eſt extravagans. Hinc ſi quis nepoti libenter reſignaret Beneficium, dum adeſt preciſta, ſolent id facere Romæ ad excludendum preciſtam. Sed quia id ſibi præjudicioſum queruntur preciſtæ, ſi urgeant in aula Viennenſi, non ceditur, ſed taliter etiam reſignata beneficia ipſis adjudicantur. Conſultius ergo eſt illud non facere, & exſpectare, dum ſuum preciſta beneficium obtinuerit, vel cum eo convenire, ut deſiſtat.

5. Reſervantur ea, quæ vacant per promotionem in Curia factam, & ex ſtilo Curiæ per ipſam actualem confirmationem, licet ex regula Cancellariæ modo per conſecrationem, id quod etiam concordatis Germaniæ inſertum. Hinc promovendi ad Epiſcopatus tempore intermedio ſua beneficia reſignant in Eccleſiis, ad quas promoventur; Super reliquis autem petunt novam a Pontifice collationem & diſpenſationem. Illa reſignatio autem in expreſſa regula Cancellariæ eſt prohibita, quia in fraudem legis fieri dicitur. In Germania tamen practicatur, quia tempore intermedio utuntur jure ſuo, nemo autem in fraudem legis facere cenſetur, quod jure facit. Comparuerunt jam quidem taliter vacantibus beneficiis *Proviſi* a Romana Curia, ſed non audiuntur.

Quoad reliqua, quæ per indultum retinent promoti, volunt Romani ea modo per mortem vacare, & Pontifici tunc reſervari, eoquod nondum fieret collatio, utpote quæ perſonæ diſtinctæ fieri deberet; adeoque ſuſpenſivam tantum hanc eſſe collationem. Sed cum revera illa beneficia per promotionem vacent, nihil intereſt, an eidem, vel alteri conferantur, nam facta hac collatione functus eſt Pontifex ſuo jure, & deinceps non amplius per promotionem, ſed per obitum vacant, id quod in Germania practicatur.

Poſt

Poſt Concordata Germaniæ varias adhuc Pontifices ediderunt Bullas, quibus ob delicta multos ſuis privarunt beneficiis, eaque ſibi reſervarunt, ut hic Author recenſet, ob hæreſin, Simoniam confidentialem, hoc eſt per portatores ex pacto, ut alteri iterum reſignent &c. Plures item clauſulæ & formulæ additæ ſunt regulis Cancellariæ, quibus reſtringitur poteſtas & libertas Epiſcoporum contra concordata Germaniæ, de quibus hic ad N. 17.

Quæres, an obligent in Germania?

Reſp. *Negative*, ſi ſcilicet lædant jus ordinarii & libertatem in concordatis datam reſtringant. Ratio eſt, quia concordata Germaniæ facta ſunt in vim pacti publici, pacta autem publica jure naturæ ſunt ſervanda, & ab iis altera parte invita recedi non poteſt, neque iis demere, vel addere licet. Et quia ſunt inventa ad ſtabilem & perpetuam pacem, etiam ſucceſſores ſtringunt, a quocunque ſuam habent poteſtatem, alias fruſtra & falſo Leo X. ſub quo & Franciſco I. An. 1515. facta ſunt Concordata Galliæ, Luthero duobus poſt annis 1517. primas Theſes ſuas Wittenbergæ in Saxonia affigente, in ſuis Concordatis Galliæ promiſiſſet, illa a ſucceſſoribus in vim pacti publici ſervanda fore; nec unquam litium finis eſſet, ad quas terminandas hæc pacta ſunt inventa.

Scripſit de his concordatis tractatum *Branden* natione Germanus, ſed, quia Hiſtoriam non inſpexit, & principiis Romanorum, quod Papa ſit dominus omnium beneficiorum &c. & juri decretalium inſtitit, Romæque ob ſua ſervitia Canonicatum obtinuit, nationi ſuæ minus favorabilem, cujus rationes hic vide: ille jam ſemper tanquam Germanus a Romanis citatur.

Inſiſtendum ergo a Germanis principiis Gallorum, quorum ſententia hæc eſt. Si novæ reſervationum edantur Bullæ, vel novæ clauſulæ addantur regulis cancellariæ poſt concordata, eæque ſint favorabiles, & amplient jurisdictionem Epiſcoporum, quia valde favorabilis eſt reditus ad jus primævum, illæ valent, & in Gallia regiſtrantur, ita ut vim Legis Regiæ induant, neque a ſolo amplius Pontifice revocari queunt. Si autem reſtringant & minuant poteſtatem Epiſcoporum contra concordata, admitti non debent, quia omnis reſervatio eſt odioſa, tum Papa provideat tantum perſonis, Epiſcopus autem Eccleſiis.

§. III.

Ab initio regulæ cancellariæ continebant tantum ordinationes scribendi litteras Apostolicas. Modum expediendi Bullas demum adjecit praxis beneficiaria & reservationes excessivæ, ad quas temperandas potissimum facta sunt concordata. Author harum fuit Joann. XXII. ut ab initio dictum.

Author jam potissimas, in quibus praxis beneficiaria & reservationes continentur, explicat, & in hac materia de præbendis & dignitatibus satis bene & accurate respondet. Quæ sit natura harum regularum vide alibi.

ad N. 20. In hac regula moderatio est in Concordatis, nisi officium Curiale ante abitum dimiserit. Tum enim non est amplius ejus beneficium reservatum.

ad N. 21. Hæc regula est generalissima, ubi fere pastorem bonum exuit. Ex hac reservatione simul corruit Jus electionum Capitulorum & Conventuum, Jus Archiepiscoporum confirmandi Episcopos. Jus confirmandi Abbates. Hinc ortæ sunt communes omnium Nationum querelæ, quod ita Ecclesiis imponerentur sæpe personæ ignotæ, invisæ, quod solus Pontifex conferret in Germania Electoratus, Ducatus, Principatus amplissimos, id quod Imperatores & Reges ægerrime ferrent. Per concordata ergo in Germania Capitulis restituta est electio.

ad N. 22. Regula tertia uti & 26. non ita observantur in Germania, licet praxis & stilus curiæ illas habeant. Quia in *extrav. ad regimen*, quæ inserta est concordatis Germaniæ, in qua reservantur beneficia vacantia per promotionem, non est prohibitum illa resignare, & quia reservatio est odiosa, & ad non expressa extendenda non est.

ad N. 23. Post Patriarchales, Archi-Episcopales &c. etiam sibi reservat in hac regula primam dignitatem in qualibet Ecclesia, ut Præposituram, vel si hæc non sit prima, decanatum, non autem plures, quam unam. Et ex observantia, vigore concordatorum, hæ dignitates sunt reservatæ, licet secundum litteram concordatorum videantur non esse reservatæ. Plurimæ tamen Ecclesiæ habent indulta eligendi, ut Wirceburg. Bamberg. Leodiens. Passav. &c. ita tamen ut electi prius Bullas provisorias Romæ debeant petere, quam se administrationi immiscecant.

Reser-

Reſervat ulterius in hac regula Prioratus, &c. ſi ſcilicet ſint ſtabiles dignitates. Hoc tamen omiſſum in concordatis Germaniæ, & proin uſum in Germania non habet.

Hæc & ſubſequens regula ad nos non pertinet, nec hodie amplius dantur collectores ſpoliorum, & relicta per teſtamentum aliis legari poſſunt. ad N. 24.

In hac regula ulterius progreſſus eſt Pòntifex, & minora etiam beneficia ſibi reſervavit, & 8. menſes ſibi ita, ut tertium ſemper ordinarius haberet, reſervavit. Dedit tamen etiam alternativam, ita ut per totum annum Epiſcopus in ſua Diœceſi debuerit reſidere. Et, ſi vel per duos dies ab integra Diœceſi abſuiſſet, jus omne conferendi beneficia perdidiſſet, absque tamen hoc onere data eſt alternativa in concordatis Germaniæ. ad N. 26.

Quæ hic annotat Author, procedunt; difficilior tamen eſt quæſtio, ſi duo concurrant Canonici, & dubium ſit, quo tempore alter ſit mortuus. Reſp. Videndum inprimis eſſe, an non ex indiciis probari poſſit. Stante autem dubio pro incipiente Turnario judicandum, quia vita tam diu eſt in poſſeſſione, donec probetur adempta. Cum ergo deprehendatur quis mortuus in initio Turni alterius, pro illo ſtandum & præſumendum eſt.

Exceptis ergo ordinariis, reliqui ſemper de novo deberent hoc indultum petere, quod tamen in Germania non fit, indulgente, & taliter electos confirmante Pontifice. ad N. 27.

Famoſa eſt hæc, & etiam in Germania recepta regula, quæ ob 20. dies, *regula de viginti*, *vel de infirmis* vocatur, & non tantum in reſignationibus in Curia, ſed etiam alibi factis obtinet, quia dicitur: *quavis authoritate factis.* De reliquis vide Authorem, & obſerva, hanc regulam in favorem ordinariorum eſſe introductam, ne jure ſuo priventur. ad N. 29.

Romani autem novum hodie ſtilum invenerunt & addidere, niſi huic regulæ fuerit derogatum. Hinc ſi quis timet, ne ægrotus non ſupervivat 20. dies, petit in ſupplica huic regulæ derogari, & inſeritur dein: non obſtante *Regula Cancellariæ de viginti*, id quod 5. vel 6. ducatis conſtat. Eſt hæc clauſula recentior & modo poſt concordata addita, quibus tamen ſalvis ea vix addi poteſt. Contigit nuper in

hac

hac materia casus Paderbornæ, qui inter Consilium aulicum & curiam Romanam disceptatus est. Resignavit Romæ D. de Galen in favorem D. de Fürstenberg, & in supplica petiit derogari regulæ Cancellariæ. Procurator dein in præstito juramento & consensu hoc omisit petere, ut Bullæ insereretur. Hic obiit dein ante 20. dies, & sic præbendam D. de Wengek suo contulit nepoti D. de Wengek. Recurrit dein Fürstenberg Romam, & post discordantia vota tandem conclusum est, quia in supplica petitum est huic regulæ Cancellariæ derogari, gratiam hanc jam tunc factam esse, novamque ediderunt Bullam, & hanc gratiam ad tempus datæ retraxerunt, cui se merito opposuit D. de Wengek, & manutenentiam in suo jure a Consilio aulico Viennæ petiit.

Sic enim quam maxime impediretur libera collatio ordinariorum, quam tamen Pontifex se quavis authoritate impediturum non esse recepit. *Si ais* potuisset omittere hanc regulam. Resp. verum est. Id autem, cum non fecerit, sed per eam Episcoporum favori prospexerit, in concordatis autem magis adhuc voluerit prospicere, non potuit esse intentio in concordatis libere huic regulæ iterum derogandi.

ad N. 34. Hæc regula in Germania non multum est in usu, cum Episcopi non exteros, sed Diœcesanos ad parochias promoveant.

ad N. 35. Ratio est hujus regulæ, ut coerceatur nimia hominum cupiditas & ambitio præripiendi beneficia; & ne forte ansa præbeatur captandæ mortis.

ad Reg. XXX. Ulterius procedit Pontifex, & in regula statuit, ut non tantum revera mortuus fuerit, cujus beneficium quis obtinuit, sed ut verosimilis potuerit interea Romam pervenire notitia, quæ etiam regula in Gallia recepta est ob rationem status. Pontifex enim vi concordatorum Galliæ habet concurrentem Jurisdictionem cum Episcopis, ita ut locus sit præventioni. In dubio tamen præventionis Galli stant pro Episcopo, si beneficium actu vacet, licet nullas possit dare exspectativas; ne ergo Episcopi præveniantur, hæc regula registrata est in Gallia, & simul vim Legis regiæ habet.

ad N. 36. Hæc regula, etsi ejus exemptionem urgeant Romani, & taliter resignatis beneficiis subin provideant aliis, in Germania tamen in praxim deducta non est, quia *extrav. ad regimen,* quæ est inserta concordatis, tantum reservat beneficia per promotionem actu vacantia, resignationem autem non prohibet.

Mensis

Mensis hic, qui datur collitigandi, non a die mortis, sed a die, quo alteri confertur illud beneficium, currere incipiat, ita, ut si intra hunc mensem surrogari petat in jus alterius, prior collatio sit nulla. Ratio hujus regulæ est, ne in Ecclesia litis horror insonet, quia maxime Ecclesia detestatur lites. Et si alteri conferretur, nova iterum lis consurgeret. Ad has ergo sopiendas omnibus præfertur collitigans. Duæ tamen sunt exceptiones; prima, nisi sit intrusus, & altera, nisi in fraudem seni aut periculose ægrotanti litem moverit. ad N. 38. reg. XXIX.

Magnus in jure favor est possessionis. Hinc *beati* dicuntur *possidentes*. In favorem hujus statutum, ut si piscatores beneficiorum beneficium ab altero per annum vitiose possessum impetrent, explicent inprimis ea, quæ hic in regula leguntur; post sex deinde menses illum ad judicium evocent, & intra annum causam finiant. Ratio est, ut difficilis reddatur piscatio beneficiorum per annum jam possessorum. Sufficit autem ita instruere causam, ut sententia ferri potuisset, licet illa intra annum lata non sit. Potest etiam peti prorogatio hujus termini, & si quis justam causam habeat, datur etiam subinde restitutio in integrum. ad Reg. XXXV.

Major adhuc est favor triennalis possessionis, ita, ut si adsit titulus coloratus, ob pacificam trium annorum possessionem jus noviter acquiratur, licet antecedenter non adfuerit, in vim præscriptionis, ut nec in possessorio, nec petitorio molestari quis deinceps possit. Ut tamen suffragetur, requiritur 1) ut illa possessio fuerit pacifica, nec in judicio lis desuper mota, nec extrajudicialiter molestatus fuerit a Capitulo e. g. in possessione turbatus sit. Et tunc non nisi sublata hac molestia tempus triennale currit. 2) debet habere titulum saltem coloratum. Censetur autem coloratus, si ab eo conferatur, qui alias jus conferendi habet, ut si ordinarius, ad quem tum temporis collatio non pertinuit, beneficium contulerit. Et duæ sunt exceptiones, 1) nisi sit Simoniacus, huic in odium Simoniæ nulla suffragatur possessio; si tamen fuerit realis, pecunia e. g. ex contractu promissa fuerit soluta, non autem, si mere conventionalis fuerit, si conventum quidem sit de pretio, illud autem non solutum. 2) Nisi sit intrusus. Dupliciter autem censetur quis intrusus. 1) Si quis propria authoritate sine institutione Canonica in beneficium se intrudat, absque authoritate superioris. 2) Si quis in vim solius signaturæ, sine expeditis litteris Apostolicis ad N. 39. reg. XXXVI.

licis beneficium occupet. Et ex Conſt. Clementis VII. ſi contra concordata Germaniæ fuerit proviſum.

An hic valor etiam in Germania eſt exprimendus?

ad N. 42. Ante Reſp. *Nota.* In tota Germania omnia beneficia, omnes dignitates, niſi ſint conſiſtoriales, quæ in Conſiſtorio Romæ conferantur, quales tantum ſunt Patriarchales, Archi-Epiſcopales, Epiſcopales & Abbatiæ Principales, gefürſtete Abteyen, non ſolvunt annatas; id eſt taxam pecuniæ pro fructibus primi anni vi concordatorum, debent tamen certam taxam ſolvere pro expeditionibus Bullarum, vulgo: die Expeditions-Gelder, quia tamen Romani a ſua regula nolunt recedere, in qua omnia beneficia exceptis iis, quæ non excedunt valorem 24. ducatorum de Camera, qui minoris adhuc quam noſtri valent, debent annatas ſolvere, malunt fictionem admittere, & omnes dignitates ut Præpoſituras, & reliqua beneficia tantum ad 24. ducatos de Camera taxarunt, quam fictionem nos libentiſſime perferimus. Hinc reſpondetur, non requiri verum exprimere valorem, ſed taxam Cameræ.

ad N. 43. Patet hinc multa in ſupplica exprimenda eſſe, ſi quis beneficium Romæ velit obtinere, nec a quolibet illam fieri poſſe, vulgo expeditionarii vocantur, qui illas componunt; ſi quid enim omiſſum, quod de jure communi vel de ſtilo Curiæ exprimi debuiſſet, facile per piſcatores beneficium poteſt auferri.

ad N. 45. Vi hujus Regulæ, quia diuturnior vacatio Eccleſiis periculoſa & damnoſa cenſetur, habent ordinarii facultatem conferendi beneficia, ſede vacante, vacatura, omnes etiam dignitates, præpoſituras, decanatus, & quæ alias Pontifici ſunt reſervatæ, ex praxi tamen & ſtylo curiæ diſtinguunt, ſi reſervatio ipſi dignitati ſit infixa, dicunt illam manere, reſervatam, & a novo modo Pontifice conferendam, id quod in praxi obſervatur, ſecus autem ajunt eſſe de aliis beneficiis, quia neſcitur, quo menſe illa ſint vacatura, hinc obſervationem ipſis non ita, ut dignitatibus infixam eſſe, utpote quæ ſuperſunt reſervatæ, adeoque liberam manere ordinariorum, ſede vacante, collationem. Germanis tamen collationem horum beneficiorum diſputare volunt, ex ratione, quod illa reſervatio, quæ vi regulæ eſt temporanea, utpote quæ morte Pontificis expirat, facta ſit vi concordatorum perpetua, quæ etiam

etiam poſt mortem Pontificis durat, formantque hoc argumentum, concordata manent & ſunt perpetua, ergo etiam reſervatio. R. C. A. N. C. quis enim in hoc deteriores credat Germanos, cum concordata fuerint, ut meliorem, non ut duriorem ſuam facerent conditionem, & nego ſuppoſitum, quod unquam Germani voluerint concordare ſuper beneficia ſede vacante vacatura, de illis enim non movebatur lis, & concordata ſunt tantum temperamentum exceſſivarum reſervationum, ſede autem vacante non ſunt reſervationes, ergo etiam concordata quoad illos menſes non ſunt facta, alias novas induxiſſent reſervationes, interim tamen vacante ultima ſede per ſex menſes Epiſcopi ſuo jure, cui deberent inſiſtere, non ſunt uſi, præferunt enim ſubinde publicis privata, ac per hoc vel pro ſe Breve eligibilitatis vel pro nepotibus præbendas exſpectant.

§. IV.

De Concordatis.

Quæ ſit origo Concordatorum habes ab initio. Ad has querelas totius nationis, quod ita evacuaretur natio pecuniis & bonis ſuis, tollendas duo habita ſunt Concilia Conſtantienſe & Baſileenſe. In Conſtantienſi ob Hæreſes Wiclef & Huſs res non potuit decidi, in Baſileenſi jam in ſeſſ. 2. graviſſima orta ſunt diſſidia, quod Concilium Eccleſiam non tantum in membris, ſed etiam in capite vellet reformare, ſtatuit enim, quod in Concilio Conſtantienſi jam definitum, Concilium eſſe ſupra Pontificem, hæc res male affecit Pontificem, & voluit Concilium diſſolvere, negarunt Patres Concilium legitime congregatum, utpote quod eſſet ſupra Pontificem, ab ipſo diſſolvi poſſe, & ita perrexerunt reformare & annullare omnes reſervationes, annatas, damnando has ſub Cleri cenſura tanquam Simoniacas, ulterius proceſſerunt & elegerunt Felicem V. e Ducibus Sabaudiæ Pontificem, quam tamen electionem ipſi Galli non legitimam ajunt, quia in ſeſſ. 24. jam Patres dilapſi erant, præſcripſerunt Pontifici, ut nonniſi 24. Cardinales eosque ex omnibus nationibus crearet, quorum nullus Epiſcopatum in alia extera Eccleſia haberet, & plura alia rationi noſtræ utiliſſima ediderunt decreta. Natio Gallicana hoc ſibi Concilio proſpexit, & Biturici convocato Clero & Primoribus Carolus VII. ejus Decreta in vim Sanctionis

Pragmaticæ promulgari jussit, quæ tamen iterum per concordata Galliæ sub Leone X. & Francisco I. circa ann. 1517. sublata sunt.

Natio Germanica, quod duo essent Pontifices per octo annos, se in neutralitate constituit, & quia neutri Pontifici voluit adhærere, juribus suis uti cœpit. Misso tamen legato Thoma Sarcinensi ad Imperatorem & status Imperii tum Francofurti congregatos, prima fuit, quæ Eugenio IV. sponderet per Legatos obedientiam, si querelas hasce tolleret, magno hoc gaudio affecit Pontificem, & promisit se regulas Cancellariæ moderaturum, quas Germani ab initio omnino sublatas volebant instar Gallorum, sed mors interrupit gaudium, & hoc opus in successorem transmisit, qui fuit Nicolaus V. Thomas ille Sarcinensis ante Legatus, hic statim misit Ioannem Corbejalem Theologum, quem antea secum habebat, eumque Cardinalitia dignitate auxit, qui dein mediante Ænea Sylvio Piccolomini rem ad finem perduxit, fuit is Friderici III. Secretarius, & ob sua merita factus dein Cardinalis & tandem Pontifex Pius II. Hunc Protestantes multum traducunt, quod Fridericum ob merita sibi facienda apud sedem Romanam, induxerit ad tam probrosa nationi Concordata ineunda, quæ facta sunt Aschaffenburgi, 1448.

Ex qua Historia colliges Romanos non ita ad apicem & argumentosas interpretationes & meram gratiam debere hæc pacta publica reducere, cum nostra natio prima fuerit, quæ rediit ad obedientiam & liberalissime pacta est cum Pontifice Romano, cum tamen in hac materia nec fidem nec moralem Doctrinam concernente, sed a meram politiam spectante, suis antiquis juribus magis insistere potuisset; neque Germanos omnem collationem Pontifici ad servandum vinculum unionis negare debere, sed ex utraque parte servandum esse medium.

ad N. 50. Objectum horum Concordatorum, quæ sunt temperamentum Concilii Basileensis & regularum Cancellariæ triplex est. 1) dignitates majores, 2) dignitates inferiores & beneficia, 3) annatæ. Quoad primum scimus, omnes illas dignitates Patriarchales, Archiepiscopales, Episcopales, Abbatiales Principales ex regula secunda Cancellariæ reservatas fuisse Pontifici, cum tamen jure decretalium ex constitutione Bonifacii VIII. electio harum dignitatum ad Capitula pertineret. Concilium Basileense simpliciter secundum decretales hoc jus restituit Capitulis, ita ut electo etiam indigno jus eligendi iterum ad Capitulum devolveretur,

veretur, & alius terminus electionis præfigeretur, per Concordata autem jus eligendi (quod ſpeciale in Germania eſt, cum in aliis regnis per nominationem principum iſtæ dignitates conferantur,) reſtitutum quidem eſt Capitulis, jus confirmandi autem, quod alias ad Archiepiſcopum pertinuit, & ſubſtituendi reſervatum Pontifici, & in eo receſſum eſt a Decretalibus, quod in Decretalibus confirmatio ſit neceſſitatis, in concordatis autem liberi arbitrii, quibus inſerta eſt hæc clauſula: niſi de conſilio prædictorum fratrum, ſcilicet Cardinalium ex cauſa rationabili de utiliori & digniori perſona videbitur providendum. Quæ clauſula pridem ſcrupulum Germanis injecit, quod ita dicis cauſa reſtituta ſit electio, & deſuper conqueſti ſunt apud Calixtum III. & Pium II. a quibus reſponſum eſt, nunquam Canonicas electiones fuiſſe rejectas, neque tam facile obventurum, ut ſuo arbitrio Pontifex uteretur, vix etiam hujus extat exemplum, id potius in praxi obſervatur, ut ſi electio notorie ſit minus Canonica, electus tamen adhuc ſimpliciter habilis, ea quidem caſſetur, de eadem tamen perſona Eccleſiæ provideatur. Si autem dubia ſit electio, non inſeritur: caſſantes & annullantes electionem; ſed alia mitior: ſupplentes defectum &c. de eadem perſona providemus.

Alterum objectum Concordatorum ſunt dignitates inferiores & beneficia; Ex regula Cancellariæ IV. omnes dignitates inferiores erant reſervatæ. Ex concordatis tantum primæ in Cathedralibus & Collegiatis, quoad alia beneficia introducta eſt alternativa. Pontifici tamen manent reſervata beneficia, quæ vacant per obitum in curia, depoſitionem &c. *ex extravag. ad regimen.* cum aliqua tamen moderatione, ut ſupra dictum. Et ex concordatis, quia nulla ſit mentio dignitatum electivarum, ſed tantum ſimpliciter alternativa quoad beneficia introducta ſit, quoad primas autem dignitates tantum facta reſervatio, ſequitur ut electivæ non cadant ſub menſes, Cardinales tamen, qui habent privilegium conferendi beneficia vacantia in menſibus Papalibus, & Electores, qui tamen ſingulis quinquenniis hanc facultatem debent petere, hoc jus ſibi prætendunt, & multæ deſuper lites excitantur, ut experientia conſtat ſub Anteceſſore Epiſcopo Spirenſi, qui fuit Cardinalis, qui contulit talia beneficia, alii autem ſcilicet Capitulares elegerunt. ad N. 51.

Obſervandum autem eſt, quod beneficia in menſibus Papalibus vacantia intra tres menſes debeant conferri; Concordata ita habent: quo-

quoties vero infra tres menſes a die notæ vacationis in loco beneficii non apparuerit, quod alicui Apoſtolica authoritate proviſum ſit &c. tunc ordinarii poſſunt conferre. Hoc *apparuerit*, quod idem eſt, ac inſinuatum fecerit, jam explicant Romani ex Conſtit. Gregorii XIII. quæ, quia ſæpius contigit ut elapſis tribus menſibus Epiſcopi conferrent beneficia, & poſtea etiam Romæ proviſi comparerent, edita eſt hoc modo: ſi non fuerit ſaltem proviſum Romæ, etſi proviſio non fuerit inſinuata, contra clara verba & litteram concordatorum, imo hodie ulterius procedunt, & volunt ſufficere, dummodo intra tres menſes Pontifici fuerit ſupplica porrecta. Hinc Quæres

An ad Pontificem ſolum pertineat interpretari concordata?

Reſp. Negative. Qui enim eſt conditor legis, ille poteſt authoritate legem interpretari, Pontifex autem non eſt ſolus conditor Concordatorum, ſed ſimul imperium, ergo etiam ad ipſum ſolum non pertinet in præjudicium nationis concordata interpretari. Hinc iſta interpretatio non eſt ita conformis litteræ & ordinationi concordatorum, illi tamen ob privatam utilitatem ordinarii videntur acquieſcere.

ad N. 53. Tertium objectum concordatorum ſunt annatæ, dictæ ab annuis fructibus.

Cum exaruerat, ut alibi dictum eſt, Papis Avenionenſibus vena auri Romani, alium modum cogendi pecuniam invenire debuerunt, ut vivere Avenione congrue poſſent, reſervarunt ſibi igitur ab omnibus beneficiis fructus primi anni, ſi beneficia in valore annuo 24. Ducatus excederent, qui non in natura, ſed in pecunia ſolvebantur, & ab initio per tres annos a die adeptæ pacificæ poſſeſſionis, in primo anno media pars, & in aliis reliquum pendebatur. Sed ex Conſtitut. Bonifacii IX. reductæ ſunt hæ annatæ ad mediam tantum partem fructuum primi anni, ita tamen ut ſtatim ante traditionem Bullarum ſolvi deberent, quia alias ſæpius obtentis beneficiis non ſolvebantur, id quod majorem obſtrependi anſam dedit, & annatas tanquam Simoniacas damnandi, quia beneficium niſi iis ſolutis non conferretur.

Iſtæ annatæ ex Fagnano quadruplicis ſunt generis. 1) *Annatæ* ſimpliciter ita dictæ, quæ ſolvuntur pro omnibus beneficiis inferioribus in dataria conferri ſolitis, excepta ſola Germania, quia omnia be-

neficia

neficia inferiora secundum taxam Cameræ in Germania non excedunt valorem 24. Ducatorum de Camera. 2.) *Servitia Communia*, quæ solvuntur pro dignitatibus Consistorialibus, Patriarchalibus, Archiepiscopalibus, Episcopalibus, Abbatiis Principalibus in Germania: vocantur *Communia*, quia medietas pertinet ad Pontificem, altera pars ad Cardinales, inter quos unus est Collector, qui omnes has pecunias colligit, quæ bis in anno in fixo termino distribuuntur, ita tamen ut præsentes, non autem ex quacunque causa absentes participent de iis. 3) *Minuta servitia*, sic dicta, quia sunt minores taxæ, & solvuntur inferioribus officialibus. 4) *Quinta decima* sunt annatæ, quæ solvuntur singulis quindecim annis pro beneficiis perpetuo unitis, ne propter unionem sui juris Pontifex privetur.

De his annatis, uti dictum, acerrime disputatum est in Conc. Basileensi, & Patres illas tanquam Simoniacas in sess. 12. omnino sustollendas existimarunt, cui, cum se opponeret Pontifex ex titulo deficientis sustentationis, alio remedio prospiciendum sunt rati, & curiam in numerosis Cardinalibus & officialibus reformandam sumpsere, & sess. 24. statuerunt, 24. tantum Cardinales ex omni natione doctissimos, & pragmaticarum Legum peritos, qui continuo Pontifici a latere essent, assumendos esse. Quod tamen Concilium exitum optatum in Germania non habuit, & nostra germana natio cum Italis contra proprium suum commodum illud habet illegitimum, interim tamen non Itali negare possunt, illud Concilium saluberrima edidisse decreta, quæ plurimam partem reassumpta sunt in Conc. Trid. anno 1545. haberi cœptum.

Nec omnino sublatæ sunt annatæ per Concordata, sed multum temperatæ & in tribus potissimum, 1) ut non amplius fructus nec primi nec medii anni solvantur, sed moderata tantum taxa Cameræ, quæ se habet ad fructus primi anni, ut unum ad quinque. 2) Vi concordatorum non statim debent solvi, sed indulgetur biennium a die adeptæ pacificæ possessionis, ita ut dimidium intra annum solvi debeat, quod tamen hodie non observatur, nec prius extraduntur Bullæ, quam solvantur; cautum tamen est in Bullis, ut si intra annum moreretur provisus, successor non integras annatas, sed mediam duntaxat partem solveret. 3) Offertur retaxatio a Commissariis in partibus facienda, si excessivæ essent taxæ in Camera, & subin si ex libellis & aliis injuriis Ecclesiæ multum damni passæ essent, pro remissione supplicatur, & ex parte obtinetur.

De

Demum in Germania, uti dictum, tantum solvuntur pro dignitatibus Consistorialibus, pro nullo autem alio beneficio, & pro his etiam communia servitia solvit natio Gallicana.

Quæres, an solutio annatarum sit Simoniaca?

Resp. Petrus de Marca annatas a labe Simoniæ vindicat titulo subventionis, quia Pontifex curam habet universalis Ecclesiæ, æquum est, ut illi etiam subveniatur ab universa Ecclesia, pro qua multa debet subire onera, & in quam multas expensas debet facere; hac enim pecunia Academiæ, in quibus instruuntur Missionarii Romæ variis linguis, & in exteras regiones mittuntur, deberent sustentari, hospitalia item peregrinantium; & a multis Pontificibus optime inpenduntur istæ subventiones, licet ab aliis superba palatia pro familiis hisce excitata sint. Sixtus V. tam moderatam duxit œconómiam, ut licet sat laute viveret, & quidquid Romæ magnificum excitarit, intra 5. annos tamen 5. milliones reposuerit in arce S. Angeli in Communi Ecclesiæ necessitate adhibendas.

Si autem titulus justus est, nihil jam interest, an ante, vel post expeditionem Bullarum solvantur.

Illud autem non æque verum, quod ex hoc titulo aliqui annatas jure Divino debitas velint Pontifici instar decimarum, quæ summo Sacerdoti in V. Test. Levitis solvebantur, lata enim est disparitas, quod illi nulla prædia, nullos plane fundos possederint, Pontifici autem & Ministris Ecclesiæ alia assignata est portio, & amplissimum Pontifex & regium possidet territorium, ex quo sine decimis vivere jam potest, quod ideo ab Imperatoribus datum, ut pro statu suo vivere posset. Pius II. Pontifex & Majerus Cancellarius Moguntinus multas ad invicem dederunt litteras, in quibus ille purgat, hic objicit modum illum extorquendi annatas; ex quo Protestantes contra annatas multum evomunt, & cum omne vinculum & unionem sublatam vellent, has omnino abrogatas volunt.

An Pontifex se solo sine consensu Nationis possit derogare Concordatis?

Resp. Ex Romanorum principiis affirmative, quia ajunt esse contractum claudicantem, quia ex parte nationis obligationem, ex parte Pontificis meram contineat gratiam, cui Pontifex pro plenitudine pote-

sta-

ftatis fuæ ex arbitrio poffit derogare, qui enim conceffit gratias, illius etiam eft modum ponere fuæ libertati. Plures adducunt argutias, quas infra folvemus.

Itaque fecundum litteram, fpiritum, & mentem concordatorum & pacifcentium Refp. negative, ratio eft, quia funt vere pacta publica, quæ omni jure ab utraque parte fervanda, alias nulla pax, nulla fides in mundo ftabilis effet, in ipfis enim concordatis habetur, quod ab una & altera parte approbatum hoc & laudatum fit, & licet nomen pacti non expreffum in iis legatur; mens tamen pacifcentium, fenfus & verba idem innuunt, ob has tamen argutias magis fibi profpexerunt Galli, & fuis Concordatis utpote pofterioribus hoc nomen explicite inferuerunt. Et 2do. quia Pontifex expreffe promittit, nonnifi in Concilio & cum confenfu inclytæ nationis hæc concordata infringenda. Pacta autem, quæ nomine dignitatis fiunt, in fucceffores tranfeunt, alias illuforie Leo X. in fuis Concordatis Gallis promififfet, hifce etiam fucceffores fuos alligandas effe, fi pacta hæc non tranfirent in fucceffores, quod tamen præfumendum non eft. Tam parum ergo Concordatis Germaniæ derogari poteft, quam parum Galli patientur fuis infligi vulnus.

Ajunt Romani, in beneficiis non valere pacta, fed omnia pacta effe Simoniaca, ergo etiam Concordata non in vim pacti valere. Refp. dift. Non valent pacta privatorum teftamentaria de fucceffione beneficiorum Conc. hæc funt Simoniaca; non valent pacta publica, quæ ineuntur ad pacem & unionem Ecclefiæ, ut magis dignis ordinate & rite conferantur beneficia. Neg. Omnis enim refervatio eft odiofa, quia Papa providet hominibus, Ordinarius Ecclefiis. Papa dat hominibus Ecclefias, Ordinarius Ecclefiis homines; Ordinaria autem facultas eft favorabilis, ergo de ea, ut fibi conftet, pacifci licet. 2) Pontifex non habet poteftatem, uti Imperator, ab Electoribus, fed immediate a Deo, ergo non poteft obligare fucceffores. Refp. dift. conf. Quoad effentialia intrinfeca, & quæ ad jus Primatus fpectant. Conc. hæc nec a fe nec a fuis fucceffbribus abdicare poteft. Non poteft nomine dignitatis repræfentantis totam Ecclefiam fucceffores obligare per pacta publica N. Alias, uti fuperius dictum, nulla pax firma & ftabilis effet, & hoc illuforie promififfet Leo X. in fuis Concordatis Galliæ.

Fatemur utique, fi Pontifex videret conftantem abufum in collatione beneficiorum, ut femper illa Simoniace & indignis conferrentur, fuam poffe interponere authoritatem, vi fupremæ jurisdictionis, pri-

matus, & universalis illius Superintendentiæ, quam a se abdicare non potest, & aliter conferentes suo jure privare, aut censuris compellere ad conferenda dignis beneficia.

Quæres, an Germanis præscriptio vel exceptio de non receptis Concordatis suffragari possit, ita ut plus possint habere, quam per Concordata ipsis sit concessum?

Sententia contraria recepta & canonizata est in Curia Romana, affirmativam tuetur author, si enim in aliis juribus valeat præscriptio, præsertim centenaria & immemorialis, quare non contra Concordata?

Ajunt concordata juris esse publici, contra jus publicum autem non procedere præscriptionem. Resp. dist. Min. Contra jus publicum indivulse adhærens dignitati & ad primatum pertinens Conc. sic utique non potest præscribi contra Pontificem, ne ipse amplius invigilet universæ Ecclesiæ, leges pro tota Ecclesia condat, sicut nec contra Regem, ne amplius penes ipsum sit potestas ferendi leges &c. contra jus publicum commune, quod aliis etiam communicari solet, & ab aliis exercetur, Neg. 2) Concordata habent clausulam irritantem. Resp. quid tum, omnis Lex implicite saltem habet hanc clausulam, & tamen contra illam valet consuetudo. Reliquas argutias & objectiones vide in Authore.

Alia hic adhuc movetur quæstio, an totam nationem obligent Concordata? Zypæus, qui scripsit de Concordatis, ait pro tota quidem natione hæc facta esse, non autem totam nationem obligare, quia plures Ecclesiæ suis juribus institere, ut Herbipolensis, Bambergensis, quæ non habent menses Papales.

§. VII.

De primis Precibus.

Quæres I. Quid sint primæ preces?

Resp. Nihil sunt aliud, quam jus, quod habet Imperator ad unum beneficium in singulis Ecclesiis, vi cujus potest demandare Ordi-

Ordinariis, ut personæ a se designatæ, & non alteri beneficium conferatur.

Quæres II. An primæ preces per Concordata aut Conc. Trid. sint sublatæ?

In Concordatis exspectativæ, & in Concilio Trid. omnes omnino, etiam mentales, quas ad avertendum periculum captandæ mortis confinxere, sublatæ sunt, per hoc tamen primæ preces, quæ in effectu exspectativæ sunt, non sunt sublatæ, quia Ecclesia nimis reverens est, & sine speciali mentione summorum Principum juribus non censetur derogare; post Concordata tamen noluerunt Episcopi preces recipere, licet contra mentem Concordatorum, in quibus Imperator non de suis juribus voluit decerpere, id quod ansam dedit Friderico III. petendi indultum, qui primus illud obtinuit.

Quæres III. Unde Imperator hoc jus habeat?

Resp. Ex hac quæstione præjudiciali multa dependent, unde magna est inter Publicistas controversia & maxime agitata est hæc quæstio tempore Imperatoris Romani Josephi. Tuentur quidam hoc jus ex liberalitate Pontificis provenire, Protestantes hoc privilegium esse dignitatis Imperatoriæ, vel particulam adhuc antiqui juris investiendi per baculum & annulum affirmant, Catholici Germani ex consuetudine illud deducunt, & inspiciendo historiam revera est jus consuetudinarium, Thomasinus in libris de veteri & nova disciplina pulchre hoc deducit, & ostendit jus primarum precum eandem fere habere originem cum reservationibus. Hadrianus IV. circa medium sæculi XII. primus fuit, qui cœpit Episcopis recommendare, ad cujus exemplum etiam Imperatores tanquam fundatores & protectores Ecclesiarum subin unum vel alterum recommendarunt; quæ Recommendatio instar Pontificiæ degeneravit in mandatum, quibus demum etiam executorjales addidere, ut in ultimis Francisci I. precibus constituti sunt Electores Moguntinus & Trevirensis, ne preces suo effectu carerent. Primum diploma habetur sub Rudolpho Habsburgico 1270. in quo provocat ad antiquam consuetudinem, & sub Carolo IV. & ejus filio Wenceslao etiam reperiuntur, in quibus mentio fit juris & approbatæ consuetudinis, ex quo jure & approbata consuetudine Romani volunt deducere indultum petitum, sed

 cum

cum ante Fridericum III. & Concordata nullum poſſit oſtendi, ab hoc deducitur initium.

Quæres IV. An ſine Indulto Imperator jus ſuum exercere poſſit?

Reſp. Oligerius defendit negativam, & omnia indulta usque ad Fridericum III. adducit; Proteſtantes reſpondent ad majorem tantum cautelam hoc petitum eſſe; ſed quia Pontifex tanto tempore eſt in poſſeſſione, contrarium defendi vix poteſt, quia Principes per abundantes cautelas ſuis juribus tam facile non ſolent derogare. Interim tamen indultum non eſt mere gratioſum ſed neceſſarium, unde jus ſuum ſub ſpe rati exercent. Leopoldus Imperator, quia tum implicitus fuit bello Hungarico, & ad parcendum pecuniæ legationem obedientiæ non miſit, qua non miſſa non datur indultum, preces etiam ad Eccleſias non direxit. Succeſſit Joſephus, qui ante indultum preces dedit, & mortuus eſt interea in Eccleſia Hildesheimienſi Canonicus, de quo beneficio Pontifex providit Domino de Fürſtenberg, Imperator prohibuit illum recipere, quo per nuntium comperto Clemens XI. Bullam edidit, & in ea prohibuit preciſtam recipere, quam Bullam etiam ad exemplum illius Eccleſiæ reliquæ omnes ambabus manibus ſunt amplexæ, & ita Joſephinæ hac vice effectum non ſunt ſortitæ, ſucceſſit Carolus VI. qui obtinuit Bullam & novum etiam indultum pro precibus Joſephinis, in Conſilio tamen aulico quaſi non adeſſet indultum ſimularunt, & ſic duo preciſtæ ſimul dati ſunt. Carolus VII. illud etiam obtinuit, ſed quia nova quædam verba inſerta fuerunt, motus deſuper orti ſunt, & illud in forma Carolo VI. datum petiit, quod tamen factum non eſt.

Ex hoc deducitur, indultum utique eſſe neceſſarium, præcipue in quantum hoc jus eſt qualificatum, ut non tantum in menſibus ordinariis, ſed etiam Papalibus, beneficium conferatur, ut poſſit conſtituere Executores, qui cenſuris Ordinarios ad effectum compellant, licet aliqui ſimplex jus velint eximere ab hoc onere. Si ais

Hoc eſt inſtar patronatus, Patronus autem non debet indultum petere. Reſp. Neg. Ant. Patronus enim non habet jus, niſi vacante actualiter beneficio, hoc jus autem ante omnem vacationem exercetur.

In-

Quæres V. In quibus Ecclesiis Imperator preces possit interponere?

Resp. In omnibus tantum Ecclesiis Germaniæ, non in aliis feudis Imperii e. g. in Italia, & etiamsi hic subin aliquis Canonicus nullum plane conferat beneficium, quia tamen jus conferendi est penes Capitulum, quod plures quam quatuor habeat Canonicatus, etiam interponuntur. Ex hoc patet, quomodo in Germania intelligenda sint verba Bullæ, ut saltem collator quatuor possit beneficia conferre. Et secundum Bullam in generalibus beneficiis & parochialibus possunt interponi, usus tamen non habet, ut ad illa dirigantur preces. Quæres:

An, si dignitas vacet, etiam ad illam precista admittendus sit?

Resp. In aula Viennensi id tuentur, nos autem distinguimus, si beneficio præcise sit annexa dignitas, quia dum illud beneficium conferendum est, dignitatem etiam conferendam censemus, si autem dignitas non sit annexa, contrarium tuemur, quia preces tantum diriguntur ad beneficium, & tam parum videntur afficere dignitatem, ac afficerent alia beneficia, si e. g. mortuus in pluribus Ecclesiis habuisset beneficia, nemo enim dicet ad omnia hæc admittendum esse precistam, ratio ulterior est, quia in effectu alias duo darentur beneficia, dignitas enim sæpe pinguior est, quam ipsum beneficium; si tamen de consuetudine alicubi introductum esset, ut beneficium semper cum dignitate vacante collatum fuisset, valeret utique, alias autem, quia est Jus consuetudinarium, non plus censetur præscriptum, quam possessum.

Quær. VI. An præcise in locum defuncti Precista debeat admitti?

Prætendunt id etiam, & Herbipoli in novo Monasterio Vicarius quidam precista in locum defuncti Senioris & Scholastici voluit surrogari. Delata est res ad Imperatorem, ex consuetudine hic semper de novo incipere precistas; & rescriptum est, ut & hic de novo inciperet, cujus rei testimoniales jam plures petierunt Ecclesiæ, sed sit illis exceptio: rescriptum non a Consilio aulico, sed privatim emanasse.

Neque videtur major competere Imperatori facultas conferendi beneficia, quam collatori ordinario. Ordinarius autem ob statuta non

poteſt beneficium vacans aliter, quam ut de novo incipiat, conferre, ergo neque Imperator.

Aliud tamen eſſet, ſi in aliquibus Eccleſiis, ubi Imperator preces ad actualia beneficia dediſſet, ex poſt modo Canonici in herbis fuiſſent erecti, ſi enim alias preciſta verum obtinuiſſet beneficium, jam non poſſet cogi ad admittendam exſpectativam, ſed ante illos ad gremium & Capitulum admittendus eſſet.

Quænam requiſita debet habere preciſta?

Ex indulto Pontificis nihil ultra jus commune requiritur, ut ſit nempe quatuordecim annorum, &c. an autem teneatur probare nobilitatem ſecundum ſtatuta Capitulorum, vix videtur in dubium vocandum, cum Imperator juret ſe ſtatuta Capitulorum defenſurum, quibus itaque ſe ipſum per preces opponere non poteſt.

An etiam ſede vacante Imperii Vicarii jus habent preces interponendi?

Reſp. Defendunt id Publiciſtæ quidam ſubditi hiſce Vicariis, quia in aurea Bulla habetur, Vicarios habere poteſtatem præſentandi ad beneficia vacantia, ſed hoc de jure delegato explicandum, ſi Imperator non præſentaſſet, vel diu abſens delegaſſet alteri, ut fecit Rupertus ſuo filio hanc facultatem delegando, non autem ſede vacante, cujus nullum exſtat exemplum.

An etiam in Proteſtanticis Eccleſiis?

Reſp. In Inſtrumento pacis habetur, ut ſi in primo die Januarii fuerit in poſſeſſione, etiam in iis preces interponere poſſit, ſed magna eſt inter Catholicos & Proteſtantes diſceptatio, an actuale exercitium hic intelligatur. Proteſtantes id volunt, Catholici negant, ridicula enim eſſet hæc conceſſio, quia tum non potuit actuale habere exercitium, de facultate ergo præſentandi intelligendum hoc eſt, ſi ſcilicet hæc facultas non fuerit ipſi primo Januarii contradicta, id quod etiam obſervatur.

Quomodo

Quomodo exspirant preces?

Non exspirant, nisi post actualem collationem, hinc si precista moriatur, aut contrahat matrimonium, etiam post insinuatas preces, & acceptationem beneficii vacantis, non tamen actualiter collati, alteri potest Imperator preces dare. Vacans autem beneficium intra mensem debet acceptare, alias alteri potest illud conferri ab Episcopo, si tamen post mensem re adhuc integra se sistat, si necdum alteri sit collatum, ipsi adhuc debetur beneficium; potest tamen supersedere, si velit, & exspectare aliam vacaturam, si res sit integra, si enim semel acceptavit a Capitulo vel Ordinario vacans beneficium, non amplius est locus pœnitentiæ, & tenetur hoc acceptare, & non permittitur exspectare aliud.

Ad §. VI. Hujus Tituli.

Restant adhuc quædam superius omissa de quibus adhuc breviter ad N. 6.

Quæres I. Quis in collatione beneficiorum veniat nomine Ordinarii, an etiam legatus de latere?

Resp. Mirum est curialistas ejusmodi argutiis velle illudere nationi Germanæ, & nomine ordinarii, quo nomine in jure per antonomasiam venit Episcopus, velle etiam intelligere legatum de latere, de quo tamen certum est in Germania, illum excludi a collatione beneficiorum, non enim legati de latere, ut olim instar Præsidum, regunt Provincias, & neutiquam Germani in suis Concordatis. Curiæ & ejus officialibus, sed suæ nationi voluerunt prospicere, & si excluserunt ipsum Pontificem, multo magis personas ipsum repræsentantes. Venit ergo nomine Ordinarii Episcopus, successu tamen temporis ex concessione expressa vel tacita Episcopi hoc jus conferendi beneficia etiam ad inferiores pervenit, & vel consuetudine, vel præscriptione firmatum est. Videtur ortum habere a separatione bonorum mensæ & Capituli, ex potentia præcipue Canonicorum, qui dum elegerunt Episcopum per Capitulationes forte, quæ tum adhuc suum robur habuere, hoc jus conferendi beneficia sibi reservarunt. Maxime ergo in hoc attendenda est consuetudo & observantia. Sic Herbipoli in Cathedrali nullum

lum Episcopus confert beneficium, in aliis Collegiatis habet sex menses.

Quæres II. Quid sentiendum de pluralitate beneficiorum?

In hac materia, quo plures leguntur Authores, eo intricatior & confusior quis fit, plures approbant pluralitatem beneficiorum, plures acerrime in eam invehuntur, ex qua diversitate opinionum sequitur dictamen probabilismi & casuistarum: quod libet, licet, age, quod placet; & sic hæc res tanquam adiaphora & indifferens tractatur.

Quæres ergo III. quid de jure sentiendum?

Resp. In regula, juxta Canones qui in jure tum naturali & divino fundantur, pluralitas beneficiorum est de genere prohibitorum, quæ est sententia S. Thomæ, quod pluralitas beneficiorum non sit res adiaphora & indifferens, sed de genere prohibitorum; ista regula tamen suas habet exceptiones, possunt enim tales circumstantiæ concurrere, in quibus quis licite & tuta conscientia plura potest retinere beneficia. Prohibitam esse pluralitatem tum ex Historia, tum ex Canonibus & consectariis patet, per decem sæcula, ubi per ordinationem conferebantur beneficia, nunquam legimus ad duas aliquem Ecclesias esse ordinatum. In Conc. Lateranensi, ut habetur in *C. de multa* 28. *hoc titulo* multum hæc res urgebatur & prohibita est pluralitas beneficiorum, quia tamen circa personas sublimes reservata fuit potestas dispensandi, ansam id dedit frequentibus dispensationibus, quare Joannes XXII. in sua extrav. *execrabilis.* prohibuit dispensare in dignitatibus & beneficiis curatis, ibique aliquas recenset deordinationes, quæ ex pluralitate beneficiorum, tanquam ex vitiosa radice, quæ est ambitio & avaritia, pullulant.

Contra hanc pluralitatem maxime insurrexerunt quidam Patres Conc. Trid. quia tot mala, quin ipsas hæreses ex hac ortas animadverterunt, perorarunt non frigide & superficialiter, sed toto spiritu contra hanc pluralitatem agendo, actumque est de ea in *seff.* 7. *C.* 4. ubi citatur *Constitut.* Innocentii III. *de multa*, & simpliciter prohibetur, plura Curata aut alias incompatibilia beneficia possidere, & idem fit *seff.* 24. *C.* 17. *de reformat.* non tam severe tamen prohibentur plures Canonicatus, quam dignitates, & curata beneficia, quia non tanta incom-

incommoda & deordinationes fequuntur, fimpliciter tamen plures Canonicatus funt prohibiti, quia plura beneficia, quæ perfonalem requirunt refidentiam, fimul poffidere prohibetur: Canonicatus autem ex Conc. Trid. novem menfium refidentiam requirunt. Ergo. Quo majora autem fequuntur incommoda & deordinationes eo major requiritur caufa ad probandam exceptionem. Hinc major requiritur in Epifcopatibus, & dignitatibus, & curatis beneficiis, quam in canonicatibus, & fimplicibus beneficiis, quia majora inde fequuntur incommoda & deordinationes.

Exceptiones tamen funt ab hac regula. Prima: in Concil. Lateranenfi permittitur difpenfatio circa perfonas fublimes & litteratas. Secunda: in Conc. Trid. fi unum non fit fufficiens. Si ergo ejusmodi concurrant circumftantiæ, in quibus illæ deordinationes & incommoda majori bono Ecclefiæ compenfabuntur, licita eft pluralitas beneficiorum, alias obtinet illud S. Bernardi: potuiffes fine difpenfatione ire in infernum, nunc ibis cum difpenfatione.

Itaque quia perfonæ illuftres majorem Ecclefiæ conciliant fplendorem, & fuam impertiuntur protectionem & potentiam, fubin familias convertunt & reducunt ad Ecclefiam, litterati doctrina & laboribus fuis Ecclefiæ fuccurrunt, tuta poffunt confcientia, fi finem hunc impleant, plura retinere beneficia, & in Germania præcipue, ubi per plures annos Canonici Cathedralium non percipiunt fructus, fed ex propriis debent fe alere, donec perveniant ad fenium & capitulum, quia minor ibi requiritur refidentia, & magna portio eft affignata fubftitutis, qui jugiter peragant cultum divinum, fi præcipue ftudeant, ut fua doctrina poffint prodeffe, licet non femper adfint fuis Ecclefiis, quia unus Doctus una vice plus poteft prodeffe, quam decem ignorantes femper præfentes, licet fubinde ex fuis reditibus miracula S. Kiliani & S. Henrici fuperba fcilicet palatia excitent, & familiæ pauperi fuccurrant, quæ tamen dein memor fit, unde hæc bona provenerint, & iis uti ad protectionem Ecclefiæ ftudeat, tuta confcientia ex his circumftantiis, fi compenfentur hifce bonis illa incommoda, plura poffunt retinere beneficia. Si autem fint de ignavo illo genere hominum: nos numero fumus, &c. qui nec fibi, nec alteri profunt, in quibus nulla doctrina, nullus labor, qui reditus non ad fines bonos, fed fæpe peccaminofos, ad luxum & luxuriam impendunt, qui Ecclefiæ non fplendorem fed probrum & fcandalum dant, & illas deordinationes ag-

 gravant,

aggravant, videfint illi quomodo Domino Deo poſſint reddere rationes in Judicio. Porro

Quæres, an non ſaltem valeat conſuetudo in pluralitate beneficiorum, ſi non ſint incompatibilia?

Reſp. Eodem modo, ſi ex illa conſuetudine majore bono compenſantur deordinationes, valet, ſecus autem æque parum ac diſpenſatio, quia contra jus naturale & divinum non datur conſuetudo licita & valida. Ex conſectariis autem plura beneficia juri naturæ & divino repugnant.

ad N. 69. *Quæres ultimo, quid ſentiendum de Penſionibus?*

Penſiones nihil aliud ſunt, quam portio aliqua ex beneficio pinguiore decerpta, & alteri pauperi Clerico ob merita ſua aſſignata, ut congruam ſuam habeat ſuſtentationem, in quo nihil apparet mali, & ſi ita penſiones conſtituantur, laude potius, quam vituperio dignæ ſunt. Canones tamen ex æquitate naturali, ne Eccleſia ſuo ſervitio fraudetur, & is, qui officium habet, majore cum promptitudine illud adimpleat, & propter portionem alteri ſolvendam non fiat negligens, prohibuerunt penſiones conſtituere, quibus, Deo ſint grates, Germania noſtra fere eſt libera. In Italia autem vix ullum eſt beneficium, vix ullus Epiſcopatus, qui non ſuas ſolvere debeat penſiones. Accidit hinc, ut ſæpe beneficium impetret, qui animum clericandi non habet, ut illud ſub reſervatione penſionis iterum reſignare poſſit, quam frequentiſſime pro rata vitæ vendit, & turpem queſtum exercet, in quo ſane apparet, quam utiliter iſtæ penſiones ex Spiritu Canonum ſint prohibitæ, licet in Italia ſint frequentiſſimæ.

TITULUS VI.

De Clerico ægrotante vel debilitato.

Ut dictum eſt ſæpius, beneficium datur propter officium. Quæres ergo in hoc titulo, quid juris, ſi officio ſuo Clericus vel ob ſenium vel ob infirmitatem præeſſe non poſſit, & duo proditi ſunt modi, ut vel ſponte beneficium reſervata ſibi penſione reſignet, vel detur illi

illi Coadjutor, privari enim non poteſt, ne afflicto addatur afflictio, quod eſt contra regulas humanitatis.

Quæres, quis dare poſſit Coadjutorem? ad N. 2.

Epiſcopis Coadjutorem ſolus Pontifex dare poteſt. Eſt hæc una ex cauſis majoribus privative Pontifici reſervata, famoſa eſt hæc materia de cauſis majoribus in jure, quales ſunt, quæ in Conſiſtorio Pontificis tractantur, ut reſignationes, translationes Epiſcoporum, erectiones, uniones, exemptiones Epiſcopatuum &c. revocanda hic ſunt in memoriam, quæ de primatu Pontificis dicta ſunt, quod ſcilicet conſiſtat in ſpecialibus reſervatis, quorum alia ſunt primigenia & eſſentialia, quæ jure divino ei competunt, alia accidentalia & ſecundaria, quæ ſucceſſu temporis ex falſis decretalibus Iſidori Mercatoris ei acceſſerunt, inter quæ ſecundaria numerantur hæ cauſæ majores, & olim tractabantur in Conciliis Provincialibus.

Coadjutores autem alii ſunt temporales, alii perpetui, qui cum jure ſuccedendi dantur. Quoad temporales hanc reſervationem moderatus eſt Bonifac. VIII. *in Cap. unica hoc tit. in 6.* circa Epiſcopos tantum in remotis, id eſt ultra alpes exiſtentes, tres continet caſus, primum, ſi Epiſcopus ſit compos rationis, & petat Coadjutorem, ut poſſit aliquis a Capitulo per majora eligi: ſecundum, ſi autem ſit demens, duæ tertiæ requiruntur: tertium, ſi Epiſcopus ſit inhabilis, rationis tamen compos, & diſſentiat, tota res deferenda eſt ad Pontificem. Hoc de temporalibus Coadjutoribus. Pariter quod Epiſcopus in dignitatibus inferioribus, in Canonicatibus, Parochiis poſſit dare Coadjutores, intelligendum eſt de temporalibus. Cum ſpe ſucceſſionis enim in his etiam beneficiis ſolus Pontifex poteſt dare Coadjutores, multo magis jam in Epiſcopatibus, quia ſunt exſpectativæ, quæ ſunt in jure prohibitæ. Hinc etiam in Germania in inferioribus dignitatibus & beneficiis extra menſes Papales non valent, quia ſunt contra concordata, neque praxis circa Canonicatus habet locum, quia jam adeſt numerus competens, qui uno alterove ægrotante vel debilitato, cultum divinum debita ſolemnitate peragat, ita ut ſenes & infirmi fictione juris non tantum quoad fructus groſſos, ſed etiam quotidianas diſtributiones habeantur pro præſentibus. Habent etiam ſuos Vicarios, qui, ut majore cum pompa & ſolennitate cultus divinus peragatur, non, ut alii abeſſe poſſint, conceduntur. Igitur intelligendum hoc de Coadjutori-

 bus,

bus, ubi non eſt numerus competens, & cultus divinus negligeretur.

Circa Archiepiſcopos, & Epiſcopos frequentior eſt uſus & praxis in Germania, & frequentiſſima habemus exempla. Olim iſti Coadjutores tantum dati ſunt ad aſſiſtendum, & adjuvandum, hodie principaliter dantur ad ſuccedendum, ita ut ſine ullo interregno quam primum a morte Epiſcopi poſſint adire poſſeſſionem. Hinc

Quæres I. An iſtæ Coadjutoriæ, cum ſint expectativæ, non ſint contra Concordata?

Reſp. Per ſe loquendo affirmative, tribuunt enim jus ad rem, & impediunt electionem Capituli, in effectu autem non ſunt, quia breviter requiritur conſenſus Capituli. Non autem prævia requiritur electio, ſed ſufficit talis, qualis conſenſus, quia datio Coadjutoriæ privative reſervata eſt Pontifici.

Quæres II. An etiam requiratur conſenſus Epiſcopi?

Reſp. Ex regula humanitatis, non autem de jure neceſſitatis, facilius tamen ſine conſenſu Epiſcopi, quam ſine conſenſu Capituli dari poteſt Coadjutor, licet etiam rariſſimis in caſibus excludatur conſenſus Epiſcopi, quia difficile accidit præſertim ſenibus ſuos videre ſucceſſores, quia hi ſunt ſol oriens, illi occidens. Gratior autem eſt, & plus adoratur ſol oriens, quam occidens.

Quæres III. Quare in Germania frequentior ſit uſus & praxis dandi Coadjutores?

Reſp. Ad utilitatem & neceſſitatem Eccleſiarum, quia Epiſcopatus amplas habent Diœceſes, Principatus & Ducatus ſibi annexos, diuturnior vel brevis etiam vacatio cenſetur Eccleſiis eſſe damnoſa. Et quia Canones non tantam habent fiduciam in Capitulis, quæ communiter adminiſtrantur, communiter negliguntur, ſed quid, ſi juniores, qui ſe ipſos per ætatem regere non poſſunt, dentur Coadjutores?

Contingit ſubinde, ut recentiſſimum habuimus exemplum in Archiepiſcopo Toletano & Seviliæ Infante Hiſpaniæ, ut minores dentur Coadjutores, quia hodie præciſe dantur ad ſuccedendum, ita ut Epi-

ſcopis

ſcopis, antequam ipſi ad debitam ætatem pervenerint, morientibus, illi novis indigeant Coadjutoribus. Sed neque in hoc caſu Capitulum ob rationem ſupra datam accipit adminiſtrationem, ſed ſolet in eventum Pontifex in ſuis Bullis providere, & vel ipſe conſtituit adminiſtratorem unum vel alterum in ſpiritualibus, & iterum alium in temporalibus, vel Capitulo imponit, ut eligat adminiſtratores, reſervato tamen ſibi jure illos approbandi. Et plerumque major ætas requiritur ad ſpiritualia adminiſtranda ob majus præjudicium & periculum cauſarum, quam ad adminiſtranda temporalia, illa ætas autem in Bullis ſolet determinari. Si autem Coadjutor ipſe habeat ætatem, ipſe adminiſtret, ſi Epiſcopus e. g. in dementiam incideret. Sic dum ob ſimplicitatem Epiſcopo Auguſtano de Neuburg Epiſcopus Conſtantienſis datus eſt Coadjutor, Capitulum durante ſimplicitate voluit ſibi vindicare adminiſtrationem, ſed rejectum eſt Capitulum, & data eſt Conſtantienſi, qui dein Coadjutorem Spirenſem accepit.

Quæres ultimo, quid ſentiendum de iſtis Coadjutoriis?

Reſp. Si ex cauſa utilitatis vel neceſſitatis Eccleſiæ dentur, improbandæ non ſunt, quia fiunt in bonum Eccleſiæ, quoad minores autem ſpecialis intrat favor ſtirpis ſublimis, quia iſtæ domus ſua protectione & auxilio Eccleſiæ cenſentur multum prodeſſe; quæ etiam eſt cauſa, cur multa his concedat, quæ aliis negat.

TITULUS VII.

De Inſtitutionibus.

Eſt regula juris in 6. beneficia non niſi canonice poſſe conferri, nemo enim debet propria authoritate ſe intrudere. Nemo ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatus eſt a Deo, ut Aaron. Ut ergo omnia decenter & ordinate fiant, inſtitutio numeraria eſt ante, quam quis adeat poſſeſſionem beneficii. Eſt autem inſtitutio nihil aliud, quam canonica beneficii conceſſio cum omnibus emolumentis & juribus annexis. Alia autem eſt neceſſaria, quæ fit ad præſentationem Patroni, qui nunquam inſtituit, ſed merum jus habet nominandi, & deſignandi perſonam. Alia libera, dum Epiſcopus confert beneficium.

Alia deinde iterum est institutio collativa tituli, alia corporalis seu realis. Cum enim beneficia ad instar feudorum sint erecta, quæ de jure Longobardico morte etiam beneficiarii exspirabant, pleraque in feudis usitata, in beneficiis etiam sunt recepta. Sic quia in feudis duplex erat institutio, alia abusiva, seu verbalis, quæ plerumque fiebat traditione alicujus symboli, alia deinde realis quæ per actualem introductionem in feudum fiebat, ad exemplum duplex institutio introducta est in beneficiis, quarum altera est collativa tituli, & plerumque fit traditione alicujus symboli; Majores enim nostri, dum actum aliquem serium voluerunt agere, ejusmodi symbola adhibuerunt. Olim in Episcopatibus fiebat per baculum & annulum, hodie per gladium, in minoribus beneficiis subinde fit per impositionem Bireti, aut traditionem libri, vel panis, vel ostensionem cellæ vinariæ & granarii &c.

Alia dein est realis vel corporalis, quæ fit per actualem introductionem in chorum & stallum, & vocatur ex jure feudali investitura.

ad N. 7. In Parochialibus triplex quasi datur institutio, 1mo. collativa tituli, quæ in regula ad Episcopum arbitrum & supremum sacrorum antistitem pertinet, ex concessione tamen vel tacita vel expressa potest etiam inferiori competere, & olim pertinuit ad Archidiaconos, quorum nota est ruina.

Alia corporalis, quæ in regula ad Ecclesiasticos pertinet, & plerumque fit per Decanos. Notat tamen Author, hanc in temporalibus subinde competere Domino Territoriali vel Patrono, quam tamen non habent ex jure. Hinc illam debent ex speciali concessione, vel reservatione in fundatione, vel consuetudine probare.

Tertia est authorizabilis, qua cura animarum confertur, & hæc ex praxi & certa sententia curiæ ad solum pertinet Episcopum jure scilicet proprio & ordinario, quia ipse est pastor ovium, cujus oves sunt propriæ, ad ipsum ergo pertinet cura ovium, & dare cooperatores, quibus ille oves suas committat. Colligitur *ex C. 4. de offic. Archid.* qui obtentu consuetudinis curam animarum committere voluit, sed prohibitus est.

Jure ergo proprio inferiori hæc institutio non potest competere, subin tamen jure vicario. Exceptio tamen est, nisi inferior jurisdictionem quasi Episcopalem habeat.

Sic

Sic licet subin contingat, ut denominatio ad Patronum, institutio collativa tituli ad inferiorem, realis ad Archidiaconum, uti casus contigit in Diœcesi Trevirensi, pertineat, authorizabilis jure proprio ad solum pertinet Episcopum. Hinc Author in hac materia non est audiendus, qui hoc jus inferioribus vult vindicare.

TITULUS VIII.

De Concessione Præbendæ & Ecclesiæ non vacantis.

Maxime in jure prohibentur expectativæ, quia periculum præbent captandæ mortis, & viam subin dignioribus præcludunt. Non tanta enim cum consideratione & circumspectione conferuntur præbendæ necdum vacantes, cum faciliores simus in dandis exspectativis, quas morte forsan præventi conferre non possemus.

Ex his aliisque rationibus promissiones, quæ jure decretalium c. 8. ubi habenti Canoniam proxima debetur præbenda, & c. 14. hoc tit. valuerunt, a Bonifacio VIII. *in cap. 2. tit. eodem in 6.* omnes sublatæ ut de jure nullo modo stringant promittentem. **ad N. 4.**

Quæres, an per hanc etiam sublatæ sint Canoniæ in herbis, quæ re ipsa sunt exspectativæ?

Resp. De rigore juris etiam essent prohibitæ, sed famosam habemus in Germania distinctionem inter exspectativas simplices, & qualificatas. Simplices seu nude promissoriæ quocunque modo factæ non valent, qualificatæ autem, ubi prævio juramento recipiuntur in numerum Canonicorum, inferuntur Calendario, inducuntur in chorum & stallum, quia actualis hic intervenit collatio, generali consuetudine in Germania valent, & sicut quædam leges civiles tanto cum rigore non sunt receptæ a Germanis, ut de pactis nudis, constitutione dotum, ita etiam hæc Bulla tanto cum rigore non est recepta.

TITU-

TITULUS IX.

Ne ſede vacante aliquid innovetur.

Delicata hæc eſt materia, ad quam penitius, & cum fundamento inſpiciendam notandum eſt, variaſſe in hoc diſciplinam in tribus primis Eccleſiæ ſæculis, Epiſcopi ex monito ſapientis: *omnia fac cum conſilio & poſt factum non pœnitebit*, omnia agebant cum ſuo presbyterio, præſertim civitatenſi, factum inde ut decedente Epiſcopo hi continuarent adminiſtrationem, & quantum ex Hiſtoria conſtat non niſi ea, quæ moram non patiebantur, expedirent. Sæculo autem IV. dum cœpit exaltari Eccleſia, & hæreſes invaluerunt, ob diverſa factionum ſtudia & commoda privata, electio diu ſæpe dilata eſt, unde multæ turbæ, deordinationes, & incommoda orta ſunt, quæ res anſam dedit, ut presbyterio adempta ſit adminiſtratio, & data viciniori Epiſcopo, qui dicebatur viſitator vel commendator, interceſſor, interventor, non autem Cardinalis. In Gallia tempore præcipue Carolingicorum cum conſenſu Regis conſtituebatur Epiſcopus a Metropolitano, & dictus etiam eſt proviſor. Imperatores etiam, quia feuda dicebant vacare, ſæpe ſe immiſcuere adminiſtrationi ſæcularium, uti conſtat ex *hiſtoria*, quæ diſciplina duravit uſque ad Sæc. X. & XI. in quibus Canonici Cathedralium ob majorem unionem cum Epiſcopo & præpotentiam cœperunt excluſo reliquo Clero negotia cum Epiſcopo vivente tractare, & hoc idem jus ad inſtar presbyterii trium primorum ſæculorum Epiſcopo mortuo ſibi arrogare, ad quod maxime pervenerunt circa ſæculum XII. dum ad imitationem Cardinalium, excluſo reliquo Clero civitatenſi, jus eligendi privative ſibi reſervarunt, jus ergo, quod exercent ſede vacante, deſumendum eſt a ſæculo XII. & ſecundum praxin tum temporis introductam conditæ ſunt decretales Gregorii IX. & Bonifacii VIII.

ad N. 1. Quanta autem horum ſit poteſtas, major eſt difficultas, & ſicut publiciſtæ non ſunt concordes circa Vicarios Imperii, dum vacat Imperium, & alii majorem, minorem alii poteſtatem eis tribuunt, ſic etiam non conveniunt circa Capitula. Alii ſtatuunt regulam negativam, ut ſede vacante nihil innovetur, quæ rubrica, utpote completum habens ſenſum, vim & robur legis habet, quæ regula exiguam utique capitulis

pitulis

pitulis poteſtatem tribuit, cum nihil ipſis ultra expreſſa in jure concedat, quæ pauca ſunt.

Altera quæ eſt affirmativa, quod ſcilicet Capitulum ſuccedat in juriſdictionem Ordinarii, quæ eſt communior & practica, ampliorem Capitulis tribuit poteſtatem, quam regulam & nos cum Authore tenemus, cum exceptionibus tamen & limitationibus, ut habet Author.

Quæres, quo jure ſuccedat Capitulum in juriſdictionem?

Proteſtantes, inter quos & Bœhmer, conformiter ſuis principiis, quia non admittunt Hierarchiam, nec Epiſcopos jure Divino ſuperiores, ſed primos tantum inter fratres inſtar conſulis Züngenſis, ut ait Calvinus, & totam directionem Eccleſiæ penes communitatem ſtatuunt, ne primatum Pontificis debeant fateri, multum tribuunt Capitulis, & defendunt quod jure proprio ſuccedant, ex ratione etiam politica, ut ſæculares ſuos principes Epiſcopis præferant, Capitula vocant ſtatum Imperii, & condominium eis tribuunt, ut ſic poteſtas diviſa minus ſplendeat. Hinc pro-principes, pro-vaſallos Imperii, & adminiſtratores tantum dicunt Epiſcopos; quibus principiis mirum eſt accedere etiam, & iis inſiſtere Catholicos, inter quos eſt Cardinalis de Luca, qui mutuato termino ex jure civili, ait, Capitula ſuccedere jure velut accreſcendi, vel non decreſcendi, adeoque jure proprio, quod ſi verum eſt, Capitula æque ſunt ſucceſſores Apoſtolorum ac Epiſcopi, ſemper in habitu adeſſet juriſdictio penes Capitulum, quæ tranſiret in actum mortuo Epiſcopo; quomodo autem Eccleſia ſic diceretur viduata, carere defenſore legitimo, quomodo in *Cap.* 2. Capitulum diceretur fungi vice Epiſcopi, quam ob cauſam dormiret toto tempore ſedis vacantis præſcriptio, quare prohiberetur aliquid innovari? hæc omnia non cohærent cum his principiis. In jure feudali prohibentur Capitulum conferre feuda vacantia &c.

Aliud eſt de juriſdictione Decani, qui primus tantum inter fratres eſt, & omnem ſuam juriſdictionem nomine Capituli exercet, Capitulum etiam illimitate ei ſuccedit; Epiſcopus autem in ſpiritualibus vel immediate, ut dictum eſt, vel mediate a Deo habet juriſdictionem, in temporalibus autem a nexu feudali ab Imperio & Cæſare, a quo ipſe accipit inveſtituram, hinc non adeo illimitate huic ſuccedit Capitulum. Minus adhuc habet Collegium Cardinalium, quod ne quidem in actua-

le exercitium jurisdictionis Papalis succedit, sed tantum per capita ordinum administrat sæcularia, quod autem oratores prima vice genu flexi condoleant, ideo id se admittere dicunt, quod Papa sit inter ipsos, ratio autem est, quia jurisdictio Papalis est personalissima: *tibi dabo claves*, *pro te rogavi &c.* hos textus Sixtus V. cum quo ob senium se conregnaturos putabant, inter cœnandum querendo de onere sibi soli imposito, adhibuit ad significandum, male persuasos fuisse, qui de regimine participare voluerunt.

Succedit ergo jure vicario, delegato, tutorio. Et licet hanc delegationem non habeat ab homine, habet tamen a lege, sicut etiam habemus alios tutores legitimos, alios dativos in jure, sic Capitulum est tutor legitimus, & hinc ea, quæ ad statum pertinent, exercet, sicut tutor; licet non sit ipse status, ut vult Bœhmer.

Atque hæc est ratio, quod Capitulum limitato, & jure tantum Vicario succedat.

Hinc generaliter non potest 1mo ea, quæ sunt ordinis, ut ordinare, consecrare Ecclesias &c. nec succedit in ea, quæ indivulse dignitati Episcopali sunt annexa, sic nequit se scribere celsissimum. De his, quænam præcise inhæreant dignitati, magna est inter publicistas controversia. Sic disputant an Capitulum Moguntinum possit eligere Imperatorem, convocare Electores, & communior est negativa, quia hæc dignitati Archiepiscopali & Archicancellariatui sunt annexa; an habeat jus exercendi directorium? in hoc tamen magis sunt in possessione, & in his publicis multum attenditur ad observantiam.

2) Nihil potest statuere in præjudicium Episcopi & Ecclesiæ, continuat enim jurisdictionem, non invertit, hinc regula: nihil innovandum, quod idem est, continuandam tantum jurisdictionem esse: nihil etiam, quod in utilitatem & commoda privata deflectat. Salus Ecclesiæ suprema lex esto, et si ad salutem hujus agant, nemo unquam eis contradicet, & in hoc aurea mediocritas observanda, & cuique suum dandum.

3) Non potest ea, quæ jure delegato competunt Episcopis. Vacante nuper per mortem Friderici Caroli sede Herbipolensi, speciales facultates Vicario Generali Seitz concessæ sunt quoad Ecclesias Bambergensem & Wirceburgensem, quæ res magnas turbas & motus concitavit, ac si Pontifex violaret jura Imperii & Capitulorum. Sed bene

ne respondit modernus adhuc Pontifex, has facultates se etiam religioso dare posse, liberum sibi proinde esse, has concedere, quas etiam Episcopi singulis quinquenniis debent petere. Si tamen sit delegatus a jure, quia sic prior jurisdictio, quæ competit in habitu, est restituta, uti in multis casibus a Con. Trid. Episcopus est delegatus, etiam Capitulum succedit.

4) Generaliter tantum potest expedire ea, quæ non commode possunt differri, quod ultimum tamen non ita accurate observatur. Ex his facile particulares illas cum Authore conclusiones deduces, adverte adhuc:

Quia ex Con. Trid. non potest dare demissoriales, ut congregatio Cardinalium respondit Capitulo Constantiensi desuper quærenti, non potest dare licentiam suffraganeo ordinandi, quia est Episcopus alienæ Diœcesis, quo tamen non obstante praxis est contraria. ad N. 13.

Hoc tamen exacte non observatur & tanto cum rigore Con. Trid. receptum non est, licet enim Capitulum Oeconomos constituat, pleraque tamen debent referre, & Capitulariter illa tractantur. Ratio hoc statuendi fuit, quia segnius expediunt commissa negotia plures. ad N. 15.

Quæres ultimo, an Capitulum etiam succedat in jurisdictionem sæcularem, Jus territoriale, comitialia, regalia &c.

Resp. Affirmative, & plura habemus præjudicia, Capitula vocata esse ad comitia, suos misisse legatos, &c. licet enim Capitula non habeant investituram, quia tamen sunt legitimi Curatores, idem agunt, quod Principalis, licet non sint status Imperii, nec habeant delegationem ab homine, habent tamen illam a jure, & instar tutorum legitimorum agunt. Excipiuntur ea, quæ indivulse adhærent dignitati, de quibus consulenda est observantia.

TITULUS X.

De his quæ fiunt a Prælatis sine consensu Capituli.

Magna est Capitulares inter & Episcopos hac in materia æmulatio, inclinant hi in Monarchiam, & Capitulares suos tantum Consilia-

rios & Senatores dicunt; prætendunt illi ariſtocratiam, & ſe condominos conregnantes vocant, in quam ſententiam etiam Lutherani abeunt, ut poteſtas diviſa minus ſplendeat, & Epiſcoporum authoritas minuatur. Jura tamen magis favent Epiſcopis, & *C.* 3. *b. tit.* dicit, valere conſuetudinem per frequentatos actus introductam ad excludendum conſenſum Capituli vel Conſilium.

Quoad conſenſum pauca ſunt in jure determinata, & hodie fere non niſi in alienatione volunt illum requirere. Ultra caſus autem in jure determinatos conſenſus non requiritur. Plura tamen per ſtatuta Capitularia ſibi reſervarunt, de quibus obſervantia conſulenda, quid autem de his capitulationibus ſentiendum, alibi dictum eſt. Quoad Conſilium convenit utique Canonicos cathedrales adhibere in negotiis arduis, ſi tamen ſcientia ſufficiente polleant, quem in finem etiam Conc. Trid. voluit, ſaltem aliquos Doctores eſſe in Eccleſiis cathedralibus, ſi tamen Conſilium ab iis peti non poſſit, de neceſſitate non eſt; ajuntque Principes, ſe non minus eſſe Principes, quam alios, & poſſe ſibi conſiliarios conſtituere Collegia & Dicaſteria, per quæ ſua expediant negotia, & ſiquid cum Conſilio Cathedralis Senatus hodie Epiſcopus agat, non tam Capitulariter illa tractantur & Collegialiter, ſed privatis tantum unus vel alter intereſſe ſolet Conſiliis.

TITULUS XI.

De his quæ fiunt a Majore parte Capituli.

Occaſione illius, quid poſſit Prælatus ſine conſenſu Capituli, agitur jam de Capitulo, quomodo actus a Capitulo ſint expediendi.

Tria autem requiruntur, ut actus Capitulariter & Collegialiter fiat, 1mo ut Capitulum ſit convocatum, ut ſua quiſque ſenſa poſſit, & rationes proponere; 2do ut deſuper tractatus fiant, ut cum deliberatione procedatur. 3tio ut adſint majora reſpectu Capituli congregati.

Quæres, quis poſſit Capitulum convocare?

ad N. 1. Reſp. Prælatus Generalis Capituli eſt ipſe Epiſcopus, & ad negotia, in quibus Epiſcopus indiget conſenſu vel Conſilio Capituli, ad ipſum

ſum pertinet Capitulum convocare, ſi autem de ejus vel conſanguineorum Intereſſe agatur, negant aliqui, alii concedunt poteſtatem congregandi Capitulum, non tamen in hoc caſu intereſſe licere, ut majore cum libertate vota dari poſſint. Prælati ſpeciales ſunt Præpoſitus & Decanus, & licet præpoſitura ſit prima dignitas, in plerisque tamen Eccleſiis Germaniæ Capita & Præſides Capitulorum ſunt ipſi Decani, ita ut in quibusdam Eccleſiis Præpoſiti plane ſint extra Capitulum, ut ſi non ſimul præbendam habeant, nequidem votum habeant. In iis ergo negotiis, quæ concernunt Capitulum ad Decanum pertinet convocare Capitulum. Iſta autem convocatio ſubinde fit per pulſum majoris campanæ, ſubin per nuntios vel litteras. Debent autem vocari, qui debent & poſſunt intereſſe, & jus ſuffragii habent. Et generaliter quidem tantum præſentes, abſentes autem non vocantur, extra tres caſus hic in jure expreſſos, 1) in cauſa electionis novi Prælati. 2) Receptionis Canonici, 3) in ceſſationibus a divinis. An autem in ſimilibus vel gravioribus cauſis etiam abſentes non ſint vocandi, authores non conveniunt, alii contendunt in his circumſtantiis abſentes vocandos, quia vocatio abſentium in his caſibus demonſtrative & exemplificative in jure eſſet adjecta, non taxative & reſtrictive; contrarium tenent alii, & volunt, ut ſaltem in negotiis arduis & gravioribus duæ tertiæ vocentur & adſint. Habent etiam capitula generalia, quæ vocant peremptoria, in quibus omnes etiam non citati comparere debent, & hæc fixis diebus bis vel ter in anno habentur, in quibus etiam recipiuntur Canonici, & aliæ cauſæ tractantur Qui non comparent, privantur aliqua parte fructuum. ad N. 2.

Porro, ut dixi, requiritur ut tractatus deſuper fiant, & rationes votandi dentur, ut majore cum deliberatione res agatur, his enim rationibus ſæpe alii a præconceptis opinionibus dimoventur, & aliud in Capitulo, quam extra illud ſtatuunt, & ſi quis ſe non ſatis inſtructum diceret, neque periculum eſſet in mora, poſſet petere dilationem Capituli, ut rem accuratius & plenius poſſet inſpicere & ſuum votum dare. Demum requiritur ut major pars reſpectu totius Capituli legaliter congregati conſentiat, & licet ex Spiritu Canonum etiam ſanior requiratur, ob tricas tamen innumeras inde orituras, hodie non ponderantur, ſed numerantur vota. Subin in minoribus negotiis ſufficiunt majora, reſpectu ſingularum factionum, ſi autem agatur de intereſſe ſingulorum, non de univerſitate; requiruntur unanimia, & melior eſt etiam unius contradicentis contradictio.

TITULUS XII.

Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.

Quæres I. Quare Canones velint beneficia sine diminutione conferri?

Hæc rubrica habet sensum perfectum & vim legis, hinc in regula prohibita est a Canonibus diminutio beneficiorum, ob æquitatem & rationem in jure naturali fundatam, cum enim beneficium detur propter officium, æquum est, ut qui integrum debet explere officium, toto etiam gaudeat beneficio, quia alias non tam prompte, accurate & alacriter impleretur officium, non enim omnes tam depuratam habent intentionem, ut ex finibus sublimioribus agant, & sic fraudaretur Ecclesia suo Ministerio, & contra mentem fundatorum, qui nihil otiosis voluerunt relinquere, ageretur.

Ab hac regula autem sunt exceptiones, quæ tamen nonnisi ex causis canonicis, necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ deberent fieri, sed dolendum est ea, quæ sunt exceptionis, cupiditate, ambitione, & avaritia hominum degenerasse in regulam.

Quæres II. quot modis fiat diminutio?

ad N. 1. Resp. quinque hic assignatis. Hi autem modi quoad beneficia inferiora ab ordinariis possunt judicari, quoad divisiones, dismembrationes, uniones Episcopatuum debet intervenire judicium Pontificis, quia hæ sunt causæ majores & privative reservatæ.

ad N. 9. Odiosa inter cæteros modos est etiam unio, quia sic una Ecclesia privatur suo Ministerio. Unio autem est duplex, alia temporalis, dum in gratiam alicujus ad tempus vitæ beneficium unitur, alia est perpetua, dum pro semper beneficium unitur alteri. Frequentissimæ fuerunt hæ uniones ante Concil. Trid. temporales ad palliandam pluralitatem beneficiorum fiebant, & quia sic in fraudem legis factæ sunt, ab eod. Con. omnino sublatæ & prohibitæ sunt. Super perpetuis etiam multum est disputatum, quia est species alienationis, & varia in variis sessionibus edita sunt decreta, ut nonnisi ex causa canonica fiant; in Gallia nonnisi in forma Commissoria cum consensu Regis, ex Concil. Constantiensi de-

desumpto modo, uniones fieri possunt; in Germania etiam in forma gratiosa; plures autem casus sunt in eodem Concilio expressi, in quibus unionem facere licet, maxime simplicium, quia his otiosi plerumque sustentantur homines, ut vel tenuibus Parochianis vel Cathedralibus, si cultus divinus non digne ob incompetentem numerum Canonicorum posset ibi peragi, vel seminariis &c. uniantur. Eodem modo permittitur etiam unire Monasteria desolata, ubi non est amplius disciplinæ vigor.

Maxime autem prohibuit uniones Parochiarum, quod olim fuit frequentissimum, & maximum Ecclesiæ vulnus inflixit, pleræque enim pinguiores Parochiæ erant unitæ Cathedralibus, monasteriis, factum inde, ut qui sacramenta administrarent, labores subirent, modica portione de tunica debuerint esse contenti. Hinc plerumque homines rudes, parum apti præficiebantur, qui nec verbo, nec exemplo populo potuerunt præesse, ut ipsi status Imperii inter cæteros articulos gravatorios, quos Nuntio Apostolico tempore Lutheri Norimbergæ dederunt, hunc adjunxerint. Hinc statuit Concilium, ut nullæ amplius Parochiæ nec Abbatiis, nec Cathedralibus, aut quibuscunque dignitatibus aut beneficiis vel Monasteriis uniantur, & factæ uniones per 40. retro annos, si non in forma & legitima causa factæ fuissent, revideantur & rescindantur, & sic pleræque Parochiæ superiores sunt suppressæ. In Gallia ultra 100. annos illas annullarunt, si non cum consensu regis, & citatis iis, quorum interesset, & in forma commissoria factæ fuerint.

TITULUS XIII.

De Rebus Ecclesiæ non alienandis.

Dictum est in tit. præcedente, ut beneficia sine diminutione conferantur, ut qui integrum præstat officium, integro etiam gaudeat beneficio, ut prompte magis & alacriter cultus Divinus peragatur, ex hac aliisque rationibus in hoc tit. prohibetur alienatio bonorum Ecclesiæ.

Quæ-

Quæres I. Quare ergo sit prohibita?

Resp. Multi putant ideo prohibitum esse bona Ecclesiastica alienare, quia sunt bona divina, Deo dicata, & sic quasi juris divini. Verum, si hæc est ratio, nulla contra illa valet præscriptio, quia contra jus divinum nulla valet præscriptio, nulla consuetudo, quæ tamen ab omnibus admittitur aliis, quia sunt quasi spiritualia, sed in hisce bonis nihil est spirituale. Vera igitur & fundamentalis ratio est, ne Ecclesia bonis destituta non possit alere & sustentare Ministros, & sic cultus divinus corruat; & ut nitida & munda servari possit Ecclesiæ supellex, & Ecclesiæ non pateant ruinis, aut collapsæ possint reparari.

Alia tamen fuit disciplina Ecclesiæ in tribus primis sæculis, ac nunc est. Olim, dum adhuc fervebat charitas, tota administratio soli Episcopo fuit relicta, quando autem refrigescente charitate Episcopi suis commodis, non Ecclesiæ emolumentis studere cœperunt, circa Sæculum IV. adempta est ipsis hæc administratio, ut non pro libitu amplius de Ecclesiæ bonis possent disponere.

Quandonam autem prima sit inhibitio facta dubium est. Habemus quidem Canonem inter Apostolicos quem tamen critici suppositititium dicunt, quidquid sit, de hoc certum est talem inhibitionem pro Ecclesia Constantinopolitana factam esse primo sub Leone Imperatore, quem dein imitatus Justinianus, hanc extendit ad universam Ecclesiam, & hodie est lex certa & pragmatica, unde etiam Ecclesiæ manus mortuæ vocantur, quia, quod acquirunt non amplius dimittunt.

Quæres II. Quid nomine Ecclesiæ in hoc titulo intelligatur?

Resp. Licet nomine Ecclesiæ alias veniant templa Deo dicata, hic tamen intelliguntur omnia loca pia & religiosa, ut seminaria, hospitalia, monasteria &c. quæ authoritate Episcopi ad usus pios, ad opera charitatis & pietatis sunt destinata.

Quid ergo prohibetur potissimum?

ad N. 1. Resp. Omnes contractus translativi Dominii, sive pleni, sive minus pleni, si sint de rebus immobilibus, vel mobilibus pretiosis, potissimum continentur in famigerata *extrav. ambitosæ h. t. inter communes.* Videatur Author.

Nisi-

Nisi sint exiguæ. Quænam autem sint exiguæ, hoc ex statu Ecclesiæ & Prælatorum cognoscendum. Res enim, quæ sunt magnæ respectu Prælati aut Ecclesiæ pauperis, possunt esse exiguæ respectu Episcopi, qui simul est status Imperii & Princeps. Ex stilo Curiæ exiguæ sunt, quæ non excedunt valorem 25. florenorum, sed hic extra Alpes non attenditur, quia specialibus hisce ordinationibus Episcopi in partibus non ita subjacent. ad N. 3.

Vel ab antiquo alienari solitæ. Sic feudum apertum posset Episcopus suæ familiæ dare absque consensu Capituli, uti Pontifex hic respondet Archi-Episcopo Mediolanensi. In pluribus locis Capitulares per speciales Capitulationes hunc consensum præstandum reservarunt, sed quam vim obligandi habeant, jam constat. His ergo non obstantibus sine periculo nullitatis posset absque consensu feudum conferre. Interim tamen, si Ecclesia per injurias temporum esset depauperata, & ipsa feudo suo indigeret, Capitulum in hoc & aliis casibus esset legitimus Contradictor, & rem posset deferre ad Pontificem & Imperatorem, ut impediant collationem feudi, & illud Ecclesiæ incorporent, quod, si iterum sit incorporatum, deinceps absque debitis solennitatibus in alios transferri nequit. ad N. 4.

Ulterius notandum, bona Ecclesiæ alia esse dotalia, quæ ex primæva institutione in dotem, sine qua non ædificantur Ecclesiæ, ut infra audietur, sunt assignata, quibus sustententur Ministri, procuretur supellex &c. & hæc difficilius alienantur, & nonnisi ex gravissimis & difficillimis rationibus, imo sunt ex Protestantibus etiam, qui ajunt, hæc bona ad instar dotis, quæ etiam consentiente uxore alienari, aut durante matrimonio præscribi nequit, plane esse inalienabilia & inpræscriptibilia. De hisce etiam bonis intelligunt nostri juramentum Episcopi, quod nolit absque consensu Pontificis bona suæ mensæ permutare, vendere, donare, &c.

Alia bona sunt communia, quæ non præcise in dotem assignata sunt. Non solum autem alienatio, sed etiam oppignoratio & hypothecatio prohibetur. Capitulum autem prohibens loquitur tantum de Hypotheca speciali, ex hoc deducunt plurimi generalem adhuc esse permissam, quia periculum non sit tam propinquum, sicut in speciali.

ad N. 9. *Quæres III. An alienatio sit strictæ vel largæ interpretationis?*

Occasione hujus movet hic Author quæstionem, an valeat repudiatio hæreditatis, & bene respondet, quia utique sunt distincta, non acquirere, & alienare, quod debeamus manere in proprietate verborum, & sic, quia ante acceptationem hæreditas non est in bonis Ecclesiæ, eam non posse dici alienatam. Aliud tamen est in legato, quia Dominium fictum & civile ipsa morte transit in legatarium, adeoque hanc esse alienationem, quæ largioris esset interpretationis, licet stricte non sit.

Aliud est in Marito, respectu dotis, quia ibi restringitur ejus Dominium, est strictæ interpretationis ipsa alienatio.

ad N. 14. *Quæres IV. An ergo simpliciter sit prohibita alienatio?*

Resp. Affirmative, nisi copulative concurrant hæ duæ causæ, utilitas, & necessitas. Necessitas autem ex stilo curiæ debet esse præcisa, hoc est, ut nullo alio modo Ecclesia possit juvari, nisi præcise hoc medio, & utilitas non debet esse qualiscunque, sed evidens, hinc rescripta vocantur in ***evidentem***, subintellige utilitatem data, quia semper dantur cum clausula, ***si in evidentem utilitatem &c.*** Non sufficit ergo, Ecclesiam inde nullum pati damnum, sed evidenter debet inde percipere commodum: causa pietatis in jure maxime recommendatur ad captivos ex manibus infidelium redimendos. Hisce ergo causis concurrentibus alienari possunt, ne, quod in favorem concessum, in odium retorqueatur, ut autem valida sit alienatio, solennitates præscriptæ observandæ.

Et olim quidem sufficiebat, ut Episcopus a Capitulo collegialiter congregato, in quo desuper tractatus institutus fuit, majora vota haberet, nisi in favorem familiæ suæ aut consanguineorum fieret alienatio, quia hæ maximæ sunt suspectæ, & suam his non potest interponere authoritatem, quia facto proprio, in quo simul est Judex & pars, nemo potest intendere.

ad N. 15. In Prælatorum autem alienatione suam Episcopus interponebat authoritatem.

Jure autem novo, ut dicit Cardinalis de Luca, ad essentialem, & necessariam formam & solennitatem requiritur consensus summi Pontificis

tificis ex *extrav. ambitiosæ C. 2. hoc titulo in 6.* quam constitutionem Romani volunt esse in viridi observantia, quod tamen non ita passim videtur esse receptum in Germania quoad quæcunque bona. Quoad bona mensæ concedimus, quia Episcopi jurant, bona mensæ inconsulto Pontifice non donare, &c. & verba formalia hæc sunt: *Possessiones ad mensam meam, vel Monasterium meum pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Capituli Ecclesiæ meæ, inconsulto Romano Pontifice &c.* Item si in suam aut consanguineorum utilitatem Episcopus vellet alienare, quia tunc non adesset superior; aut si res esset notabilis, si totum castrum, quod multos haberet reditus, vellet alienare, quia esset species dismembrationis, & hic non tantum Pontifex, sed etiam Cæsar suam deberet interponere authoritatem, quia sic feuda Imperii minuuntur. In tota Gallia nulla potest fieri alienatio sine consensu regio; in Germania autem, si non sit notabilis, nec Imperatoris, nec Pontificis requiritur consensus, interim tamen si ejusmodi alienatio absque consensu Pontificis facta, Romam deferretur, utique cassaretur, & annullaretur.

Constitutio autem potissimum loquitur de alienatione in laicos facta. Hinc inferunt, alteri Ecclesiæ factam sine consensu Pontificis ex ratione in Authore valere. **ad N. 16.**

Quis ergo effectus, si alienatio sine debitis solennitatibus facta sit? **ad N. 17.**

Resp. Simpliciter est nulla, ut ex stilo curiæ non tantum nullum jus transferatur, sed etiam possessio civilis maneat apud Ecclesiam, ut non tantum rei vindicationem, sed etiam interdictum retinendæ possessionis & remedium spolii intentare possit, & Romæ communiter interdictum retinendæ possessionis instituitur, & si quis etiam modico tempore naturalem habuisset possessionem, & hac spoliatus esset, non esset ante omnia restituendus, ut colligitur *ex C. 2. de restit. spoliatorum.* Nisi in continenti evidenter docuerit de justitia tituli, novissimum hujus præjudicium habuimus in Buchold, a cujus possessione dejecti Comites ab Ingelheim, non sunt statim restituti, quia fortissima juris præsumptio est pro Ecclesia, ut in dicto Capitulo ratione decimarum pro Parocho.

Pœnæ tamen, quas hic commemorat Author, non sunt receptæ, uti nec illud, quod in N. 12. de locatione ultra tres annos commemorat, in quo praxis & consuetudo aliter habent.

TITULUS XIV.

De Precariis.

Hic contractus hodie non amplius est in usu, unde non vacat huic multum immorari. Quid sit, lege in Authore.

Olim frequentes fuerunt istæ precariæ sub Imperatoribus præcipue munificis Carolo Magno &c. quos imitata Ecclesia ob abundantiam bonorum pauperibus ad sustentationem precarias concessit, & quia hæ imitabantur feuda, quorum alia sunt data, alia oblata, etiam precariæ aliæ erant datæ, quando ex bonis Ecclesiæ jam acquisitis & possessis ad preces aliquid concedebatur, & hæ a præstando vocabantur præstariæ, aliæ oblatæ, dum fideles sua bona cum reservatione sustentationis ex illis Ecclesiæ obtulerunt. Hæ utique, quia cedunt in utilitatem Ecclesiæ, & ad acquirenda bona, a solo Prælato acceptari possunt, aliæ autem, quia ad alienandum tendunt, sine solennitate fieri non possunt.

TITULUS XV.

De Commodato.

Postquam egit Pontifex de contractibus prohibitis ab Ecclesia, jam ad speciales quosdam contractus transit, & ad actus inprimis inter vivos, dein inter mortuos, & agit de ultimis voluntatibus, quæ cum ad jus civile pertineant, ne falcem mittamus in alienam messem, ad illud lectorem remittimus. Habemus enim tantum unicum capitulum de commodato in jure Canon. quod lege.

Quæres, an commodatum possit ob propriam indigentiam revocari?

Videtur affirmative, respondendum ex *L. 3. ff. de locato*, quia & hoc ob propriam indigentiam revocari potest, etsi pro mercede datum, multo magis ergo commodatum, quod gratis conceditur. Negativa tamen certa est, quia commodatum est species donationis, beneficia autem revocare, non est arbitrarium.

TITU-

TITULUS XVI.

De Deposito.

Duo habemus capitula de Deposito; quæ lege, aut inspice Authorem.

Quæres, an in deposito beneficium retentionis locum habeat?

Resp. Negative, quia hoc esset contra exuberantem bonam fidem, etsi etiam debitum esset liquidum, nisi ex ipsa re deposita debitum oriretur, ut si expensæ factæ in equum infirmum, si canis scabiosa deposita propriam infecisset. Licet enim hic detur actio contraria, securior tamen est ipsa retentio.

TITULUS XVII.

De Emptionevenditione.

Priores duo contractus fuerunt reales. Jam agit Pontifex de quibusdam censualibus, & inprimis, quid sit emptiovenditio, dein, quomodo illa impugnari possit.

Quæres, quando ex *L.* 2. agitur de rescindenda emptione, an libellus debeat esse alternativus, ut vel rescindatur emptio, vel suppleatur læsio, & an judex alternativam debeat proferre sententiam, ut vel emptio nulla sit, vel læsio suppleatur? Habemus hic Capitulum, in quo Alexander III. id statuit, & reprobat sententiam Episcopi, qui in venditione sylvæ alteri illam ob læsionem rescidit, cum alternative debuisset proferre sententiam, ut vel rescindatur emptio, vel pretium suppleatur, id quod carpunt Civilistæ & Protestantes præcipue, ajuntque, Pontificem deceptum a glossatoribus antiquis jus civile non bene assecutum esse, quod præcise ad rescissionem agendum statuit, nec sententiam alternativam admittit. Verum quidem est, quod in arbitrio lædentis sit supplere pretium, reus autem præcise debet ad rescindendum agere, nec Judex sententiam alternativam ferre potest, sicut in restitutione in integrum præcise agitur ad restituendum, licet in arbitrio læ- ad N. 13.

dentis sit supplere læsionem, & sic impedire, ne in ordine ad restituendum agatur.

Adverte adhuc pacta illa, quæ adjiciuntur subinde, alia esse resolutoria emptionis venditionis pro nunc & pro tunc, ut pactum in diem, & legis commissoriæ. Alia resolutoria pro nunc tantum, & non pro tunc, ut pactum de retro vendendo; & notabiles habere juris effectus, in prioribus enim, si interea imponeretur rei venditæ servitus &c. non valeret, bene tamen in posterioribus, quia ibi dominium jam est translatum.

ad N. 17. *Quæres II. Quid specialiter vendi probibeatur jure Canonico.*

Resp. Res omnes spirituales pro pretio temporali, res item immobiles vel mobiles pretiosæ sine causa & solennitate. Vide tit. de rebus Ecclesiæ non alienandis.

TITULUS XIX.

De Permutationibus.

ad N. 4. *Quæres, an ergo valeat permutatio beneficiorum?*

Resp. Passim jam auditur, dare beneficium pro beneficio rem esse indifferentem & licitam, sicut etiam praxis curiæ Romanæ approbat, resignationes in favorem, dummodo reservetur beneplacitum Apostolicum, a quo volunt impediri contractum illicitum. Interim tamen certum est, nullum contractum circa beneficia inter se permutanda valere, cujus genuina est ratio, quod omnia beneficia, cum tendant ad officia publica, sint a commerciis privatorum exempta, quidquid autem non est in commercio privatorum, de eo nullum pactum, nullus contractus est validus.

In Casu ergo, quo duo vellent permutare beneficia, quorum unum tenue, alterum pinguius esset, nihil possent, quam causas & motiva Episcopo proponere, quibus cognitis ipse authoritate propria alteri ex causa utilitatis vel necessitatis personam aliquam constituat, quod fieri posse authoritate Episcopi, supra notavimus.

TITU-

TITULUS XX.

De Feudis.

Quia actum est superius de rebus Ecclesiæ non alienandis, species autem alienationis est infeudatio, subjungitur hic in jure Canonico materia de feudis, quæ secundum amplitudinem suam plus temporis requireret. Nos ea præcipue, quæ ad jus Canonicum spectant examinabimus, cætera, quæ ad jus feudale spectant aliis relinquemus. hinc

Quæres I. Quid in genere de jure feudali observandum?

Resp. Jus feudale est merum jus consuetudinarium, hinc etiam consuetudines feudales vocantur, & nonnisi in subsidium in Imperio adhibentur, conscriptæ sunt illæ consuetudines feudales Longobardorum a Consulibus Mediolanensibus. In Imperio ergo primo inspiciendus est tenor investituræ, dein praxis & consuetudo curiarum feudalium, & in defectu modo ad jus Longobardorum recurrendum est.

Quæres II. Quid sit feudum? ad N. 2. & 4.

Definitionem vide n. 2. & 4. adverte vasallagium illud, quod ob fidelitatem præstat vasallus, nullam omnino importare subjectionem, neque dominus directus Imperium in vasallum nanciscitur, uti constat de pluribus Principibus, Ducibus, qui feuda ab Ecclesiis Abbatialibus habent, ideo etiam non homagium, sed vasallagium præstatur.

Quæres III. Quotuplex sit feudum? ad N. 9.

Resp. Varie illud distinguitur, a nobis præcipue attenditur divisio feudi in sæculare & Ecclesiasticum. Quid sit utrumque vide n. 9. Ecclesiastica autem feuda sub duplici statu possunt considerari, vel quatenus proficiscuntur ab Ecclesia tanquam domina directa, & hæc proprie feuda sunt Ecclesiastica, vel quatenus ab alio data ab Ecclesia, vel persona Ecclesiastica possidentur, & hæc minus proprie Ecclesiastica feuda aliqui appellant.

Quæ-

Quæres IV. Quis possit infeudare rebus Ecclesiasticis?

Resp. Quia dictum est, infeudationem esse speciem alienationis, hinc in regula est de genere prohibitorum, & sicut ad alienationem, ita & ad infeudationem requiritur præcisa necessitas, & evidens utilitas cum solennitatibus, & juramento Episcoporum inseritur, nec denovo infeudato his requisitis concurrentibus potest infeudare Episcopus, vel alius Ecclesiæ Prælatus.

Excipitur nisi sit res ab antiquo infeudari solita, hæc enim sine consensu Capituli absque periculo nullitatis posset de novo in feudum dari; si tamen Ecclesia ob injurias temporum depauperata ipsa indigeret, Capitulum esset legitimus contradictor & posset rem deferre ad Papam vel Imperatorem, ut impediret infeudationem. Subin tamen dantur feuda, quæ cum hac constitutione concessa sunt, ut iterum nobilibus, vel statibus provincialibus darentur in feuda, ne horum numerus vel potentia minuatur, & hæc omnino non possunt incorporari Ecclesiæ. Si autem feudum semel ac iterum incorporatum sit, si reditus relati in registra Cameræ, & ad mensam Episcopi adhibiti &c. deinceps absque solennitatibus alienari, vel in feudum dari amplius non potest.

An Capitulum sede vacante infeudare potest de feudo reverso?

Resp. *Negative.* Sede enim vacante nihil innovandum, continuat quidem Capitulum jurisdictionem, sed tamen non illimitate succedit, ut possit omnia quæ Episcopus. Argumentum & ratio hujus asserti desumitur ex c. 2. *ne sede vacante.* in quo prohibetur Capitulum beneficia conferre, cum tamen horum vacatio Ecclesiæ semper censeatur esse damnosa, ergo multo magis feuda, ex quorum vacatione nullum Ecclesiæ præjudicium, damnum aut periculum imminet.

Quæres, si infeudatio de bonis Ecclesiasticis prohibita, unde ergo factum quod tot Duces, Principes, Barones & Nobiles amplissima teneant feuda, ab Electoribus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatiis Principalibus concessa, ut præcipue constat de Fuldensi, quæ modo etiam in Episcopatum, sed non plane exemptum, ut optabat, contradicente potissimum Archiepiscopo & Electore Maguntino evecta est, quæ Duces, Principes & plurimos quidem vasallos numerat?

Resp.

Resp. Variæ sunt ex historia horum feudorum origines; imprimis enim Reges Franci, præcipue, quia merita belli ducum & virorum equestrium aliis modis ob defectum pecuniæ non poterant compensare, plurima bona Ecclesiastica iis dederunt, & sub Carolo Martello, etiam decimæ, quæ magis adhuc alienari prohibentur, & ex primæva sua institutione ministrorum & quidem necessariorum sive parochorum alimenta spectant, iis sunt concessæ: licet altaria & templa hisce bonis incorporata dicerentur, quia scilicet erant bona ad aras & templa pertinentia. Hac super re conquesti sunt Episcopi per plura sæcula, ita ut Carolum Martellum flammis circumdatum, id quod inter fabulas aliqui recensent, comparuisse dicerent, & ob hoc damnatum se professum esse, quæ res deinde, ut scilicet liberarent se a remorsibus conscientiæ, cum justo titulo decimas & bona Ecclesiastica non possiderent, ansam dedit multa fundandi monasteria, quia in monachorum suffragiis & precibus majorem reposuerunt fiduciam; hinc in jure Canonico statutum est postea, ut sine consensu Episcopi monasteria non fundarentur, quia in regula parochis & ministris necessariis debentur decimæ.

2) Quia ipsi Episcopi non potuerunt iterum recuperare decimas & bona, sic ipsi potius in feuda illa dederunt, ut ab Ecclesiis magis quam aliis Principibus illa haberent; & olim etiam, quia Episcopi secuti sunt subinde militiam, concessere illa, ut potentes haberent defensores, & tempore etiam juris manuarii hæc feuda laicis sunt concessa, ut pro Episcopis ipsi starent & dimicarent.

Tertius autem & potissimus titulus est oblatio feudorum, de his feudis oblatis nihil habetur in jure feudali Longobardorum, in Imperio autem Germanico plurima feuda sunt oblata. Est autem feudum datum, quod ex liberalitate dantis, oblatum, quod magis ex liberalitate accipientis proficiscitur. Jure etiam nostro feuda facta sunt successoria, quæ jure Longobardico ut ususfructus cum morte exspirabant, velut hodie beneficia, quibus simillima erant feuda Longobardica.

Olim ergo tum ob devotionem & pietatem, tum ob protectionem propter jus manuarium, ut gladio tam Spirituali, quod tum temporis adhuc magis ac nunc timebatur, quam etiam temporali Duces & Principes ab Episcopis defenderentur, bona sua sub nexu feudali obtulerunt Ecclesiis. Plurima etiam in Imperio erant bona allodialia, quæ etiam hanc ob causam fecerunt feudalia.

Hæc bona allodialia Proteſtantes, quia non favent Eccleſiæ, improprie dicunt feudalia, & in defectu maſculorum non ad Eccleſiam, ſed ad fœminas etiam reverti volunt, quia licet prætulerint offerentes Eccleſiæ extraneos, non tamen judicandum eſſet, quod in defectu maſculorum proprium excluſerint ſanguinem, & naturam in fœminis accuſarint, quod non omnes maſculos progenuiſſet. Sed

Reſp. Bona hæc ſub nexu feudali eſſe oblata, ut offerentes obligarentur exinde præſtare ſervitia præcipue militaria, tenerentur item ſedere in curia & judicare, quæ omnia non conveniunt fœminis; præcipue etiam oblata ſunt, ut conſervarentur familiæ, fœminæ autem de familia exeunt, nomen mutant, aliam propagant, ſuam non conſervant.

Interim tamen hoc Proteſtantium argumentum ſervit ad hoc, quod facilius hæc bona, quia non ſunt ex ipſa Eccleſia, alienari poſſint, & quod tam rigoroſe procedendum non ſit cum ejusmodi vaſallo, ſi feloniam committat, quæ in omittendo conſiſtit, ut ſi intra annum & diem non petierit renovationem.

Quæres: Quis ſit Judex in cauſa feudali?

Videtur Eccleſia eſſe Judex, quia eſt domina bonorum. Interim tamen, quia jus feudale eſt merum jus conſuetudinarium, ex conſuetudine jam introducta, Judex ſemper eſt curia feudalis, a qua etiam non ad Metropolitanum, Nuntium aut Papam, ſed ad immediata Imperii dicaſteria appellatio datur.

Sub altera conſideratione, quatenus feuda poſſidentur ab Eccleſia, quæri poteſt

I. An Eccleſiaſtici, Epiſcopi, Clerici poſſint habere feuda?

Videtur hic ſtatus incompatibilis cum nexu feudali, nemo enim militans Deo ſe implicat negotiis ſæcularibus. Quam maxime autem vaſalli hiſce ſe implicant, ob ſervitia præcipue militaria, ad quæ nexus feudalis obligat, illos enim oportet dimicare in bello, hoſtes repellere, fundere ſanguinem, & ſic deſinit eſſe miles Chriſti, qui ſit miles ſæculi. Item vaſalli tenentur ſedere in curia, judicare cauſas altiores, Clerici autem debent eſſe mites & humiles, humilitati autem & manſuetudini

præ-

præcipue repugnat, ſedere in curiis, cauſas altiores judicare &c. Ex his aliisque rationibus, quæ etiam nunc pro ſæculari ratione allegantur, ſecundum jus Longobardicum Clerici non poſſunt habere feuda.

Q. II. Quomodo ergo tam ampla feuda, & qua de cauſa pervenerint ad Eccleſiaſticos?

Proteſtantes id factum eſſe dicunt ex ſtoliditate, ruditate, & ſtulta tum temporis Eccleſiaſticorum veneratione; cum tamen certum ſit, pientiſſimos Imperatores Carolum Magnum, Ludovicum Pium, & alios plurima jam conceſſiſſe feuda. Cum enim ſcirent, ſe ſoli religioni in acceptis referre obedientiam & tranquillitatem populorum, quod enim armis & igne efficere non poterant, ut continerent ſcilicet populos tam late diffuſos ſub obedientia, id ſola præſtitit religio, quæ metu futurorum, inferni & æternæ damnationis populos coercebat, hinc ut populus magis in quiete ſervaretur & ob reatum conſcientiæ in Dominum non inſurgeret, Imperatores & Reges plurima oppida & populos ſubjecerunt Epiſcopis, a quibus etiam charitative magis quam cum rigore judicarentur, ita ut populos hac ratione in libertatem aſſertum ſe crederet, ſi fuit ſub Epiſcopo quodam conſtitutus, ut invaluerit tum proverbium: **unter dem Grumſtab iſt gut wohnen, mit ſanct Peter iſt gut handlen.** Maxime hinc errant, qui Epiſcopis inſtar aliorum Regum vel Principum ſæcularium ſummam in gubernando populo auſteritatem ſuadent, quia non inſpiciunt originem. Aliæ etiam rationes, ob quas data ſunt Eccleſiaſticis feuda, fuerunt, quia ob eorum literaturam & pietatem in arduis negotiis Imperatores Eccleſiaſticorum opera & conſilio utebantur, ob majorem item fidelitatem majorem in iis fiduciam reponebant. Subinde etiam neceſſaria erat Eccleſiaſticorum approbatio, ut majore cum authoritate jus ſuum exequerentur. Hinc Carolus Magnus & Pipinus plurima cum approbatione Pontificis egerunt, ut ſic major populo fieret impreſſio, & magis ea, quæ egerant, approbarentur. Cum enim Childericus ineptus deponeretur, indigebat etiam Pipinus hac approbatione.

Ab initio tamen, cum illa jurisdictio & ſuperioritas territorialis necdum agnoſceretur, Epiſcopi ſpiritualia potius negotia tractabant, jurisdictio autem in civilibus exercebatur per comites, uti etiam in criminalibus, quia autem hi multa Eccleſiæ bona ſibi appropriarunt & rapuerunt, & propriis, non Eccleſiæ commodis invigilarunt, Epiſcopi

ſe hiſce ſtuduerunt liberare vel ſpeciali privilegio, vel magna pecuniæ vi. Cum autem per ſe ipſos necdum auderent tractare negotia ſæcularia, conſtituerunt ſibi advocatos, qui jurisdictionem in civilibus & criminalibus exercerent; his autem iterum in bona Eccleſiæ graſſantibus, tandem & hos abdicatum ibant, & per ſe ipſos negotia tractare cœperunt. Primus omnium, qui hiſce ſe liberavit, dicitur Epiſcopus Wirceburgenſis fuiſſe, unde notum illud: Herbipolis ſola judicat enſe, Stola. Erlangus enim Comes a Kalvv primus fuit Epiſcopus, qui gladium ſibi præferri juſſit.

Magnam huic mutationi occaſionem dediſſe fertur Otho I. qui fratri ſuo Epiſcopo Colonienſi dedit ducatum Lotharingiæ. Dixerunt ergo Epiſcopi, ſi hic alium ducatum regere poſſit, poterimus & nos noſtra Imperia gubernare. Sed maxima adhuc difficultas fuit, quomodo in criminalibus ſine irregularitate poſſent jurisdictionem exercere. Bonifacius ergo VIII. c. 3. *ne Clerici ſæcularibus negot. in 6.* invenit modum, ut ſi per alios delegatos jurisdictionem in criminalibus exerceant, id poſſint abſque metu irregularitatis. Sic ergo ſucceſſive pervenerunt Epiſcopi ad hanc ſuperioritatem territorialem, quam adeo carpunt proteſtantes, & libenter iis ereptam vellent.

Quæres, quem in finem Epiſcopis tanta ſit conceſſa authoritas?

Ut Epiſcoporum magis ſplendeſceret authoritas, & ut ſuas leges, ordinationes & monita ſalutis facilius poſſent dare executioni. Maximo Eccleſiæ bono factum id eſſe, teſtantur hiſtorici, Baronius, Thomaſinus, qui totam Germaniam ad Lutheraniſmum defeciſſe ajunt, niſi potentia Epiſcoporum quibusdam in locis avitam religionem ſervaſſet intaminatam. Poteſtas judicandi inter Chriſtianos jam ſub Conſtantino Imperatore Epiſcopis data fuit, & cum notabili effectu, quod ſcilicet ab eorum ſententia non daretur appellatio, ſed illa ſtatim debuit executioni mandari, ne ſcilicet læderetur charitas, quam maxime diuturnæ lites evertunt. Si ergo Epiſcopi ſuam in temporalibus authoritatem tanquam medium adhibent, ut ſpiritualia magis promoveant, finem ſuum implent, ſed ſi temporalibus tantum incumbunt, quia hæc magis ſplendent, contra finem & intentionem fundatorum, & officium ſuum agunt, & reprehenſione non carent.

Quæ-

Quæres III. Quomodo fiat infeudatio in Ecclesiasticis & quis infeudetur.

Resp. Olim facta est infeudatio per pedum & annulum, ex qua gravissimum Imperium inter & sacerdotium ortum est dissidium, cum indignis præcipue ad recommendationem & intercessionem meretricum Episcopatus deferrentur, & manus sacratæ Episcoporum, ut ajebant, in sanguinolentas & nocturnis conspurcationibus contaminatas manus imponerentur. Galli statim cesserunt, quia sua nihil interesse ajebant, quocunque signo feuda conferrentur, dummodo illi Domini recognoscerentur. In Germania longo tempore pro & contra decertabatur, donec tandem sub Calixto II. & Henrico V. eo conventum, ut sæcularia feuda per vexillum, quam infeudationem etiam pro Herbipoli olim practicatam esse multi prætendunt, Ecclesiastica vero per sceptrum conferrentur. Hodie autem indifferenter tam sæcularia, quam Ecclesiastica conferuntur per osculationem capuli gladii, quia revera Imperator nihil spirituale, sed tantum sæculare quid confert, jurisdictionem scilicet in criminalibus & civilibus.

Infeudatur autem Episcopus, non Capitulum, & si infeudatio Ecclesiæ fieri dicatur, per Ecclesiam Ecclesia regens intelligenda est. Ecclesia enim, ut ait Cyprianus, est in Episcopo, & Episcopus in Ecclesia; atque hoc ita intelligendum est, quod nulli successori in munere Episcopali infeudatio negari possit, dignitati enim Episcopali & infulæ hoc jus ita annexum est, ut qui hanc obtinuit, infeudari debeat. Male igitur Protestantes, ad minuendam Episcoporum authoritatem, hos tantum proprincipes & provasallos Imperii vocant, cum Ecclesiam tantum infeudari doceant. **Quis infeudetur?**

Infeudatio autem debet peti intra annum & diem, qui incipit currere a tempore obtentæ confirmationis. Debet item exhiberi instrumentum electionis & bulla confirmationis ad legitimationem.

Quomodo amittuntur feuda Ecclesiastica?

Resp. Sicut alia feuda sæcularia, ita & Ecclesiastica amittuntur per feloniam, non tamen ita simpliciter Ecclesiastici principes & Episcopi possunt ab Imperatore in bannum declarari, ut scilicet a quovis impune lædantur & occidantur, sed tantum Electoratu vel Ducatu priventur, non enim habet Imperator jurisdictionem in personam Ecclesia-

 sticam,

fticam. Exemplum hujus afferti habuimus in Electore Bavariæ Maximiliano, qui fimpliciter in bannum declaratus eft, & in fratre ejus Electore Colonienfi, qui tantum electoratu privatus eft, & adminiftratio electoratus tum fuit penes duos, quorum alter in fpiritualibus conftitutus eft a Pontifice, alter in fæcularibus ab Imperatore. Hodie autem etiam fæcularium Principum declaratio in bannum non valet absque confenfu ftatuum Imperii. Ita noviffima capitulatio Francifci I. art. XX.

An Clerici etiam in feudis gentilitiis fuccedant?

Refp. Quamvis ex jure Longobardico definat effe miles Chrifti, qui fit miles fæculi, & Clerici feudorum fint incapaces, hodie tamen eorum ftatui non repugnat; præcipue cum non ita uti olim in perfona teneantur fequi militiam. Jure tamen hodierno diftinguitur inter fæculares Clericos & religiofos. Sæculares Clerici, qui jure feudali vocantur die Seicht-Geiftliche, præcipue fi fint ordinis equeftris, feudorum etiam gentilitiorum funt capaces. Religiofi autem, qui vocantur die Tief-Geiftliche, & cenfentur illi, qui vota folennia emiferunt, incapaces funt feudorum ob incompatibilitatem ftatus.

Quæri hic adhuc poteft, an equites Teutonici vel Melitenfes accenfendi fint denen Seicht-Geiftlichen?

Refp. Si vitam & mores infpicias, utique videntur dicendi, die Seicht-Geiftliche, fi vota autem folennia, quæ emittunt, aliis videntur accenfendi. Interim tamen variat in hoc confuetudo & praxis curiarum in quibusdam; dum in aliis fine difpenfatione admittuntur ad feuda, cum præcipue eorum vitæ inftitutum non abhorreat fervitia militaria, fed ad hæc ordinatum fit, & ipfi etiam judices in curiis federe foleant.

De Scholafticis Societ. Jefu etiam movetur Q. an fint capaces feudorum, & non ita pridem, dum filius unicus & hæres maximorum feudorum in Diœcefi Trevirenfi emifit vota fimplicia, Elector feudum illud occupavit, quia vota hæc funt aliis fimillima, inftiterunt Patres Soc. Jefu, quod iterum poffet dimitti, & defuper refponfa petierunt; Herbipoli iis negative refponfum eft, quod fcilicet feudum vacaret, & illud ipfi prætendere non poffent, & illud ab Electore extraditum fuiffe haud credo.

TITU-

TITULUS XXI.

De pignoribus & aliis cautionibus.

Actum eſt in titulis præcedentibus de quibusdam contractibus principalioribus. Agitur in hoc & ſequenti titulo de contractibus acceſſoriis, qui ad majorem ſecuritatem & ad facilitanda commercia ſunt inventi, & vocantur cautiones, quæ variæ ſunt, aliæ enim ſunt nude promiſſoriæ, aliæ juratoriæ, aliæ ſatisdatoriæ, quæ per pignora, & ſatisfactoriæ, quæ per fidejuſſores fiunt.

Speciale eſt in cautione pignoratitia vel hypothecaria, quod ſolo conſenſu etiam ſine traditione transferatur jus in re, quod a jure ad majorem iterum ſecuritatem & facilitanda commercia introductum, hic tantum breviter notanda ſunt ea, quæ ad Jus Canonicum ſpectant. Unde

Quæres I. An res Eccleſiæ oppignorari poſſint?

Reſp. Negative. Oppignoratio enim eſt ſpecies alienationis, & ob Jus in re quod transfertur ſine cauſa & ſolennitate, res Eccleſiæ oppignorari non poſſunt. Hinc juramento Epiſcoporum, quod debent præſtare, etiam inſeritur: *non impignorabo* C. 5. *de reb. Eccl. non alienandis.* Specialis quidem hypothecæ tantum mentionem facit, ex quo multi inferunt, generalem Prælato eſſe permiſſam, ſed quia C. 1. hoc tit. loquitur generaliter, & ubique tam in generali, quam ſpeciali transfertur jus in re, & æquale videtur Eccleſiæ imminere periculum, ne generalem quidem a Prælato, qui non eſt Dominus, ſed merus adminiſtrator, conſtitui poſſe rectius affirmatur, cum omnis alienatio reſpectu Prælati ſtricte ſit interpretanda.

Quæres II. An Clericus ſuos fructus oppignorare poſſit?

Reſp. Affirmative: Illos enim poteſt vendere, diſtrahere, ergo multo magis oppignorare; & habemus C. 2. t. ſeq. in quo conceditur immiſſio in bona Clerici obærati, ergo multo magis conceſſa eſt oppignoratio.

Quæ-

Quænam specialiter sint probibita?

ad fin N. 9. & 10. Resp. Duo specialiter prohibentur in pignore, pactum scilicet legis commissoriæ, & pactum antichreticum, si res fructifera pro frugibus oppignorata sit. Ratio est, ut servetur æqualitas, & nemo cum alterius damno locupletetur. Si tamen pignus & fructus non excederent quintunces, qui generali consuetudine & praxi in Imperio sunt recepti, etiam pacta hæc improbanda non essent.

TITULUS XXII.

De Fidejussionibus.

An Clerici possint Fidejubere?

Resp. Quia fidejussio est actus misericordiæ, qui æque laudabiliter pro Laico & Clerico exercetur, in regula possunt Clerici pro utroque fidejubere, & hoc probatur ex C. 2. ubi si Clericus fidejusserit, & principalis non sit solvendo, statuitur, ut Clericus solvat, vel fiat immissio in ejus bona, vel interim constituatur sequester. Capitula autem, in quibus Clerici prohibentur fidejubere, sunt tantum exceptiones a regula, hinc in C. 1. dicitur: *fidejussionibus inserviens:* qui scilicet alios vult inducere ad fidejussionem acceptando pretium.

An Capitulum vel monasterium obligetur ex fidejussione Clerici?

Resp. Negative. Quia quod singulos concernit, universitatem non obligat; multo minus obligatur monasterium absque consensu Prælati, quia Monachus nec velle nec nolle habet.

TITULUS XXIII.

De Solutionibus.

Actum est in titulis superioribus, quomodo tum principaliter, tum accessorie acquiratur obligatio, subsequitur in hoc titulo modus, quo

quo principaliter tollitur obligatio, scilicet solutio, qui modus jure tam naturali, quam civili est approbatus.

Duo habemus in hoc titulo brocardica, primum scilicet, quod invito creditore alterum pro altero solvi nequeat. Secundum, quod solutio regulariter per partes fieri nequeat, ob multa incommoda & molestias, quas involvit.

Mirabilis etiam est Can. I. de solut. *sicut filius tenetur solvere debita patris, ita etiam Prælatus Ecclesiæ:* filius enim non tenetur solvere debita Patris, ergo nec Prælatus Ecclesiæ; explicatur autem hic canon de filio hærede. Sed tunc non qua filius, sed qua hæres tenetur. Interim tamen alia explicatio inveniri & dari non potest.

Q. nunc: quid specialiter jure canonico circa solutionem sit statutum? & quidem

An successores in dignitatibus & beneficiis teneantur solvere debita ab antecessoribus contracta?

Resp. Certum est, hæredes teneri solvere debita antecessorum, si sint universales. Hi enim causam habent ab antecessore, & succedunt in universum jus defuncti, censenturque unam cum ipso personam repræsentare. Aliud autem est de Episcopis, Abbatibus & Prælatis, hi enim causam suam non ab antecessore, sed vel ab electione, præsentatione, nominatione, vel institutione habent, adeoque hi in regula non tenentur solvere debita antecessorum. Exceptio tamen est ab hac regula, si in utilitatem vel necessitatem Ecclesiæ debita sint contracta, quia tunc magis nomine Ecclesiæ vel officii censentur facta, quod etiam officium transit in successorem, & sic non amplius manent personalia, sed evadunt realia.

Q. Quandonam debita censeantur nomine Ecclesiæ & officii contracta?

Resp. Si ex utilitate vel necessitate Ecclesiæ facta sint; hæc autem utilitas debet probari. Ex verbis autem chirographi non potest probari utilitas, facile enim est chirographo varias utilitatis causas inscribere, aliunde ergo probanda est utilitas, & inprimis quidem, si mutuum cum consensu capituli contractum est, maxima est præsumptio, illud in uti- **Unde probanda Ecclesiæ utilitas?**

utilitatem Ecclesiæ versum esse. Hæc tamen præsumptio cederet veritati. Ad liberandum tamen se gravioribus & difficilioribus probationibus, maxime consultum est exigere consensum Capituli. Hinc

Q. An necessarius sit consensus Capituli?

Resp. Ubi Episcopi habent mensam separatam, non indigent per se consensu Capituli, sed etsi absque consensu Capituli mutuum acceperint, successor tamen obligatur ad illud solvendum, dummodo versio in utilitatem Ecclesiæ probetur. Consultius tamen est, ex data mox ratione requirere consensum Capituli, quia sic præsumitur versio in utilitatem Ecclesiæ, & non tam rigorosa quis probatione gravatur.

Q. Quinam favor competat Clericis in solutione?

Resp. Sunt, qui nimium Clericorum favores volunt extendere, inter quos Tiraquellus, qui tractatum scripsit de favoribus Clericorum. Hinc pro regula observandum, quod favor Clericorum, si non sit fundatus in jure, non debeat ultra rationem ad similes & connexos casus extendi, uti aliqui volunt Clerico competere favorem fisci, dotium, minorum, item non competere alteri contra Clericum exceptionem non numeratæ pecuniæ, non confecti inventarii: contra Clericum non semiplene probare libros mercatorum alias accuratos. De his enim favoribus cum nihil habeatur in jure Canonico, in civili autem constitutiones sint generales, contra rationem hi favores ipsis vindicantur.

In Capit. 3. h. t. relaxatur excommunicatio contra Clericum, qui non fuit solvendo, nihil autem expresse de beneficio competentiæ statuitur, quod scilicet non possint excuti usque ad saccum & peram, sed congrua illis sustentatio relinquenda. Interim tamen, non quidem de expressa constitutione canonis & litera, sed ex communi doctorum interpretatione, competit ex hoc canone beneficinm competentiæ; ex qua doctrinali interpretatione facta etiam est usualis & receptissima consuetudo, ne scilicet in opprobrium status Clericalis teneatur mendicare.

Q. An competat hoc privilegium etiam constitutis in minoribus?

Resp. Sicut privilegium fori minoribus non competit, nisi deferant habitum & tonsuram, & simul vel sint in seminario quodam, vel ali-

alicui Ecclesiæ adscripti, vel in universitate aliqua cum licentia Episcopi studeant, quia illud privilegium est in præjudicium judicis laici; ita pariter hoc privilegium, quia est in præjudicium creditorum, non alio modo, ac privilegium fori videtur competere, scilicet si supra dictæ conditiones concurrant, quia alias facile ad servandam congruam minores susciperentur. Quia autem isthoc privilegium non tam in favorem personarum, quam totius status Clericalis concessum videtur, renuntiari illi a privato non potest. **An huic possit renuntiari?**

Q. An competat etiam prodigis & luxuriose viventibus, etiamsi sint in majoribus?

Resp. Quia jura dolosis decoctoribus, & impudice dissipantibus non patrocinantur, his minime videtur indulgendum, cum præcipue hoc privilegium ex interpretatione tantum competat, non ex ipsa literali canonis dispositione.

TITULUS XXIV.

De Donationibus.

Tractatur jam iterum de donatione, quæ modus est acquirendi, sicut ergo non in omnibus Decretalium titulis præcisa potest ostendi connexio, ita nec in hoc. Posset tamen dici, quia in sequentibus titulis agitur de ultimis voluntatibus, donationem tanquam aliquam speciem præmitti. Quid autem sit & quotuplex, vide in Authore, & adverte

Maxime odiosam inter omnes alienationis species in jure esse ipsam donationem, quia donare est perdere & distrahere, Prælatus autem bene administrare & conservare debet, non autem perdere bona Ecclesiæ. Invalidæ itaque sunt donationes bonorum immobilium, & mobilium pretiosorum; moderatas tamen bonorum mobilium præcipue remuneratorias facere possunt Prælati; authores tamen, qui hæc scribunt, volunt talia debuisse præcedere merita, ut ex justitia quasi commutativa obligentur. Quænam autem sint magnæ, quænam moderatæ donationes, respective ex statu, bonis, magnis vel exiguis Ecclesiæ **ad N. 11.**

 redi-

reditibus desumendum. Sic utique Episcopus, qui simul est Imperii Princeps moderatas censetur facere bene meritis donationes, quae respectu Abbatis essent excessivae.

ad N. 18. *Q. An ob supervenientiam liberorum donatio Ecclesiae facta possit revocari?*

Resp. In c. fin. causa 17. Q. 4. laudat Augustinus Episcopum Aurelium, quod donationem Ecclesiae factam ob supervenientiam liberorum illico restituerit, adeoque, quia Ecclesia maxime spectat aequitatem, nec ullam avaritiae speciem ostendere debet, aut bonis hisce fluxis & terrenis inhiare; videtur donatio ob aequitatem in hoc casu restituenda. Mirabilis tamen est canon, qui dicit: poterat enim retinere jure fori, sed non jure poli. Quomodo ergo jure fori? Resp. quia necdum conventus fuit in judicio, sed illico restituit; hinc jure fori poterat adhuc retinere, non jure poli, quia aequitati tamen repugnasset, si etiam non conventus illam retinuisset.

TITULUS XXV.

De peculio Clericorum.

Actum est potissimum in titulis superioribus, quomodo Praelati possint disponere circa res Ecclesiasticas, & dictum est, quod eorum potestas sit restricta ad casus utilitatis & necessitatis; sequitur jam, quomodo Clerici possint disponere de bonis suis tam inter vivos, quam mortis causa; hinc in tit. seq. agitur de testamentis. Et quia cessante provisione hominis, subintrat provisio legis, sequitur dein de successione ab intestato.

ad N. 5. De bonis patrimonialibus vel quasi, & industrialibus aut parsimonialibus non est difficultas. Potissimum controvertitur de bonis respectu Ecclesiae acquisitis, an Clerici respectu horum sint meri usuarii, vel usufructuarii, & consequenter domini. Quomodo autem differat usus ab usufructu, ex jure civili constat, quod usus scilicet necessitate praecise circumscribatur, ususfructus autem sit liberior & ad commoditatem adhiberi possit. Debemus hic distinguere tempora, & disciplinam primitivae Ecclesiae a saeculis posterioribus, postquam erecta sunt beneficia.

In

In primis Ecclesiæ sæculis erant Clerici meri usuarii, & tantum præcise accipiebant, quantum ad sustentationem ob indigentiam requirebatur. Administratio autem tum fuit penes Episcopos, qui suam cuique portionem, præcipue Clericis & conversis ad sustentationem necessariam subministrabant; unde nunquam legimus, illis temporibus Clericis prohibitum fuisse, ne ex bonis Ecclesiæ consanguineos suos ditent, hujus enim periculum tum esse non poterat; sicut modo non prohibetur monachis, ne ex reditibus monasterii suos ditent consanguineos, quia penes ipsos non est administratio. Periculum tamen fuit, ne Episcopi plus æquo raperent, & sibi vel suis tribuerent; ideo LL. Theodosii in Novell. & Cod. prohibitum fuit, ne Episcopi conderent testamenta, sed ab eorum obitu bona reverterentur ad Ecclesiam; & licet successu temporis Clerici quidam extra communionem viventes fundos & prædia haberent assignata, prohibitum tamen illis fuit testamentum condere, nequidem ad pias causas, quod tamen c. 12. tit. seq. correctum est, inter vivos autem ad opera misericordiæ de iis disponere poterant, ut sic majus præmitterent meritum, & in æterna facilius tabernacula reciperentur. In morte enim non nos bona, sed bona nos relinquunt.

Post discessum autem a communione circa sæcula potissimum X. XI. XII. cum erecta sunt beneficia instar feudorum, Clerici non amplius sunt meri usuarii, quia non amplius ob indigentiam, sed titulo officii spiritualis in compensationem sui officii & laboris instar salarii & stipendii fructus percipiunt, ita ut sint instar dominorum utilium, ut, sicut in feudis fructus fiunt allodiales, ut dominus utilis libere iis utifrui possit, ita etiam nunc Clerici fructibus suis utifrui possint, & fiant illorum domini; adeoque non peccant contra legem justitiæ, quocunque modo circa illos tam inter vivos, quam mortis causa disponant, ut teneatur quis ex justitia fructus taliter acquisitos restituere.

Si ais 1. Post divisionem mansit eadem natura bonorum ac antea, atqui ante non erant domini, & nullo modo de iis poterant disponere, ergo nec postea. Resp. Introductus tamen est alius titulus, antea ob indigentiam, nunc titulo salarii & stipendii ob officium fructus percipiunt; & si sæculares fiunt domini bonorum Ecclesiasticorum Officiales v. g. Syndicus, Collector, Præbendarius, quia illa titulo salarii percipiunt, etiam fient Clerici ex eadem ratione.

Si ais 2. Plura etiam post divisionem bonorum edita sunt capitula, quæ prohibent testari de hisce bonis, ut c. 7. 9. & 10. de Test. ergo. Resp. Hoc argumentum non probat, Clericos non esse dominos horum bonorum, nec enim pupilli, nec prodigi possunt condere testamenta, & tamen sunt domini bonorum suorum, potuit hoc jus Canonicum prohibere, quia licet non ex obligatione strictæ justitiæ, quæ ad restitutionem accipientem obliget (quæ etiam est sententia plurium & pietate & doctrina conspicuorum virorum, qui rem probe inspexerunt& examinarunt) teneantur Clerici hæc bona ad pias causas expendere, ex mente tamen fundatorum & lege charitatis ad id obligantur; sicut si pauperi dem eleemosynam, ut bene illam impendat, quam ille deinde male dissipat, non oritur inde in accipiente obligatio restituendi, licet contra intentionem dantis sit impensa. Eodem fere modo canones citati & alii in hac materia mentem fundatorum & motivum charitatis attendunt.

Consentit his novissime Conc. Trid. quod divino pariter spiritu ductum inprimis Episcopis prohibet, ne ex reditibus Ecclesiæ suos studeant ditare consanguineos, & nec ipsos excipit Cardinales, multo minus Pontificem, & ratione legis, quæ illum magis tangit, licet ob rationem jam sæpe datam mentionem illius expressam non faciat, ille enim magis ac alii bono debet præire exemplo; idem statuit etiam de inferioribus.

ad N. 3. Tit. seq. *Quid ergo dicendum ad consuetudinem, quæ passim introducta est, ut valeant dispositiones Clericorum tam inter vivos, quam mortis causa, & in Gallia quidem tota adeo, ut Clericis etiam ab intestato succedatur?*

Resp. Valet hæc consuetudo ex his rationibus, quia non potest sæpe distingui an bona sint patrimonialia vel parsimonialia, & quia sæpe amici revera secundum statum suum sunt indigi, licet illa indigentia non sit publica & cuivis pateat. Ne itaque passim ultimæ voluntates Clericorum impugnentur, ad evitandam multitudinem litium valent istæ dispositiones. In Germania etiam potest esse ratio, ut familiæ fiant potentiores contra hæreticos, & suam Ecclesiæ opem & protectionem impertiantur. Deficientibus autem omnibus hisce rationibus, graviter peccatur, si in usus profanos impenditur, quod Ecclesiæ & pauperibus debetur.

No-

Neque ab hac lege charitatis monasteria & Regulares, qui hæc Clericis tantum dicta putant, eximuntur, imo magis quam Clerici ob perfectionem, ad quam ex professione tendere tenentur, ad hoc adstringuntur; in hoc enim consistit perfectio: vade, vende quæ habes, & da pauperibus. Magis etiam ex intentione fundatorum, majorem enim in iis fideles fiduciam reposuere, ut essent patres pauperum, quia ipsis per votum paupertatis nihil possidere licuit. Hinc minus excusandi sunt, qui tantum augendis divitiis, copulando agrum agro student, & magnificis palatiis, musicorum choris, famulorum frequentia, luxum & pompam sæcularem imitantur. De quo utiliter legere & sequi possunt S. Bernardum, qui præclare hac de materia scripsit, pulchre etiam de ea disserit Thomasin. Et alii, quos si non audierint, reliquum est, ut congesta, quæ non capit Christus, rapiat mars vel fiscus.

TITULUS XXVI.

De Testamentis & ultimis Voluntatibus.

Omissis iis, quæ in jure civili de testamentis tractantur, tria sunt specialiter in jure Canonico explicanda. 1. An Clerici possint testari. 2. Quid speciale de testamentis Jure Canonico sit statutum. 3. Quid de testamentis ad pias causas notandum?

In primitiva ecclesia ex defectu dominii omnino non poterant testari Clerici, nequidem ad pias causas, quod tamen C. 12. h. t. correctum est; ad causas autem profanas de bonis ex Ecclesiæ reditibus provenientibus de jure scripto & communi testari non possunt. Quid autem censendum de consuetudine contraria, & in quantum valeat, dictum est paulo ante. ad N. 3.

Quoad secundum speciale imprimis est, quod jure Canonico duo tantum testes & præsentia Parochi requiratur. Constitutio autem hæc Pontificis pro ipsius tantum territorio est intelligenda, cum pro Imperio renovata sit solennitas testamentorum per constitutionem Maximiliani I. Clerici autem valide testantur secundum ductum Juris Canonici. Reliqua vide in Authore; & hic iterum nota regulam, quod si differentia sit inter Jus Canonicum & Civile, neque de materia peccati aut spirituali agitur (in quo casu Jus Canonicum præfertur) utrumque in suo ad N. 11.

foro

foro est obſervandum, Clerici autem ſunt de foro Canonico, ergo etiam ſecundum illud teſtantur.

ad N. 16. Alterum eſt ſpeciale de legato rei alienæ, quod improbat Pontifex. Certum eſt, hoc valere jure civili, ut ſi ſciverit teſtator rem eſſe alienam, ſaltem æſtimatio illius debeatur. Dicunt hic aliqui, Pontificem non ſatis intellexiſſe jus civile, alii reverentius loquuntur, & cum Authore explicant de caſu ſpeciali, ubi filii inſtituti cum exiguo patrimonio gravati fuerunt præſtatione rei alienæ. Vide Authorem.

ad N. 17. Tertium ſpeciale eſt, quod filius gravatus hæreditate fide commiſſaria præter legitimam poſſit etiam deducere quartam trebellianicam, ut ſi quatuor uncias pro legitima cepiſſet, poſſet adhuc ex octo reliquis duas uncias pro trebellianica detrahere, ut in effectu ſemiſſem acciperet, quod eſt contra jus civile. Jus autem canonicum, quia ſpeciali nititur æquitate, id expreſſe concedit, quia qui diverſo jure venit, diverſo etiam jure gaudet, atqui filius diverſo jure venit, legitimam enim jure nativitatis & tanquam filius capit, trebellianicam autem jure hæredis tanquam hæres fiduciarius, ergo. Legitima enim inſtar æris alieni eſt, quæ omnino ſeparanda & deducenda, ſine cujus ſeparatione non intelligitur hæreditas. Et in praxi etiam hæc ſententia recepta eſt, cum præcipue aliqui dubium eſſe velint, an contrarium jure civili clare ſit deciſum. Diſtinguunt quidem aliqui de hæreditate pure vel conditionate relicta, ut habet hic Author, ſed nihil intereſt, pura an conditionata ſit hæreditas, ubique enim diverſo jure venit, & Pontifex in caſu conditionatæ hæreditatis tantum fuit interrogatus, hinc in eo tantum reſpondit.

ad N. 19. Demum ſpecialiter explicanda ſunt teſtamenta ad cauſas pias. Sunt autem cauſæ piæ omnes, quæ vel ad cultum divinum, vel ad opera miſericordiæ, tum corporalis tum ſpiritualis ordinatæ ſunt. Hæ cauſæ piæ in jure dicuntur favorabiles. Varias in jure habemus cauſas favorabiles, ut cauſas pupillares, dotium, libertatis, militiæ. Quæritur hic ergo, an omnia privilegia & favores aliis cauſis conceſſi, etiam cauſis piis competant? Reſp. Statuunt id plures, inter quos etiam Tiraquellus, Barboſa. Verior tamen eſt ſententia negativa, quia hæc privilegia competunt per modum exceptionis a regula, iſtæ autem exceptiones non ſunt trahendæ ad cauſas pias, manent tamen & ſunt favorabiles cauſæ piæ, quod plures ip-

ſis

ſis favores & privilegia ſint in jure conceſſa, & in dubio facti, uti in cauſa pupillari, dote &c. amplior eſt & benignior pro cauſis piis facienda interpretatio. Illud tamen pro hac ſententia videtur adhuc hic addendum, 1) quod licet non omnia privilegia ad cauſas pias ſint trahenda, pro connexis tamen facienda ſit interpretatio; ſic quia prohibetur a legatis piis detrahi quarta Falcidiæ, idem cenſendum de quarta Trebellianica, quia magna eſt connexio, de connexis autem idem eſt judicium, imo videtur hæc comprehendi ſub illa, licet nihil ſit de hac re in jure ſtatutum. 2) Quod & Judex in cauſis piis etiam non interpellatus ſuum debeat interponere officium, cum in aliis multa judicis relinquantur poteſtati, quæ juris neceſſitati non ſubjiciuntur. Hæc ergo generaliter obſervanda veniant de cauſis piis. Jam

Primus favor eſt, quod in teſtamento ad cauſas pias ſolennitates ſint remiſſæ. In C. 10. mentio quidem fit Parochi & duorum teſtium, quare multi ſtatuunt, præſentiam Parochi & duorum teſtium eſſe de forma & ſolennitate, licet negativa, quam tenet Author, ſit verior, quod ad plenam tantum probationem hæc requirantur. In c. autem 11. h. t. tantum fit mentio duorum vel trium teſtium, qui pariter non ad ſolennitatem, ſed ad plenam tantum probationem requiruntur, quia Pontifex provocat ad elogium Chriſti: in ore duorum vel trium ſtat omne teſtimonium, ergo non formam, ſed tantum probationem oſtendit, & de praxi & ſtilo curiæ Romanæ tantum ea requiruntur, quæ jure naturali & gentium ſunt neceſſaria, nihil autem ex ſubtilitate juris civilis deſideratur. Probat ergo etiam ſcriptura propria & agnita &c. Ex his ſolves æquivocationem. ad N. 18.

An ex teſtamento imperfecto debeantur legata? &

Reſp. Si ſit imperfectum ex defectu ſolennitatis jure civili requiſitæ, utique; ſi autem ſit imperfectum ob voluntatem non ſatis efficacem, ut ſi quis dixiſſet, ſe Eccleſiæ fore memorem, quia non eſt efficax ſeria & actualis voluntas, ſed potius propoſitum & velleitas, non ſufficit, vel ob defectum plenæ probationis, ut ſi ſoli confeſſario dictum, ut aperiat poſt mortem voluntatem, quod ille legaviſſet Eccleſiæ 1000. imperiales, etiam non tenetur hæres præſtare legatum, quia non adeſt plena probatio; hinc amice non tibi jus, ſed deficit probatio. In praxi ergo notandum, ut Parochi unum ſaltem conteſtem ad faciendam probationem adhibeant.

ad N. 20. Alter etiam favor est, qui in praxi etiam observatur, quod etsi testamentum corruat, legata tamen pia debeantur: quia illud: accessorium sequitur principale, est subtilitas juris civilis, quæ non attenditur.

ad N. 21. Recepta etiam in praxi sententia est, quod nec Falcidia nec Trebellianica possit a legatis piis detrahi & c. pen. h. t. etiam filiofamilias, qui jure civili ob defectum status nequidem cum consensu patris de peculio adventitio testari potest, quia respectu hujus non est paterfamilias, conceditur, ut de hoc saltem cum consensu patris testari possit. Idem pariter videtur ob connexionem statuendum de prodigo, scilicet juridice tali, qui talis declaratus est a judice, & cui bonorum suorum administratio interdicta est. Ethice enim talis nec jure civili testari prohibetur, licet hic casus in jure non sit expressus, quia nemo jactare censetur, quod pro anima expendit. Eodem modo hæc extensio fieri potest ad alios jure mere civili inhabiles.

Quinam est executor?

Si non sit a testatore constitutus, est Episcopus; etsi autem constitutus fuerit etiam exemptus, nunquam tamen potest constitui cum exclusione Episcopi, ob generalem inspectionem, quam Episcopus ex Conc. Trid. ad omnes causas pias habet: ut easdem *cognoscat* & *exequatur*. Ad illum ergo spectat cognitio & executio saltem concurrenter.

Sess. 22. c. 18. Idem etiam statutum est in decretalibus & Clementinis. Pœnæ autem non præstantium legata pia sunt 1. ut debeantur usuræ a tempore moræ, & quod in judicio interpellati teneantur duplum solvere §. 19. Inst. de action. quam tamen pœnam sublatam volunt, cum hodie pœnæ dupli, tripli &c. non sint amplius in usu. Et si intra annum hæres non præstet legata pia, perdat omne lucrum ex hæreditate proveniens.

ad N. 23. *An licet Episcopo voluntates ad pias causas commutare?*

Resp. Odiosa est mutatio ultimarum voluntatum, & nonnisi ex gravissimis causis facienda, quia ultima voluntas est instar legis, & inhumanum est, non servare, quod ad arbitrium non potest amplius redire, id quod maxime absterreret a faciendis legatis piis. Episcopus ergo non habet arbitrium ad alios usus pios sibi utiliores visos legata

pia

pia ad certum usum destinata adhibere. Si enim ille judicet legatum utilius ad alium usum pium, ipse provideat, & legatum faciat, aliorum voluntates non evertat. Si tamen legatum executioni dari non posset, ut si legata pecunia pro ara summa, quæ interim jam esset exstructa, pro paupere, qui esset jam mortuus, non liberum tamen esset & arbitrarium Episcopo, ad quoscunque usus pios illud expendere, sed ad connexos; prima e. g. pecunia pro alia ara in Ecclesia si desit, non pauperibus, altera non Ecclesiæ, sed aliis pauperibus eroganda esset.

TITULUS XXVII.

De successionibus ab intestato.

Plura hic essent explicanda, quæ tamen ad jus civile remittimus. Quid autem circa Clericos in successione notandum sit, tradit Author in §. III. & pleraque, quæ in jure civili statuuntur, etiam in successione Clericorum in bonis scilicet patrimonialibus vel parsimonialibus obtinent. In bonis enim respectu Ecclesiæ acquisitis hæres ab intestato est Ecclesia. Quomodo autem valeat consuetudo in his etiam succedendi uti in tota Gallia, dictum est superius. Jam

Q. Quis autem nomine Ecclesiæ intelligatur? ad N. 23.

Resp. Famosa est & notabilis in historia mutatio. Ex hac enim introductum est jus spolii; & primitus quidem comites & advocati, ob jus protectionis vel jure custodiæ non modo bona vacantis Ecclesiæ, sed etiam relicta ab Episcopis & Clericis sibi arrogarunt, quos deinde imitati sunt Imperatores, quia feuda dixerunt vacare; sicut modo adhuc in Gallia toto tempore vacantis Ecclesiæ Camera regalis percipit reditus, quia feuda ajunt vacare; donec nova provisio sit insinuata Cameræ, & sic iterum levata manus regia. Ita & olim Imperatores reditus interim percipiebant, & quia bona relicta censebant portionem accessoriam, illa etiam, sed tantum ab Episcopis sibi vindicabant. Hinc in diplomatibus Friderici II. Othonis IV. & præcipue Rudolphi Habsburgici, in quibus renuntiarunt usui regaliæ, legitur, quod nolint uti jure spolii.

Postea Capitula introduxerunt jus spolii & se nomine Ecclesiæ intellexerunt, mortuo itaque Episcopo spoliarunt ædes, & omnia sibi in usus proprios & privatos vindicarunt, & ita nomine & facto ipso spolium exercuerunt, quod deinde per varios Canones ipsis prohibitum est, sub pœna etiam privationis voti in electione, restitutionis &c.

Q. Quomodo ergo & quo jure percipiant vulgo die Spolien-Gelder?

Resp. De jure non subsisterent. Ex consuetudine tamen titulo laboris, curæ & oneris, molestiarum & incommodorum, quæ tempore vacantis Ecclesiæ subeunt, justificantur.

Pariter Episcopi defunctis Clericis se dixerunt Ecclesiam, quia sicut diximus, Ecclesia est in Episcopo, & Episcopus in Ecclesia, & sic omnia a Clericis respectu Ecclesiæ acquisita sibi vindicarunt, quæ non in usus pios & sacros aut Ecclesiæ, quod indulgendum fuisset, sed in proprios & profanos expenderunt. Hinc in famoso C. 12. de off. Jud. ordin. in 6. prohibitum illis est jus spolii exercere. Addidit tamen Pontifex hanc limitationem, nisi de speciali privilegio vel consuetudine legitime præscripta illud obtinerent. Hinc in pluribus adhuc diœcesibus illud exercent, uti in Spirensi, Fuldensi, ubi graves sæpe lites & querelæ a consanguineis moventur ratione bonorum parsimonialium, patrimonialium, & quia sæpe non constat, Episcopi transactionem cum amicis ineunt. In aliis Diœcesibus mos est, ut per aversionem bona dividantur in tres partes, quarum unam Episcopus, alteram amici, tertiam pauperes accipiunt.

Demum sæc. XIV. Pontifices Avenionenses ob defectum pecuniæ & congruæ subsistentiæ se dixerunt Ecclesiam, & sic relicta ab Episcopis æque ac Clericis sibi vindicarunt, ex eorum tum temporis principiis, quod Papa esset dominus omnium bonorum, quod ad ipsum omnia pertinerent beneficia, & per collectores constitutos Avenionem & postea Romam retulerunt, quod tamen jus spolii per Concordata in Germania, Gallia & Lusitania sublatum est. In Hispania Pontifex illud adhuc exercet in bonis Episcopi in regno tantum Castellæ, sicut & in tota Italia, non autem amplius in aliis Provinciis.

TITU-

TITULUS XXVIII.

De Sepulturis.

Duplex poteſt eſſe hujus tituli connexio, vel quod in præcedentibus agatur de teſtamentis & ſucceſſione ab inteſtato, quæ vim & robur non habent niſi poſt mortem, viventis enim nulla eſt hæreditas, vel quod in ſequenti agatur de Parochis, ad quorum jura jus ſepulturæ pertinet. Quid ſit ſepultura, quid olim viguerit, quid nunc ſit in uſu, vide in Authore.

Sepultura Eccleſiaſtica non tantum locum ſacrum denotat, ſed illas etiam cæremonias, quod cum aſperſione aquæ benedictæ, thurificatione, publicis canticis & ritibus conſuetis funus deducatur, & cadaver ſepeliatur. Ab hac ergo excluduntur, quos recenſet Author in numeris ſubſequentibus. ad N. 17.

Quoad hæreticos autem obſervandum, quod horum nomine non veniant Proteſtantes & Reformati in Imperio publicis pactionibus tolerati. Id enim expreſſe ſtatutum art. 5. §. 35. Inſtrumenti Pacis Weſtphalicæ, ne a publicis ſepulturis arceantur. Quoad hos ergo videndum, an in anno normali 1624. publicum habuerint religionis exercitium, & in hoc caſu etiam publice ſunt ſepeliendi in loco ſacro, quia ſepultura etiam ad exercitium publicum pertinet; ſi autem non habuerint, ſed tranſeuntes in loco mere Catholico moriantur, ſepeliendi tamen non ſunt ſepultura aſinina & canina, ſub patibulo e. g. aut loco inhoneſto, ſed etiam in cœmeterio, in loco ſeparato, ubi alias infantes non baptizati ſepeliuntur, quin tamen conſuetæ adhibeantur cæremoniæ. Pariter ubi etiam communem a Parocho Catholico ſepulturam obtinent, non poſſunt prætendere, ut cum ſolennibus Catholicorum ritibus ſepeliantur, quia has cæremonias tanquam ſuperſtitioſas damnant & rident. Indulgetur tamen iis, ut in pleriſque ejuſmodi locis ritu Catholico ſepeliantur, tum quia plerumque ſunt hæretici mere materiales, tum ut ita amorem religionis Catholicæ & æſtimationem concipiant, cujus ritus per hoc approbant & petunt. ad N. 18.

Q. Ad quem pertineat cognitio, an quis privandus sit sepultura Ecclesiastica?

Resp. Quia sepultura Ecclesiastica est quid sacrum, cum in loco benedicto, ritibus & cæremoniis sacris sit peragenda, quorum cognitio pertinet ad judicem Ecclesiasticum, hæc etiam ad eundem spectat, quam & ipsi Protestantes suis consistoriis relinquunt. Quatenus autem quis sepultura præcise qua honesta privandus sit, an scilicet ob gravitatem delicti relinquendus sit in rota, vel furca, an sepeliendus sit sub patibulo, ad judicem sæcularem pertinet, cujus in hoc casu est, de sepultura, quæ proprie asinina & canina vocatur, judicare. Quatenus autem quis Ecclesiastica & sacra sepultura sit privandus, ad judicem Ecclesiasticum spectat, qui non est Parochus, sed ille debet omnia accurate & diligenter cum debitis circumstantiis referre ad ordinarium, & desuper ordinationem & judicium exspectare.

TITULUS XXIX.

De Parochiis & alienis Parochianis.

ad N. 1. Secundum antiquam Ecclesiæ disciplinam Parochiæ vocabantur, quæ hodie diœceses dicuntur; & districtus, in quo plures Episcopi, Archiepiscopi, Metropolitani sub uno Patriarcha habitabant, vocati sunt Diœceses. Hodie autem Parochia sive Parœcia a vicinia & cohabitatione dicta, est districtus aliquis minor, in quo populus sub aliquo pastore congregatus, ab eodem Sacramenta & Sacra suscipit. Illa autem Ecclesia, in qua Parochus habitat, vocatur matrix, reliquæ vocantur filiales, a quibus proprie & stricte loquendo distinguuntur die eingepfarrte Kirchen. Et si filiales propriam habeant Ecclesiam & Curatum, qui sub Rectore Parocho sacra iis administret, non tenentur hi succurrere ad reparationem matricis, utut teneantur succurrere ad reparationem ædium Parochialium, quia hæ sunt communes.

ad N. 18. Multum agitata quæstio est, an Parochus teneatur singulis & Dominicis & festivis diebus applicare pro Parochianis, quod modernus etiam Pontifex Benedictus XIV. pluribus adductis rationibus in Bulla desuper nuper edita præcepit. Sed illa in plerisque Germaniæ Diœcesibus

sibus non est recepta & publicata. Ex speciali ordinatione Diœcesium saltem diebus Dominicis tenentur applicare, licet alias etiam meminisse oporteat parochianorum diebus festis.

Jus parochianum olim fuit bannarium: ein Zwang-Recht; uti hodie multas habemus cauponas, hospitalia bannaria &c. ita ut compelli & cogi potuerint parochiani ad audiendum sacrum, percipienda sacramenta in Ecclesia parochiali. Successive autem, cum & regulares, qui olim ipsi erant de Ecclesiis parochialibus, acceperunt primitus oratoria privata, quæ deinde in publicas Ecclesias mutata sunt, dum clericare & sacros ordines suscipere inceperunt, plura etiam facta sunt communia aliis presbyteris, ut prædicatio verbi divini, auditio confessionum &c. Hodie autem adhuc juris bannarii cum exclusione regularium sunt: administratio baptismi, solennizatio matrimonii, conductus solennis funeris, administratio communionis paschalis per se loquendo, licet per accidens ex dispensatione Episcopi hæc in pagis non urgeatur; & in Clement. de privileg. sub excommunicatione prohibetur regularibus, ne viaticum infirmis vel sacram unctionem administrent. Actum etiam est de hac materia in Conc. Trid. ut Parochiani compellerentur ad suscipienda sacra & sacramenta a propriis parochis, Concilium tamen mitius statuit, & admonendos tantum illos putavit Sess. 24. c. 4. de reformat. ad N. 26.

TITULUS XXX.

De Decimis, Primitiis & Oblationibus.

Dictum est de officio parochi, de propriis & alienis parochianis. Cum ergo parochi non sint spiritus, sed sua indigeant sustentatione, & qui seminat spiritualia, ex Apostolo metere possit temporalia, qui enim servit altari, vivat de altari; tenentur etiam parochiani propter officium spirituale congruam parochis præstare sustentationem, dignus enim est operarius mercede sua. Hinc agitur jam de decimis, quæ ad sustentationem ministrorum præcipue necessariorum sunt assignatæ. De quibus plura occurrunt dicenda. Videatur materia fusius deducta in dissertatione de decimis ab eodem D. Professore edita.

Scien-

ad N. 1. Sciendum imprimis, decimas nihil aliud esse, quam partem decimam fructuum. Harum aliæ sunt prædiales, aliæ personales; Personales, quia non nisi deductis expensis erant præstandæ, nam nullum est lucrum nisi deductis expensis, multas sæpe tricas excitarunt, cum homines nihil in lucro superesse contenderent, plane hodie sunt sublatæ, & multi Authores defendunt, iis surrogata esse jura stolæ. Antiquior est usus decimarum realium, quam personalium, quæ multo tempore post introductæ sunt. Tritum illud: Clericus Clericum non decimat: de personalibus fructibus ex officio & ministerio spirituali provenientibus intelligendum est, non de fundis & prædiis Clericorum, quia decimæ prædiales tanquam jus reale hisce fundis inhærent, a quocunque possideantur.

Ulterior divisio est, quod aliæ decimæ sint majores; der grosse Zehend. Aliæ minores; der kleine Zehend. In his dignoscendis magna subinde in praxi occurrit difficultas. Regula ergo est, quod illæ referantur inter majores, quas fert stipula, welche auf dem Halm wachsen, ut triticum, spelta, siligo, avena, hordeum &c. minores autem dicantur, quas non fert stipula, ut fœnum, gramen, olera, fœtus animalium, qui etiam dicuntur, der Blut-Zehend. Interim tamen, si notabilis aliqua quantitas in majori aliquo districtu fructuum illorum cresceret, quos non fert stipula, ob magnam quantitatem etiam majoribus solent accenseri. Generaliter igitur in hac materia attendenda est praxis & consuetudo locorum, quæ semper est optima interpres.

ad N. 7. Aliæ etiam veteres, aliæ novales appellantur, quæ iterum vel sunt novales proprie, vel improprie tales. *Vide Authorem.* An autem sint proprie novales, videndum est ex repositis libris: aus denen Lager-Büchern: vel inquirendum est, an non exstet hominum memoria, præcipue senum, illa prædia olim jam fuisse culta, vel an non adsint indicia; ob keine Furchen da seynd. Si enim meri essent acervi lapidum, sylvæ antiquæ, utique proprie tales habendæ essent. Insignis est novalium & antiquarum in jure differentia: de qua inferius.

ad N. 8. *Quæstio præjudicialis est, quo jure debeantur decimæ?*

Resp. In L. V. Deus ex supremo suo dominio reservavit sibi decimam partem fructuum, quos dein jure cesso Levitis & Sacerdotibus in sustentationem dedit. Hi enim in distributione terræ promissionis nihil

nihil acceperant, & in hac lege decimæ fuerant juris divini. Non legimus autem in L. N. hoc præceptum sive cæremoniale, sive judiciale fuisse renovatum, sed per quinque sæcula nullæ præstabantur decimæ; Ministri autem magis ex voluntariis oblationibus sustentabantur. In sæculo VI. primum præceptum præstandi decimas legimus in Concilio particulari Madisgonensi in Gallia, quod dein successive ab aliis assumptum factum est generale in Ecclesia potissimum Occidentali, in Orientali enim non solvuntur decimæ, quæ res multas excitavit turbas; cum enim fideles neoconversi non tam faciles essent ad solvendas decimas, pœnis & legibus coactivis impellebantur. Unde legimus, S. Canutum Daniæ Regem, qui neoconversos Danos ad solvendas decimas adstringebat cœpto suo debuisse desistere, ob periculum, ne redirent iterum ad paganismum, si præceptum suum urgeret; multas etiam regiones hoc præceptum non recepere, uti constat de Thuringia, in qua non præstantur decimæ. In aliquibus regionibus quoad quosdam tantum fructus receptum est, in quo iterum praxis & consuetudo est attendenda.

Ex hac historia patet, decimas in L. N. quoad decimam præcise partem, sive formaliter, quasi divinum extet præceptum illas solvendi, non esse præscriptas. Nullibi enim ejusmodi præceptum in L. N. renovatum legimus; nec traditio suffragatur, ut certum est ex historia. Quatenus autem materialiter sumuntur & præcise congruam sustentationem ministrorum necessariorum denotant, sunt juris naturalis & divini, ita ut nulla contra valeat præscriptio, nulla consuetudo, utcunque immemorialis. Et hoc sensu etiam immunitas a tributis, pensionibus, steuris, accisis ita juris divini est, ut ne Pontifex quidem privilegium aut indultum dare possit Regibus & Principibus, Clericis decimam e. g. redituum partem adimendi, & sibi pro publica necessitate vel utilitate vindicandi. Et privilegia etiam & indulta concessa, salva semper congrua, intelliguntur.

Si ais: Multi tamen sunt Canones, in quibus decimæ juris divini esse dicuntur. Resp. Isti sunt explicandi, quod exemplariter sint juris divini, quia ad exemplum decimarum in L. V. sunt introductæ, non autem formaliter, quasi extet præceptum divinum positivum in L. N. aut aliqua Traditio.

Inquies. Ergo deterioris conditionis sunt sacerdotes N. L. quam V. T. quia his jure divino debebantur decimæ. Resp. *Negative*. Illi

enim non erant capaces possidendi fundos & agros, ac proinde congruam aliunde sustentationem habere non poterant. Sacerdotes autem N. L. possunt possidere prædia, latifundia, & suam ex his percipere sustentationem. Unde magna est inter utrosque differentia; si enim sacerdotibus N. L. jure divino vellemus vindicare decimas, conformiter etiam illos incapaces fundorum & prædiorum declarare oporteret.

ad N. 3.

Q. Cui ergo præstandæ sint decimæ?

Resp. Olim, dum non erant separata bona Episcopi, huic præstabantur decimæ. Post separationem autem, cum Episcopis sufficientia bona assignata essent, in regula jure Decretalium & ex fortissima quidem juris præsumptione præstandæ sunt Parocho tanquam ministro necessario, sive sint antiquæ, sive novales. Quisquis ergo sibi contra Parochum vindicat decimas, sive sit Ecclesiasticus, sive Laicus, fundat se in titulo speciali & exceptione a communi regula, quam debet probare, quia fortissima est pro Parocho juris præsumptio, ita ut nec exigui temporis possessor a possessione dejectus contra Parochum restituatur. C. 2. de restit. spoliator.

ad N. 5 Excipitur nisi Monasterio incorporata sit Parochia, quo in casu fundata in jure intentio est pro Monasterio. Idem judicium esto de Parochis habitualibus sive primitivis. Von denen Oberpfarrern, si Parochia sit annexa Canonicatus dignitati, in quo casu etiam novales ad illum, sicut supra ad Monasterium, spectant, quia illi præ actuali Parocho jus assistit, cum hic tantum sit Vicarius, & suam sibi congruam portionem jam habeat assignatam. Quæ si aliquando determinata fuerit & sufficiens, ea debet esse contentus, quia Vicario tantum debetur competentia.

ad N. 8. Alias in regula uti dictum est, tam antiquæ, quam novales pertinent ad Parochum actualem. Et novales quidem, scilicet proprie tales, etsi jam adsit alius decimator generalis in Parochia, nisi hic legitimam causam ostenderit, velut si incorporata esset Parochia Monasterio, annexa dignitati & præbendæ, & quarum aliquas recenset Author n. 11. semper præstandæ sunt Parocho.

ad N. 10. Magna est difficultas, an, si cui ex privilegio competat jus decimandi, illud privilegium etiam novalia: Die Neugereuth, Neuebrüch contineat? Affirmativam tenent plures, inter quos est Schmier, & in

quam

quam inclinat etiam Author, tanquam Patroni Monasteriorum, quæ plura ejusmodi privilegia habent. Volunt eam probare ex c. 17. h. t. Sed bene notandum, Pontificem in hoc capite loqui de Parochiis incorporatis, ut textus habet: Parœciarum tuarum &c. in quo casu utique præsumptio est pro Monasterio.

Ajunt. Decisionem debere esse juris dubii, sic autem, si Capitulum hoc de Parochiis incorporatis intelligendum esset, Pontificem non decidisse jus dubium. R. D. Decisio, quæ est nova constitutio debet esse juris dubii C. decisio, quæ est merum rescriptum N, Abbas in hoc casu inepte quæsivit, non potuit ergo aliud dari rescriptum. Si tamen privilegium cum amplissimis & prægnantibus verbis esset datum, ut omnes decimæ, quocunque modo & nomine veniant, concedantur, ne verba sint otiosa, comprehenduntur etiam Novalia; Juxta capit. 19. In aliis casibus debet ostendi rationabilis causa, sicut & in præscriptione decimarum, quia nunquam plus præscriptum, quam possessum.

Q. *Quid hic ex jure publico notandum?*

Resp. Art. 5. §. 37. in editione Gallica 15. Art. statutum, ut qui anno 1624. 1. Januarii fuerint in possessione percipiendi decimas, etiam in locis Catholicis, quocunque modo & titulo, sive juste, sive injuste possederint, deinceps in possessione quieta permaneant, & ex destructis Monasteriis, decimæ olim ab ipsis perceptæ dominis territorialibus solvantur. De cætero autem provocatur ad jus commune, consuetudines locorum, vel pactiones.

Q. *An Domini territoriales vi regalium novalia sibi vindicare possint?*

Resp. Id jam incipiunt contra omne jus Canonicum. Ex hoc enim Laici decimarum plane sunt incapaces, ita ut ne Reges quidem illas possidere c. 31. multo minus aliis concedere possint. Jus autem publicum præcipit observandum jus commune & consuetudines. Hinc ipse Bœhmer in speciali desuper edito tractatu Parochis Novalia vendicat, & negat Reges jure sibi attribuere novalia, nisi ex diuturna consuetudine, vel alia causa rationabili.

§. II.

Titulo igitur generali omnes decimæ, ut dictum eſt, pertinent ad parochum. Poſſunt tamen etiam alii titulo ſpeciali illas poſſidere, ut incorporatione, donatione, privilegio, præſcriptione &c. Hoc autem intelligendum de aliis Eccleſiaſticis. Quid autem ſpeciale ſit circa præſcriptionem decimarum, habes in Authore n. 21. Laici enim incapaces ſunt, & nullo modo illas præſcribere poſſunt.

M. R. 22. *Q. Quare Laici non poſſint præſcribere decimas?*

Rationem dant antiquiores præcipue Canoniſtæ. 1. Quia decimæ ſunt juris divini. Sed quam debilis & elumbis hæc ſit ratio, dictum eſt ſuperius. 2. Quia ſunt res ſpiritualis. Hæc adhuc minus ſtringit. Quid enim eſt ſpirituale? Ex etymologia nominis ſpirituale eſt, quod ſpiritum perficit. Decimæ autem paſcunt corpus, ſpiritum non perficiunt, & ſi reliquæ novem partes, quæ creſcunt in agris, manent temporales, non eſt ulla aſſignanda ratio, quare decima ſit ſpiritualis.

Ajunt quidem, indirecte, extrinſece & per deputationem decimas eſſe ſpirituales, quia ad ſuſtentationem miniſtrorum, qui adminiſtrant ſpiritualia, ſunt deſtinatæ. Hæc autem deputatio ipſam rem non facit ſpiritualem, ſed tantum Eccleſiaſticam. Bene enim notandum, in Eccleſia alias res eſſe ſpirituales, quæ ſpiritum perficiunt, alias ſacras, quæ ſpeciali dedicatione & inauguratione ad cultum divinum deputantur, ut templa, vaſa, paramenta, alias Eccleſiaſticas, quæ ad uſus Eccleſiæ adhibentur, ut cerei, reditus ad procuranda utenſilia, fundi, & prædia, quibus etiam accenſentur decimæ, & hæc non ſunt ex natura ſua impræſcriptibilia; uti nec immobilia alienari prohibentur abſolute, ſed tantum requiritur cauſa & ſolennitas. Tam parum ergo decimæ ratione ſpiritualitatis ſunt impræſcriptibiles, quam parum fundi & prædia.

Ratio ergo, quare decimæ ſint impræſcriptibiles, nequaquam eſt, quia ſunt res ſpiritualis, alias non poſſet dari diſparitas, ſed unica & fundamentalis ratio eſt, quia jus omnino prohibet præſcriptionem, quæ cum ſit creatura juris civilis, illam jus etiam omnino tollere poteſt. Quare autem jus Canonicum potius in decimis, quam aliis bonis Eccleſiæ præſcriptionem prohibeat, unica ratio eſt, quia decimæ unice ad hoc inventæ & introductæ ſunt, ut congruam inde miniſtri neceſ-

ſarii

sarii sustentationem habeant. Vineæ autem & agri non ideo sunt culti, ut ab Ecclesia possiderentur. Indifferentia sunt hæc bona, a quocunque possideantur, non item decimæ.

Q. Quomodo ergo decimæ ad Laicos & alios Ecclesiasticos pervenerint, & an Laici has salva conscientia retineant?

Resp. Ante Conc. Lateranense 1179. habitum liberior fuit Prælatorum administratio, & decimis alios infeudare licuit. Cujus rei abusum dum postea Pontifex comperit, quod nimis liberales essent Prælati, & consanguineos suos passim hisce bonis infeudarent, atque inde Ecclesiæ inciperent egere, adeo ut ornatus & utensilia sibi comparare non possent, in generali Concilio id prohibitum, & omnis etiam ab eodem Alexandro III. decimarum præscriptio annullata est. Licet quoad alia bona Ecclesiæ adhuc permissum, quod facilius adhuc ob necessitatem vel utilitatem in feudum dare possent. Laici ergo decimas possunt habere ex infeudatione ante Concilium Lateranense, vel etiam ex privilegio. Maxime autem illas acceperunt a tempore Caroli Martelli, qui suis militibus decimas in compensationem concessit. Hinc legimus in historia, Laicos accepisse altaria & Ecclesias, reditus scilicet ad ista pertinentes. Quomodo deinde ex parte pervenerint ad Collegiatas Ecclesias & Monasteria, dictum est alibi. Quia enim Episcopi militibus datas non poterant iterum recuperare, vel ipsi consenserunt, vel si non consenserunt, Romam recursus factus est; subinde etiam Laici Episcoporum consensum pecunia redemerunt, ut sic decimas ad fundanda Monasteria & Collegia transferre licuerit, unde nomen suum posteritati commendare voluerunt. Majorem etiam in Monachorum & Collegiatorum tum exemplari vita & precibus fiduciam reposuerunt; & sic decimæ ministris necessariis, quamvis non sine difficultate sunt ereptæ, Ecclesia enim semper restitit, unde legimus c. 7. *de his quæ fiunt a Prælatis*, prohibitum fuisse Laicis, ne decimas, quas possidebant, donarent Monasteriis. Ex qua historia patet, Capitula Cathedralia, Collegiata, Monasteria, si sint decimatores in loco, ubi parochus non habet congruam, non debere esse difficilia ad eam supplendam, sed ad hoc quasi ex justitia obligari.

Laicis autem, quia de jure prohibita & sublata est, nulla in decimis prodest præscriptio, sed ex solo titulo temporis immemorialis il- **ad N. 25. Unde Laici**

falva con-fcientia de-cimas pof-fideant? las falva confcientia poffidere poffunt, quia tempus immemoriale facit præfumi omnem titulum de jure meliorem, quod aut infeudatione ante Concil. Lateran. aut Privilegio aut quocunque modo de jure meliore decimas poffideant. Poffet tamen etiam dici, contraria confuetudine illam inhabilitatem præfcriptionis effe abrogatam. Cum enim hæc non fit juris naturalis vel pofitivi divini, fed mere Ecclefiaftici, contra jus autem pure Ecclefiafticum procedat confuetudo laici, generali confuetudine dici poffunt habiles redditi ad præfcribendas decimas.

§. III.

Q. Qualiter detur immunitas a folvendis decimis?

In aliis fervitutibus fundus tam diu cenfetur liber, donec fervitus probetur, contrarium omnino eft in fervitute decimarum. Generali enim lege & confuetudine omnis fundus cenfetur decimabilis, quamdiu non probatur liber, qui ergo immunitatem prætendit a decimis contra regulam, fe fundat in jure fpeciali, quod eft probandum. Hæc exceptio autem poteft competere vel ex privilegio, vel confuetudine, præfcriptione & contractu.

ad N. 43. Ex privilegio ab initio immunitatem habuerunt, Hofpitalarii, Templarii & Cifterciences, nc quidem in omnibus fundis, fed in iis tantum, quos propria manu colebant. Cum enim modicas poffiderent portiones, & valde pauperes effent, unde Hofpitalarii pauperes vulgo commilitones dicebantur, & parce inter fe viverent, aliis tamen liberales extarent, hoc privilegium obtinuerunt. Dum autem tractu temporis divites evadebant, multa prædia & fundos acquirebant, & hoc privilegium nimis noxium & damnofum Parochis evadebat, iterum iis ademptum eft illud, ita ut de noviter acquifitis decimas folvere debuerint; & hodie eft regula generalis, ut omnis fundus decimabilis maneat decimabilis, a quocunque acquiratur, quia eft onus reale, quod in omnes fucceffores tranfit.

ad N. 44. De aliis Privilegiis attendenda eft confuetudo & praxis, an fint recepta & in ufum deducta, multa enim extant privilegia, quæ recepta non funt. Multo minus hæc privilegia extendenda funt ad communicantes in privilegiis; Cum hic verfetur jus tertii, quod ex fortiffima
ad N. 45.

juris

juris præſumptione lædi ſine expreſſa derogatione non debet. Non enim veniunt ea in generali conceſſione, quæ quis veroſimiliter in ſpecie non eſſet conceſſurus, cum præcipue hæc immunitas ſit jus ſpecialiſſimum.

Ulterius immunitas competit ex conſuetudine, ab initio enim hoc præceptum non ubique eſt receptum, ut in Thuringia, Dania; alibi, quoad aliquos tantum fructus. Ubi ergo, & in quibus fructibus non eſt receptum, etiam non obligat, ſed immunes ſunt homines a ſolvendis decimis. ad N. 46.

Quod denique per contractum induci poſſit immunitas a decimis, communis eſt ſententia, quia ſic nihil ſpirituale, ut antiquiores voluerunt, venditur vel emitur, dominus enim fundi non jus ſpirituale decimandi, ſed tantum jus integros percipiendi fructus acquirit, nec jure decimarum, ſed jure Dominii illas percipit, cum res propria nemini ſerviat. Quod autem jus decimarum, ſi per contractum venditur, tanquam Simoniacum ab antiquioribus damnatum fuerit, falſo eorum de Spiritualitate principio adſcribendum, quod modo aula ceſſit, cum decimæ ſint revera juris pure pute Eccleſiaſtici, & non magis ſpirituales, quam alii fundi & prædia Eccleſiæ. Canones ergo quoad hunc rigorem cenſentur abrogati, & ab uſu receſſiſſe, ut de facto accedente cauſa & ſolennitate etiam jus decimandi vendi poſſe dubitandum amplius non ſit. ad N. 54.

Q. *Quid de mutatione culturæ in decimis obſervandum?*

Reſp. Si unus idemque ſit decimator, non eſt difficultas, ut qui prius vini, jam etiam tritici e. g. decimas caperet. Si autem fundus colatur fructu non decimabili v. g. ex agro fiat pratum in loco, ubi fœnum non eſt decimabile, vel ex prato lacus. Q. An hoc poſſit fieri invito decimatore, & an ei noceat? Et reſp. *affirmative.* Quilibet enim eſt rerum ſuarum liber moderator & Dominus. Ratio noſtra eſt, quia jus decimandi, licet reale, non tam fundo, quam ipſis fructibus inhæret, unde ſi nihil creſcat, ager non colatur, nihil etiam debetur; nec decimator poteſt hanc mutationem prohibere, quia cuique liberum eſt de re ſua diſponere. *Diſtinguis?* ſine præjudicio tertii C. cum præjudicio N. Reſp. Nullum hic eſſe præjudicium tertii, ſervitus enim a tertio non eſt in fundo, ſed in fructibus, qui ſi non creſcant, nullum

lum ei jus decimandi competit. Jus autem, quod habet in fundo est tantum conditionatum, si fructus crescant. Ex eadem regula si duo sint decimatores generales in quocunque loci districtu, alter in vino, alter in frumento, mutatio culturæ respective obest & prodest. Si autem unus in certo tantum & determinato distinctu esset decimator, alter in alio, neutri mutatio prodesset vel obesset.

Q. An Successor teneatur solvere decimas non solutas ab Antecessore.

Affirmativam tenet Author in n. 16. Sed ex ratione modo data negativa verior est tenenda, onus enim non tam fundo, quam fructibus inhæret, qui ergo fructus non percepit, decimas etiam solvere non tenetur, actio ergo contra antecessorem est instituenda.

Q. Quænam actio decimatori detur?

Resp. Si agatur de ipso jure decimandi, quia est servitus, datur actio confessoria & negatoria, si autem non de jure, sed ob solutionem non factam de actuali solutione agatur, Author vult, dari actionem rei vindicatoriam, sed cum decimator nullo modo ante separationem & traditionem brevis manus sit dominus decimarum, hæc institui non potest, sed tantum condictio ex Canone, quæ actio est personalis & perpetua, quæ per triginta annos institui potest. Per speciales tamen constitutiones & ordinationes decimarum, vulgo die Zehend-Ordnungen, brevius subinde tempus est præscriptum, quo elapso exspiret actio. Hic ergo iterum praxis & consuetudo est consulenda, ubi subinde decimæ per tres annos non petitæ non amplius debentur.

Quænam remedia sunt Jure Canonico prodita?

Jure Canonico etiam contra contumaces proditum est remedium excommunicationis, quod tamen, cum ex Conc. Tridentino debeat esse rarum, & nonnisi in gravissimis causis adhibendum, ne vilescat fulmen Ecclesiæ magis, quam timeatur, vix erit practicandum. Alterum est denegatio sepulturæ Ecclesiasticæ, quæ pariter nonnisi causa cognita, & prævio gravi delicto est infligenda. In Instrumento Pacis Westph. Art. 9. §. 48. etiam insertum est, quod Episcopus statum & subditos suæ quondam Diœceseos, si decimas Catholicis debitas solvere no-

nolint, excommunicatione ferire possit; id quod Protestantes, quia fulmen sacrum non agnoscunt, tanquam paradoxum & inutile rident. Sed cum multa alia sint paradoxa & irregularia, quod e. g. Lutheranus præsentare possit Parochum Catholicum, vel vicissim, quia tamen Lex ita scripta, licet dura & paradoxa, non tamen dicis causa condita & pacta est; hæc excommunicatio eandem vim, quam alias habere debet, ut scilicet taliter excommunicatus in sacris cum suis communicare non possit, non agere testem in judicio &c.

Q. Quis sit judex in causa decimarum? ad N. 59.

Quia hæc causa olim censebatur spiritualis, consuetudine introductum est, ut, si in petitorio agatur inter Ecclesiasticos, vel etiam Ecclesia tantum sit actrix, & persona conventa laica, quamvis alias actor teneatur sequi forum rei, ex qualitate tamen causæ Judex sit Ecclesiasticus; Si autem inter duos Laicos agatur, ad sæcularem judicem causæ cognitio pertinet.

§. IV.

Primitiæ ab usu recesserunt, oblationes olim frequentes fiebant, offerebant præcipue fideles inter missarum solemnia panem & vinum, in quibus conficiebatur eucharistia, & quod erat reliquum, Sacerdoti in sustentationem cedebat. Cum autem abrogato usu calicis eucharistia, ut nunc, in pane formato distribuebatur, loco panis obtulerunt nummos, quos dicebant die Meß-Pfenning. Introducto deinde Clero regulari, cum missæ privatæ tum præcipue cœptæ sunt celebrari, sæpe ante missam nummos istos offerebant, ut scilicet sui memores essent in missæ sacrificio, de cujus fructu hac ratione participarent; hunc fructum ex post theologi in specialem, specialissimum & generalem diviserunt. Quantum autem taliter offerens participet, non potest determinari, subinde enim, qui devote interest missæ sacrificio, plus participat; quam is, qui offert nummos. Certum tamen est, aliquem fructum inde obvenire ejusmodi offerenti, si non ponat obicem; ex hisce ergo oblationibus invaluerunt stipendia missarum, quæ neutiquam pro hoc sacrificio dari & accipi possunt sine gravissima Simonia, sed solo titulo oblationum pro necessaria ministrorum sustentatione, in quo ta-

tamen magnus subinde abusus committitur, sed vitio hominum, non Ecclesiæ; Sicut & in celebratione sæpe augustissimum hoc sacrificium exiguo cum decore tractatur, id quod magno infidelibus est scandalo. Nunquam enim judæus vel turca adduci poterit, ut credat in hoc Deum offerri, si tam indecore illud peragi, aut questum hic exerceri advertat. Major fuit in primitiva Ecclesia erga hoc divinissimum sacrificium reverentia, major in adstantibus devotio & cultus. Olim semper proximi altari viri respondebant sacerdoti, hodie pueri vix bene vestiti, pleni petulantia, oculis hinc inde circumvagantes & ludentes officium hoc peragunt, id quod maxime repugnat reverentiæ huic augustissimo sacrificio debitæ.

TITULUS XXXI.

De Regularibus & Transeuntibus ad religionem.

Postquam Pontifex egit de statu Clericali, officiis, dignitatibus, actibus Clericorum tam inter vivos, quam mortis causa, transit nunc ad regulares, qui nunc etiam distinctam quasi in Ecclesia Hierarchiam constituunt. Celebris, uti dictum est, divisio fit Clericorum in sæculares & regulares sive religiosos, a regula, sive religione, cui per specialia vota quasi religati sunt, ita dictos.

ad N. 1. Sumitur autem hic religio pro stabili & perpetuo vitæ statu & conditione, & definitur ab Authore, quod sit fidelium ad Christianæ vitæ & charitatis perfectionem tendentium editis votis perpetuæ paupertatis, castitatis ac obedientiæ stabilis in communi vivendi modus ab Ecclesia approbatus. Tria ergo ad constituendum religiosum requiruntur, ut scilicet emittat tria vota paupertatis, castitatis & obedientiæ; 2. ut sub certa regula, quæ viam & media ad perfectionem ostendat, vivat. 3. ut regula illa sit a Pontifice approbata.

ad N. 4. *Q. Quæ sit origo regularium?*

Volunt hanc aliqui, Præcipue Carmelitæ jam a Veteri Testamento ab Elia vel Elisæo deducere, forte quod in monte Carmelo Monasterium postea habuerint, vel, ut Author, ab ipsis Apostolis. Sed optime hanc deducit Thomasinus in sua historia veteris & novæ disciplinæ,

næ, ubi bene ait, fuisse quidem tum apud Judæos, tum apud gentiles moratiores homines, qui vitam solitariam extra commercium hominum ducerent, abstinerent a nuptiis, & in oratione & jejuniis asceticæ vitæ vacarent. Utut autem inde exempla & vestigia vitæ monasticæ occurrerint, religiosi tamen secundum statum modernum dici nequaquam poterant, nec enim emittebant vota, nec regulam profitebantur, aut eodem, quo nunc, utebantur habitu, nec alius fuit superior localis, alius provincialis, alius generalis, ut jam videmus. Primus omnium in novo Testamento eremita fuit Paulus, qui solitariam in eremo vitam duxit, hic tamen non legitur habuisse discipulos. Imitator ejus fuit Antonius eremita, qui etiam alumnos habuit, quibus regulam præscripsit. In Sæculo IV. Pachomius, quia vidit, multas deordinationes & incommoda oriri ex vita ista privata extra conspectum hominum & superioris, collegit istos eremitas sub certa regula & inspectione superioris, qui vocati sunt cœnobitæ, & claustra sua plerumque in sylvis & solitudinibus habebant. Successu temporis tamen etiam in suburbiis excitata sunt, & tandem, præcipue cum etiam fœminæ hoc institutum amplecterentur, ad civitates etiam translata sunt. Mirum in modum hoc institutum propagatum est in Oriente, præprimis in Ægypto, ut infinitus quasi Monachorum numerus ibidem esset. In Occidentali autem Ecclesia receptum non est nisi in sæculis posterioribus tempore Athanasii, qui magna tum pollebat authoritate ob hæreses profligandas, propagatus etiam est hic ordo in Occidente, sed Monachi tum adhuc fuerunt de statu laicali, quorum superior Abbas vel pater dicebatur, & œcumenicam tantum inspectionem & directionem habeat, & postremus inter Clericos post ostiarios scilicet veniebat. Frequentabant tum illi Ecclesias Parochiales, cum ipsis laicis percipiebant sacram communionem, regulæ autem erant arbitrariæ ad beneplacitum cujusque patris. In sæculo autem VI. primus omnium S. Benedictus stabilem aliquam & generalem regulam istis Monachis præscripsit, quæ, quia valde erat discreta & sana, per totum Occidentem mirifice est propagata, & sic ad statum quasi medium inter Clericalem & Laicalem status Monachorum evectus est. Cum autem viri complures pietate, doctrina & virtutibus insignes sub hac regula florere inceperunt, etiam clericare cœperunt, & provehi ad officia, dignitates, & ministeria ecclesiastica. Ab initio oratoria tantum privata habebant prope sua Monasteria, successu temporis etiam publicas exstruxerunt ecclesias, in quibus sacra celebrarunt. Ad exemplum hujus instituti præeunte potissimum Chrodegango Episcopo Metensi

tensi introducti etiam sunt Canonici in communi viventes, differebant autem a statu Monachali, quod non emitterent vota præcipue paupertatis, reliqua fere erant communia. Ex his circa Sæc. XI. orti sunt Canonici regulares. De progressu autem, discessione Canonicorum in communi viventium, & erectione beneficiorum, dictum jam est in titulo de beneficiis, quem hic relege.

Sed ut nihil in mundo stabile & perpetuum, sed omnia mutationi sunt obnoxia, ita etiam ob divitias & injurias temporum collapsa est ista disciplina, & multum labefactata in Ordine S. Benedicti. Surrexerunt proinde in sæculis sequentibus plures viri zelosi circa Sæcul. XII. præcipue, qui istam collapsam disciplinam restaurare & reformare voluerunt, & ex hisce reformationibus plures emerserunt novi ordines, quorum celeberrimus fuit Cistercienſium, uti & Carthusianorum, & Cœlestini vallis umbrosæ, qui tamen omnes pro basi & fundamento regulam S. Benedicti habuerunt.

Tempore etiam Cruciatarum sub Urbano II. in Sæc. XI; quarum eximius promotor fuit S. Bernardus in Sæculo XII. occasione quarum indulgentiæ etiam plenariæ invaluerunt, tres etiam famosi ordines militares orti sunt: Templarii scilicet, quorum nota est excisio, Hospitalarii S. Joannis, & Teutonici B. M. V. qui sunt quasi fœtus Templariorum, quorum officia fuerunt, in terra sancta curare peregrinos, inservire in hospitalibus, vias servare tutas, & pugnare contra infideles. Et quia plures familiæ nobiles ad consequendas indulgentias plenarias, & declinandas publicas tum adhuc usitatas Ecclesiæ pœnas, has cruciatas secutæ sunt, magna est in Occidente subsecuta mutatio. Cumque etiam plures ex his huic ordini se adscribi curarent, isti ordines equestres, & ex bonis, quæ hi transferebant, tam potentes evasere.

Postea in Sæc. XIII. surrexerunt Mendicantes. Videbant enim viri zelosi, ob capacitatem saltem in communi possidendi bona non posse stabilem in disciplina reformationem subsistere; Hinc & huic renuntiare mendicantes cœperunt, primus fuit S. Dominicus, cui coævus fuit S. Franciscus, qui pauperrimum ordinem incepit, & vilissimum sibi habitum elegit instar Marianorum Assisiis, ubi ortus fuit. Ex hujus ordine tres iterum distincti, vel plane quatuor exierunt ordines. Eodem Sæculo reformatus & quasi noviter institutus est Ordo Carmelitarum, & collecti etiam sunt Eremitæ S. Augustini, quibus hic nunquam regu-

lam

jam præscripsit. Institutum enim illud Clericorum, cui regulam suam præscripserat, non fuit propagatum, alias autem regulas non dedit, nisi quod sorori suæ normam aliquam vivendi tradiderit.

Cum autem ob incapacitatem possidendi bona, monachi extra monasteria ad colligendas eleemosynas diu sæpe versarentur, induerunt etiam mores laicorum, quos secum in monasteria deferebant; Advertit proinde Ecclesia disciplinam ita subsistere non posse. Hinc in Concilio Trident. omnes ordines capaces declaravit possidendi bona in communi, exceptis Capucinis & Fratribus minoribus, quibus tamen & illud præcepit, ne numerum ultra tot augerent, quot ex consuetis eleemosynis alere possent Sess. 25. C. 3.

Novissime adhuc alii instituti sunt ordines, & tempore Con. Trid. inceptus est Ordo S. Ignatii, qui omnium fere ordinum regulas ob oculos habuit, & quintam, ut ita loquar, essentiam ex iis extraxit. Compactum est hoc institutum, quod approbavit Paulus III. ex meris privilegiis, & cum multa paradoxa & regulari instituto opposita contineat, ut, quod vota tantum simplicia emittant, se quidem religioni, illa non vicissim se ipsis obliget, contra insurrexerunt alii religiosi & monachi, & noluerunt hoc institutum tanquam regulare agnoscere, donec Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit: Ascendente Domino, tanquam fautor & patronus singularis hujus ordinis, excommunicationi omnes illos subjecit, qui hoc institutum tanquam religiosum non agnoscerent, aut contra loquerentur.

Bonanus, qui omnium ordinum habitus & regulas descripsit, recenset diversos virorum ordines 140. fœminarum autem 108. Cæterum omnes ordines approbatos spectare nunc ad Hierarchiam Ecclesiasticam, jam non amplius est dubium, cum alii sint imperantes, alii subditi, qui non œcumenicam tantum, ut olim inspectionem, sed veram in subditos jurisdictionem habent.

Q. An diversitas ordinum Ecclesiæ sit proficua? ad N. 3.

Rationem Authoris vide in n. 3. Fleury, qui specialem desuper tractatum scripsit, non censet proficuum Ecclesiæ, novos introducere ordines, & legimus, id jam in decretalibus prohibitum fuisse ab Innocentio III. & Bonifacio VIII. Sed quia tum ista introductio facta est causa reservata, & una ex majoribus, ut sine consensu Pontificis alii ordines non introducerentur, hoc ipso plures postea incepti sunt. Ratio

ipsius Fleury est, quia videtur repugnare charitati in lege Christi unice præceptæ, charitas enim magis ad communia quam specialia, hæc diversitas autem ad particularia tendit, ex qua particularitate oriuntur mutuæ frequenter dissensiones, æmulationes, non charismatum meliorum, sed pravæ, dum unus status se alio semper digniorem, meliorem, sanctiorem &c. judicat. Frequentes hinc ortæ sunt disputationes inter ipsos ad conflandam invidiam, licet futiles sæpe & inanes, qualis est illa de habitu S. Antonii, de Caputio. Hæc disputatio apud Romanos jam in proverbium abiit, si enim futilem & inutilem disputationem velint exprimere, dicunt: est de habitu S. Antonii. In hoc ergo Fleury auream putat servandam esse mediocritatem, ne nimis multiplicentur ordines, præcipue Mendicantium. Cum enim consuetis eleemosynis alere se non possint, aniles subinde & superstitiosas incipiunt devotiones, varias ab Ecclesia non approbatas benedictiones herbarum & aliarum rerum introducunt, quæstum subinde faciunt in sacris, & ita scandalo & ludibrio religionem nostram exponunt. Interim tamen vix Comites, Principes & Reges ita suum extendere imperium studebant, uti nunc mendicantes familiam suam continuo augere, ubique nova vel monasteria vel hospitia saltem exstruere laborant, & quotquot sibi obstantes inveniumt, totidem se inimicos invenisse putant, quibus suam Deus maledictionem infliget, cum tamen hi animo vere pio subditis, statibus & ipsis adeo ordinibus consulant, ne, dum extorquere eleemosynas sufficientes amplius non possint, sicut jam multorum refrixit charitas, ob frequentissimas rerum omnium collectiones demum vilescant & pereant. De reliquis lege Authorem.

Quænam ætas ad professionem requiratur?

ad N. 24. Ante Conc. Trid. sufficiebant anni pubertatis, sed quia compertum est, non defæcatum satis in illa ætate judicium esse, deliberabant desuper Patres in Conc. Trid. & discordes fuerunt, quænam ætas sit præfigenda ad emittendam valide professionem. Statuerunt alii 20. alii 18. alii annos pubertatis. Sed via tandem media inita, & statutum est, ut professio facta ante annum unum saltem novitiatus continuum, & 16. ætatis annum completum, ipso jure nulla sit.

ad N. 54. Hoc remedium extraordinarium restitutionis in integrum, si per quinquennium durante metu vel alia ex causa non fuit reclamatum, est

de

de reſervatis papalibus, de qua cauſa in Conſiſtorio cum Cardinalibus cognoſcit, & ſubinde etiam reſtituit.

TITULUS XXXIII.

De Converſione Infidelium.

Hic titulus occaſione matrimonii, de cujus ſolutione per profeſſionem religioſam actum eſt, hic inſeritur. Dicuntur autem infideles, qui non ſunt baptizati, & per baptiſmum dicuntur converti, quia ergo horum matrimonia in infidelitate contracta valent, quæritur an per baptiſmum ſolvantur? & Reſp. *negative.* Si enim altera pars velit pariter converti, vel pacifice cohabitare, & id ſine periculo perverſionis, aut contumelia creatoris poſſit, tenetur pars converſa cohabitare. Cenſent tamen aliqui hoc ultimum eſſe tantum de Conſilio ex Apoſtolo, & quia plerumque adeſt periculum perverſionis, Epiſcopum etiam invita parte altera, ſi nolit converti, licentiam dare poſſe transeundi ad vota ſecunda, per quæ deinde matrimonium prius ſolvatur; ſola ergo converſio ſive baptiſmus non ſolvit matrimonium, ſed vota ſecunda.

Quo tempore modernus Pontifex Benedictus XIV. Romæ adhuc Profeſſor juris Canonici fuit, contigit mirus caſus: converſa eſt Judæa quædam, ſed manſit innupta, vir ejus Judæus aliam duxit, cum qua deinde & tota familia ſua voluit pariter converti, ſi liceret ſibi manere apud ſecundam, deſuper pro & contra diſputatum eſt diu, an ob converſionem Pontifex licentiam dare poſſet manendi apud ſecundam, ſed conſultius judicatum eſt caſum non decidere, & relinquere potius Judæum in infidelitate, ſi nollet redire ad primam, quia compertum eſſet, quantum malum invexiſſet in Eccleſiam deciſio illa, qua Clemens VII declaravit, validum eſſe matrimonium Henrici Regis Angliæ cum Catharina Auſtriaca, licet fratri Regis antea juncta fuiſſet, quia Pontifex in gradu primo affinitatis diſpenſare poſſet.

TITU-

TITULUS XXXV.

De Statu Monachorum & Clericorum regularium.

Dictum est de statu privato Monachorum, quod essentialiter & substantialiter consistat in tribus votis castitatis, paupertatis & obedientiæ, cum actuali sui traditione & acceptatione legitimi superioris nomine ordinis a Pontifice approbati. De hoc statu & obligatione votorum Author agit in hoc titulo, de statu autem publico hic adnotandum venit:

Primitus, ut antea jam dictum est, Monachos fuisse de statu mere laicali, frequentasse Ecclesias Parochiales, percepisse communionem laicalem, donec successive oratoria privata acceperint; & postquam Benedictus stabilem & universalem in Sæc. VI. præscripsit regulam, medium Clericalem inter & Laicalem sortitos, ob famam autem sanctitatis & doctrinæ evectos demum esse non tantum ad ordines sacros, sed etiam ad officia & dignitates Ecclesiasticas. Interim tamen separatam nondum Hierarchiam constituebant, sed suberant Episcopis, circa sæculum autem XIII. dum invaluerunt exceptiones, quia non suberant amplius Episcopis, substituendi erant alii superiores, quorum alii erant locales, alii provinciales, alii generales, & sic Monasteria cœperunt redigi in distinctas congregationes, quibus diversi & subordinati præerant Superiores.

Regulariter ergo Monasteria, quæ non sunt redacta in congregationes, sed a specialibus reguntur superioribus, Prælatis vel Abbatibus, subjecta sunt Episcopo, & postquam hi Prælati usum etiam Pontificalium acceperunt, non œcumenicam amplius inspectionem tantum, sed veram in subditos jurisdictionem exercent, cum subordinatione tamen non modo ad Pontificem, sed ipsum etiam Episcopum.

Superiorum localium, qui Abbates vel Prælati dicuntur, alii sunt mitrati, qui habent usum Pontificialium, alii non mitrati, qui usum Pontificalium non habent. Unte mitratis specialis confertur benedictio, & cum cæremonia Ecclesiastica Pontificalis traduntur, quæ tamen multum differt a consecratione Episcoporum, utpote quia nec sacramentum est, nec gratiam confert.

Mi-

Mitrati alii sunt exempti, qui instar filiorum patria Episcopi potestate emancipati subsunt aliis superioribus, interim tamen sicut filius emancipatus patri, ita hi Episcopo reverentialia non possunt denegare. Ex hoc colliges, exemptos regulariter illos esse, qui subsunt aliis superioribus, sive speciales ordinum superiores habent; qui autem tales non habent, in regula non sunt exempti, sed ipsis Episcopis subjecti.

De Abbatibus notabilis adhuc est divisio, quod alii sint perpetui, alii temporanei. In Italia omnes Abbates sunt temporanei, qui tamen semel Abbas, semper Abbas, hinc transferuntur ab uno Monasterio ad aliud. Introductum hoc est, ne Abbatiæ dentur in Commendam, cum enim perpetuæ dari possent in Commendam Clericis etiam sæcularibus, ut usus obtinuit in universa Gallia, exceptis iis, ubi resident Generales ordinum, uti Cisterciensium, Carthusianorum, Præmonstratensium, quæ in Commendam dari non possunt, introductum est in Italia, ne Abbatiæ essent perpetuæ, ut salvarent regulam: regularia beneficia regularibus conferenda esse.

Alii etiam sunt, qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem, qui nullius dicuntur Diœceseos. Hæc jurisdictio autem debet exerceri in territorio proprio & separato, & non potest acquiri, nisi expresso privilegio summi Pontificis, vel præscriptione immemoriali, ut a Clemente XII occasione litis cum Abbate Fuldensi, modo in Episcopum evecto, ex congregatione specialiter habita moderno Pontifici Benedicto XIV. responsum est. Non sufficit ergo, si parochia aliqua, vel plures incorporatæ sint monasterio, in quibus Abbas jus parochiale exercet, quia hoc jus semper dependet ab eminentiori jure Episcopi, distincta enim sunt jura Episcopi & Parochi, hæc minora, illa sunt eminentiora, debet ergo jus vere Diœcesanum exercuisse, non tantum in Monachos, sed etiam Clericos, eos im & deposuisse ad libitum. In subditos item separati illius territorii jurisdictio Episcopalis debuit esse exercita, alias jus Diœcesanum & jurisdictio quasi Episcopalis pro Abbate probari non potest.

In Imperio etiam notabilis est differentia, quod alii Prælati sint immediati, qui habent territorium nulli alteri statui, sed immediate Imperio subjectum, alii mediati, quorum territorium alteri statui est subjectum, & hi vocantur Landsassii. Et si quam habent jurisdictionem, illam cum dependentia ab illo Domino territoriali exercent.

Immediati iterum alii sunt Principes Imperii, qui habent suffragium virile in Comitiis, uti Abbas Fuldensis nunc Episcopus, alii non Principes, qui votum tantum curiatum & sessionem in aliis scamnis habent.

Q. Quænam sit forma regiminis regularium.

Resp. Constituunt jam, uti ex hactenus dictis patet, separatam & distinctam Hierarchiam Ecclesiasticam. Est enim status, in quo alii sunt imperantes, alii subditi, cum subordinatione ad unum superiorem & demum ad Pontificem. Tamburinus, qui scripsit de jure Abbatum, formam regiminis putat esse aristocraticam, quia inferiores Prælati votum etiam decisivum in congregationibus habent. Ordo Jesuitarum autem perfecte Monarchice instar regni Gallici regitur, quia omnes superiores a Generali tanquam præsides & ministri dependent, nec votum aliquod decisivum, sed mere consultativum habent.

TITULUS XXXVI.

De Religiosis domibus, ut Episcopo sint subjectæ.

ad N. 1. Religiosæ domus seu Monasteria, sunt illa diversoria, in quibus religiosi collecti habitant, qui vota superius dicta nuncuparunt, & Deo in hymnis & canticis deserviunt, quæ ut fiant juris publici, & gaudeant immunitate sive privilegiis Ecclesiasticis, cum consensu Episcopi debet esse erecta. In his etiam accensentur Hospitalia, Leprosoria &c. & quæcunque loca pia, in quæ omnia ex Concilio Tridentino competit Episcopis inspectio. Si autem non sint cum authoritate Episcopi erecta, manent fundationes piæ privatæ, nec gaudent privilegiis.

ad N. 4. Iste autem consensus Episcopi debet esse qualificatus prævia cognitione causæ, servatis servandis, & vocatis & auditis, quorum interest, alias habent actionem novi operis nuntiationis, & desuper possunt conqueri apud Pontificem.

Q.

Q. An etiam consensus Domini territorialis requiratur?

Resp. In tota Gallia absque consensu Regis nullum potest erigi Monasterium, & hic consensus videtur etiam esse necessarius a quolibet domino territoriali ad exstruenda in suo territorio Monasteria, præcipuæ mendicantium. Interest enim statui publico & politiæ, ne subditi nimium graventur exactionibus eleemosynarum, dum nimium multiplicantur mendicantes, ut consuetis alias eleemosynis vivere non possint. Hinc in jure & constitutionibus Apostolicis limites adeo & passus determinati sunt, intra quos duo Monasteria ædificari non possint, quamvis hi non ita attendantur.

Maxime odiosi autem sunt, & male audiunt in constitutionibus Apostolicis conventus minores & hospitia, quia in iis disciplina Ecclesiastica & religiosa tam exacte servari non potest, cum non celebretur ibidem chorus, nec consueta alias pietatis exercitia peragantur. Hinc prohibitum, ne Monasterium exstruatur, nisi illud duodecim saltem possit alere & sustentare. Et si quis etiam conventus ejusmodi minor, alias etiam exemptorum erigeretur, maneret tamen perfecte subjectus Episcopo. Improbandi tamen omnino non sunt, si præcipue in partibus hæreticorum ut missionarii degant, ut status Catholicus suum ibi religionis exercitium habere possit.

Q. Quid ex jure publico circa Monasteria advertendum?

Resp. Ex jure publico hic notandum, omnia monasteria, commendas &c. quæ status Protestantes in anno decretorio 1624. primo die Ianuarii possederunt, quocunque titulo, sive juste sive injuste, iis esse relicta, ut omnes inde reditus & proventus possint percipere, & §. 36. ulterius statutum, ut Monasteria Catholica, quæ sita essent in statibus Protestantium, deficientibus Monachis, aliis repleri, aut etiam distinctis ordinibus tradi possent, non tamen iis, qui modo post dissidia invaluissent, Jesuitis scilicet, quia hos homines turbulentos, inquietos & factiosos crediderunt. Ubi autem simul Catholici & Protestantes vixissent, iidem ita deinceps permanerent, publicum etiam maneret exercitium absque unius & alterius partis impedimento. Regulares item, ut plenam haberent in suos subditos jurisdictionem in territoriis etiam Protestantium, nec illis quidquam Protestantes injungerent & mandarent contra religionis suæ principia, ubi tamen jus visitandi, corrigen-

di exercuissent, idem retinerent. Visitatio autem hic intelligenda quoad reditus, an juste impendantur, quoad disciplinam enim Ecclesiasticam nihil possunt corrigere.

Licet etiam jurisdictio Episcoporum in Protestantes subditos sit suspensa, si tamen Monasteria vel alii Catholici publicum in anno decretorio exercitium habuerunt, Monasteria illa in statibus Protestantium & Catholici manent subditi Episcoporum. Si autem publicum exercitium non habuerunt, privata saltem communicatio negari non potest, uti v. g. negari non potest, ut Sacerdos ab Episcopo approbetur, quia alias contra sua principia tractarentur; quod ut plenius intelligas hic repete

Exercitium religionis esse triplex, publicum, privatum, & domesticum. *Publicum*, quod in publica Ecclesia signis publicis, pulsu campanæ & a publico ministro peragitur. *Privatum*, quod in oratorio privato non publicis signis & a ministro privato peragitur. *Domesticum*, quod absque interventu ministri dominus cum suis domesticis in ordine ad cultum divinum peragit. §. 7. Instr. P. W. conventum quidem est inter Protestantes & reformatæ religionis asseclas, ut si contingeret, unum transire ad alterius religionem, non posse illum nisi privatum habere exercitium, hoc autem Catholicos non attinet, hi enim ex §. 31. plenum jus reformandi & introducendi simultaneum innoxium, dummodo Protestantes in possessione sua, quam in anno normali habuerunt & probare possunt, non turbent & excludant.

TITULUS XXXVII.

De Capellis Monachorum, & aliorum religiosorum.

De origine Capellarum nihil habet Author. Dictum est autem superius, Monachos, qui ab initio erant de statu Laicali, & Ecclesias Parochorum frequentarunt, successu temporis accepisse oratoria privata, in quibus oratoriis in capsis sive reconditoriis asservabant reliquias SS. Martyrum, in quarum præsentia, dum cœperunt clericare, celebrabant missas, unde etiam mos invaluit, ut in aris semper reponantur reliquiæ Sanctorum. Prope hæc oratoria constituebant etiam cœmeteria, ut sic sanctis martyribus propiores sepelirentur, & de eorum suffra-

fra-

fragiis participarent. In ipsa enim Ecclesia prohibitum erat alios sepelire quam Martyres, supra quorum reliquias plerumque ædificabantur Ecclesiæ. Ista ergo oratoria a capsis istis dictæ sunt capellæ, & ministri, qui in his ministrabant Capellani. Differebant autem ab Ecclesiis, quia in hisce minister publicus convocato populo sacris operabatur, in iis tantum Monachi ad majorem suam commoditatem inter se sacra facerent & operarentur, unde mos hodiedum est, ut in quibusdam ordinibus Cisterciensium & Carthusianorum templa non quovis die aperiantur, & mulieres saltem ab iis arceantur.

Non autem tantum Monachi ejusmodi capellas habuerunt, sed ipsi etiam Reges & Imperatores, præcipue dum aulam adhuc ambulantem habuerunt. Circumferebant tum undique secum Sanctorum reliquias, in quorum præsentia a capellanis missa celebrabatur in locis, ad quæ pervenerant, & quia plures subinde Capellanos sibi associarunt, ut esset aliqua subordinatio, unus aliquis in reliquos inspectionem habuit, qui dicebatur Archi-Capellanus. Horum opera, quia erant literati, & seculares operam literis non dabant, utebantur etiam in Cancellaria, in qua ille etiam, qui inspectionem habuit, dictus est Archi-Cancellarius. Unde istæ dignitates & officia deinde invaluerunt, quæ etiam Archi-Episcopi ambierunt, & facta demum sunt hæreditaria, & in feuda concessa & dignitatibus affixa, ut Moguntinæ, Coloniensi & Trevirensi Sedi.

Ipsi etiam nobiles, qui habitabant in castris, & longius ab Ecclesia distabant, ut valde incommodum esset istas accedere, oratoria sibi privata constituerunt, & Capellanos ex propriis aluerunt, ut cultum divinum haberent, unde plures jam in Decreto Gratiani canones habemus, in quibus præcipitur, ut in festis saltem majoribus & solennioribus Ecclesiis interessent, & hodiedum si Episcopus vel etiam Pontifex oratoria privata concedat, solent excipere festa majora & solennia, in quibus ad satisfaciendum præcepto Ecclesiastico adeunda est Ecclesia Principalis.

Successu temporis istæ capellæ Monachorum excreverunt in amplas Ecclesias, unde jus Parochianum, quod olim erat bannarium in multis imminutum est. Plura quæ habet Author hic in §. II. de Vicariis, hodie ex istis amplius principiis tractantur.

TITULUS XXXVIII.

De jure Patronatus.

Habet hic titulus connexionem cum præcedente, quia jus Patronatus magna ex parte ortum habet ex istis capellis. Cum enim successu temporis castris nobilium integri pagi & oppida adjicerentur, ista oratoria privata in publicas evaserunt Ecclesias, quibus nobiles eosdem Capellanos præficiebant, offerendo illos Episcopis, ut vel ab iis ordinarentur, vel jam ordinati approbarentur. Et quia hos propriis plerumque sumptibus alebant, remansit penes illos jus præsentandi, postquam Ecclesiæ illæ juris publici & parochiales evaserunt. Quid sit jus præsentandi habes in N. 1.

Q. Quo jure competat jus præsentandi Patronis?

Ex origine modo explicata Protestantes hoc jus volunt Patronis vindicare ex jure dominii & proprietatis, quia olim Patroni in privatis illis oratoriis habuerunt dominium. Sed cum ea, quæ sunt juris publici, fiant extra commercium privatorum, postquam ista oratoria evaserunt juris publici, ex principiis Catholicis non potest competere nisi instar servitutis. Quare etiam in vindicando hoc jure actio confessoria & negatoria instituitur, ita ut Patrono non major competat potestas, quam designandi personam, in quam deinceps ille nullam amplius jurisdictionem aut correctionem exercet, uti olim prætendebant.

ad N. 2. Recenset hic Author honores, qui debentur Patrono, inter quos etiam est, quod speciali thurificatione & aspersione in Ecclesia distinguatur. Jam vero patroni sibi volunt porrigi aspergillum, ut ipsi se aqua benedicta aspergant, quod tamen est contra omnem rubricam, specialiter enim unguntur manus sacerdotis, ut quidquid benedixerint, sit benedictum, hinc manu sacerdotis separata ipsis debetur aspersio, si enim hanc nolint admittere, quare non vicissim prohibent, ne sacerdos in fine missæ crucem quoque super ipsos formet, ut & ipsi sibi in ultima missæ benedictione crucem forment?

Q. An hæc jura etiam debeantur Patrono Ecclesiastico, monasterio vel Collegio?

Resp. *Negative.* Conceduntur enim Patronis in compensationem liberalitatis & munificentiæ in Ecclesiam, collegia autem & monasteria,

quæ

quiæ per incorporationem habent decimas, hoc jus aliunde, non ex fundatione vel dotatione Ecclesiæ acquisiverunt, & Patronus Ecclesiasticus nec obolum sæpe contulit Ecclesiæ, quare etiam illis honos iste & præcedentia non debentur.

Q. An ad Patronum pertineat onus fabricæ Ecclesiæ?

Resp. Qui jus patronatus fundant in jure dominii, utique debent etiam patrono onus reparandi Ecclesiam imponere, quilibet enim dominus rem suam tenetur conservare, si tamen patroni non simul etiam fructus percipiant, contra rationem humanitatis videtur, ob liberalitatem & beneficentiam onus reparandi Ecclesiam Patrono imponere. Si tamen fructus ab Ecclesia percipiant, pro rata debent concurrere. Interim hoc verum est, si Ecclesia plane corruat, & ab alio de novo erigatur, quod Patronus jus præsentandi amittat, & illud in alium ædificantem transferatur.

Celebri divisione dividitur jus patronatus in Ecclesiasticum & laicale, de quo vide n. 9. *Si dicis:* omne jus præsentandi est Ecclesiasticum, quia est spirituale & absque Simonia vendi nequit. Resp. Dicitur laicale, quia generali privilegio & licentia laici instar servitutis hoc jus exercere possunt. Bene ergo adhuc dividitur in laicale & Ecclesiasticum. ad N. 9.

Differt autem jus laicale, inprimis, quod patronus Ecclesiasticus non possit prætendere honores alias patrono laico debitos. 2. Quod laicus plures, non exclusive, sed cumulative præsentare possit, hodie unum, cras alterum, ita tamen, ut primum non excludat, sed penes Episcopum sit electio, quem digniorem judicet. Rationem hujus dant, quia ex præsentatione laici non acquiritur jus ad rem, sicut ex præsentatione Ecclesiastici, licet jus acquiratur, ne extraneo non præsentato beneficium conferatur, ecclesiasticus proinde variare non potest, sicut laicus. Alii id ideo laico indultum putant, quia non potest ita notas & perspectas habere qualitates ad beneficium requisitas, sicut Ecclesiasticus. ad N. 11.

Patronus laicus quatuor tantum menses habet, quod tempus ab initio est utile, & non currit, nisi a die notæ vacationis. Si tamen lis sit inter patronos, tempus currit, quia diuturnior vacatio Ecclesiæ censetur damnosa. Hinc ne iis elabatur tempus, uterque debent præsenta- ad N. 13.

re,

re, & si unus fuit in possessione, alter in petitorio, illius, qui in possessione est, præsentatus instituitur, quia lite pendente nemo commodo possessionis suæ privandus. Et licet alter in petitorio evincat, institutio tamen est valida.

Si dis, per litem talis ponitur in mala fide, & fructus non potest percipere, & perceptos debet restituere. Resp. Hoc intelligitur de iis fructibus, qui faciunt possidentem locupletiorem, ex præsentatione autem nullum obvenit commodum.

Si autem super ipso possessorio lis moveatur, neuter est instituendus, sed interim dandus œconomus, donec unus in possessorio vel petitorio causam evincat.

Bene notandum, hoc tantum procedere, si lis inter ipsos Patronos moveatur. Si enim ab ordinario lis patrono moveatur, ne in ejus arbitrio sit, patronum a præsentatione impedire, non currit tempus tempore durantis litis, & interim constituendus œconomus, donec lis finiatur.

ad N. 14. Si jus Patronatus sit mixtum minus privilegiatum, trahit ad se magis privilegiatum, & in hoc casu etiam laicus sex menses haberet, Ecclesiasticus etiam non teneretur admittere concursum. Si autem pro bono pacis dividatur, & fiat alternativum, in persona Ecclesiastica erit Ecclesiasticum, in laico laicale cum omnibus effectibus & privilegiis.

ad N. 15. Ulterior divisio juris Patronatus est, in gentilitium & hæreditarium. Quæres, unde dignoscatur, an sit gentilitium? Resp. Inspiciendus est tenor concessionis; an familiæ, vel omnibus hæredibus sit concessum, si non constet ex tenore, videndum, an competat ipsi fundo vel castro, an omnes possessores fundi hoc jus promiscue non attenta familia exercuerint. In dubio autem, an sit gentilitium vel hæreditarium, contra ac sentit Author, habendum est gentilitium, quia est species servitutis, & odiosum, cum Ecclesia patronata habeatur ancilla, & altera libera. Facilius autem pro libertate, quam pro servitute præsumitur.

Jus Patronatus aliud etiam est reale, quod fundo adhæret, & est transitorium in quoscunque possessores, aliud personale, quod cum persona extinguitur. De reali observandum, quod, si unus quinque partes fundi, alter unam possideret, semper votum prioris prævaleret, & hoc

hoc casu alterius votum non esset fructuosum, nisi, quod non requisitus possit agere de contemptu. Si autem requisitus nolit consentire cum primo, illius præsentatus tamen instituitur. Hinc ut fiat fructuosum & utile, suum votum transigendum potius, ut unus quinquies, alter sexta vice præsentaret; est enim hoc jus fructus & portio fundi, qui ergo plus in fundo, plus etiam habet in jure.

Q. *Quibus modis acquiratur jus Patronatus?*

Resp. Quia, ut dictum est, jus Patronatus est species servitutis, cum Ecclesia patronata dicatur ancilla, multa requiruntur ad probandam & obtinendam hanc servitutem. Olim quidem poterat ex variis titulis, ut privilegii, præscriptionis &c. acquiri, sed hodie in Conc. Trid. Sess. 25. C. 9. omnes omnino tituli sublati sunt, & nonnisi tres relicti, ex quibus originaliter jus præsentationis acquiratur: *fundationis* scilicet, *constructionis*, & *dotationis* Ecclesiæ. Per fundatorem autem regulariter non intelligitur ille, qui fundum modici valoris assignat pro exstruenda Ecclesia, sed qui suis etiam sumptibus ædificat vel dotat; si tamen fundus esset magni valoris, ex hoc etiam cum aliis jus Patronatus posset competere. Quisquis ergo prætendit jus Patronatus, unum ex his titulis debet allegare, quia alii omnes in Conc. Trident. sunt reprobati. Excipiuntur tamen universitates ob favorem studiorum, & principes & reges. Rigorosa insuper & exacta unius ex his titulis probatio ibidem exigitur. Fundatio enim, & dotatio vel debet authentico instrumento probari, consultum hinc est, ut fundatores ejusmodi instrumenta faciant & asservent, vel possessione temporis immemorialis, quæ facit, unum ex his titulis præsumi. Si autem sint potentes, in quos justa cadit suspicio, quod hoc jus facile sibi arrogent, modus adhuc magis arctatus & rigorosius requiritur probandi titulum; hi enim vel per authenticum pariter instrumentum hunc titulum debent probare, & si non adsit, non sufficit illis per testes possessionem temporis immemorialis probare, sed insuper per documenta præcise litteraria debent probare, quod per 50. retro annos præsentarint, & omnes præsentationes sortitæ sint effectum. Hic tamen rigor, quod præcise per documenta litteraria præsentationes sint probandæ, in Gallia receptus non est. Ex his Fagnanus ex congregatione & responsione Cardinalium docet, etsi aliquis fuerit in quasi possessione, quia Conc. Trident. ait: *etiam quasi possessione inde secuta.* Si tamen lis ei super possessorio moveatur,

ad N. 18.

 licet

licet alias pendente lite nemo commodo possessionis privandus, quod præsentatus ab ipso, lite etiam pendente, antequam titulus sit probatus, instituendus non sit, quia verba Conc. Trid. innuunt, non sufficere quasi possessionem, nisi titulus authenticis scriptis probetur, etsi etiam una vel altera vice præsentatus fuerit admissus, & ab Episcopo etiam collationi insertum, quod ob titulum fundationis præsentatus fuerit institutus: uti pariter congregatio respondit.

Aliud est, si non ipsum jus præsentandi controvertitur, ut si sit certum, jus præsentandi alterutri competere, ipsi autem inter se litigent, ad quem modo pertineat, sic ab eo, qui in possessione est, præsentatus debet institui, quia, ut ante dictum, pendente lite nemo commodo suæ possessionis privandus est, non enim hic disputatur de jure Patronatus.

ad N. 22. Hic ergo est modus originarius, ex quo originaliter jus Patronatus acquiritur, & probari debet, si autem jam semel sit constitutum, facilius in alium transferri potest per donationem, successionem, præscriptionem, locationem, si verba sint ampla & hoc videantur continere, per indirectam venditionem, per sequestrationem in sequestrum, de quibus hic tractat Author. Directe autem vendentes perdunt jus & pretium. Dum ergo castrum, cui hoc jus annexum est, venditur, non licet in litteris explicitam apponere taxam juris Patronatus, uti ibi taxantur jura venationum, piscationum, quod esset directe hoc jus vendere, interim tamen id sæpe solet fieri, contra jus tamen, & non sine periculo.

Modi, quibus amittatur, sunt varii: 1) per destructionem Ecclesiæ, si illa ab alio reædificatur, datur tamen Patrono optio, si ille velit Ecclesiam reædificare, si nolit, & alter illam ædificet, amittit jus patronatus. 2. Præscriptione, & quia præscriptio hæc extinctiva servitutis est favorabilis contra Ecclesiasticum 40. annorum spatio, contra laicum, quia est species servitutis instar aliarum servitutum, vel decennio, vel vicennio huic juri præscribitur. Reliquos modos lege in Authore, & adhuc adverte, contra hæreticos aliter hodie observari ac practicari in Germania, ac Author tradit, quia sunt tolerati & in sensu juris publici hæreticorum nomine non veniunt.

TITU-

TITULUS XXXIX.

De censibus, exactionibus, & procurationibus.

Præcisa hujus tituli connexio dari non potest. Quia tamen potissimum in hoc libro actum est de juribus Episcoporum, ad quæ etiam census & cathedralia pertinent, hic titulus de censibus inseritur.

Hæc explicatio, quod jus diœcesanum in recipiendo, jurisdictio autem in dando consistat, non est fundata in jure, sed explicatione authorum invaluit. ad N. 1.

Q. jam, quid sit Census?

Resp. Census nihil aliud est, quam præstatio annua fructuum in recognitionem vel alicujus juris competentis, vel juris cessi, vel ratione privilegii. Varios in historia census habemus, sic inprimis Pontifices titulo protectionis varios sibi census reservarunt, qui denarius S. Petri vocabantur, quem varia regna solverunt, uti Hungaria; vel titulo exemptionis, qualem sat magnum solvit diœcesis Bambergensis, donec Imperator pro illo censu cessit Beneventum. Romani volunt, census illos a regnis solutos titulo subjectionis vel nexus feudalis, in recognitionem dominii & vasallatus, quod quidem de regno Neapolitano verum est, in aliis autem fuerunt oblationes piæ & mere voluntariæ, quas Pontifex titulo protectionis percipiebat. Sic etiam Episcopi in recognitionem advocatiæ vel præstiti consensus in exemptionem monasteriorum a Prælatis accipiunt censum. Sic etiam noviter erecta Ecclesia & a matrice separata sæpe in recognitionem matricitatis debet solvere censum.

Generaliter in jure prohibitum est Episcopis, ne novos imponant census, vel veteres augeant, & in titulo, ut beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur, prohibetur census illis imponere, præcipue parochialibus, quod nonnisi justa & Canonica ex causa permittitur quæ non est interesse privatum, & propria utilitas.

Alia autem subsidia sunt ordinaria, alia extraordinaria. Subsidium ordinarium est cathedraticum, quod in recognitionem cathedræ, & signum subjectionis solvitur, vocatur etiam Synodaticum, quia olim in synodis solvebatur.

Aliud extraordinarium, quod etiam charitativum vocatur, quia nonnisi in necessitate & indigentia ob publicam necessitatem peti potest, & magis charitative, quam coactive debet exigi, ut filii patri succurrant. Qui plura de hoc subsidio pro & contra desiderat, legat acta inter Bonifacium VIII. & Philippum pulchrum Galliæ regem, ubi Pontifex omnia argumenta, quæ inveniri contra exactionem hujus subsidii possunt, congerit.

Q. An si nolint filii id præstare, possint cogi & compelli?

Resp. Quia est charitas in jure scripta, hinc Episcopus jus perfectum habet illud charitativum NB. in necessitate exigendi, & potest etiam Clericos cogere ad solvendum.

ad N. 12. *Q. An etiam monasteria teneantur præstare hoc subsidium?*

Resp. *Affirmative.* Episcopus enim generalis pater est eorum, quos ordinavit, sive sint Clerici, sive monachi, & ipsi sunt filii, ergo & illi patri egenti tenentur succurrere. Si quæras: An etiam exempta monasteria? Resp. *Affirmative.* Quia sunt instar filiorum emancipatorum, uti S. Bernardus ait, filii autem emancipati non solvuntur jure naturali, sed debent patri reverentialia præstare, & in egestate etiam alimenta. Sicut ergo exempti omnia reverentialia Episcopo præstare tenentur, uti erigere Baldachinum in Ecclesia &c. sic etiam in necessitate tenentur succurrere. Si tamen Episcopi excederent, esset hoc inter excessus Prælatorum, contra quos querelæ institui possent. ad N. 48.

ad N. 18. Hic potissimum attendenda est consuetudo, & cum Episcopi jam habeant sufficientem assignatam portionem, hæc fere ubique ab usu recesserunt.

TITULUS XL.

De Consecratione Ecclesiæ vel Altaris.

Quia actum est potissimum in libro III. de rebus, quarum aliæ sunt spirituales, quæ spiritum perficiunt, aliæ Ecclesiasticæ, aliæ sacræ, quæ solenni inauguratione & deputatione unice ad cultum divinum

num promiscuo hominum usu sunt separatæ, circa finem inseritur materia de rebus sacris & earum consecratione, & jure, agitur item de spiritualibus in tit seq.

Q. Ad quem Consecratio pertineat? ad N. 9.

Consecratio Ecclesiarum, quæ nihil aliud est, quam apparatus variarum cæremoniarum, precum, unctionum, benedictionum, aspersionum, hymnorum, litaniarum &c. quibus Ecclesia cultui divino dedicatur, pertinet ad Episcopum, quia censetur actus ordinis. Cum autem sit cæremonia jure Ecclesiastico introducta, potest etiam ex speciali privilegio & indultu inferiori Abbati, usum præcipue Pontificalium habenti, competere.

Q. Ad quem Reconciliatio Ecclesiarum? ad N. 25.

Reconciliatio etiam ordinarie competit Episcopo. Fit autem & hæc variis ritibus, aspersionibus aquæ, ad hoc specialiter benedictæ, cui sal & cinis admiscetur &c. ut videre est in pontificali & C. 9. h. tit. Prohibetur quidem Episcopo illam simplici sacerdoti delegare, sed inter speciales facultates Germani Episcopi & hanc habent, ut reconciliationem simplici sacerdoti delegare possint. Quid respondendum Lutheranis & aliis, qui in hisce ritibus Ecclesiam judaizare & paganizare dicunt, dictum est jam alibi in tit. 1. L. 1. & hic potest repeti: In titulis, qui hic omittuntur, nihil speciale occurrit.

TITULUS XLVIII.

De Ecclesiis ædificandis vel reparandis.

Maxime in hoc titulo agitur de Ecclesiarum reparatione, major enim est necessitas conservare Ecclesias jam ædificatas, quam novas excitare; & quia non oportet discooperire unum altare, ut cooperiatur aliud, nec Ecclesiam contra Ecclesiam ædificare, ne sine necessitate Ecclesiæ cum præjudicio & damno aliarum multiplicentur, requiritur ad ædificationem consensus Episcopi, qui & locum cruce signare, & primum ponere debet lapidem, quod tamen alteri etiam sacerdoti delegare potest. Et quia sæpe in hoc versatur interesse aliorum, debent vo- ad N. 4.

cari & audiri ii, quorum intereſt. Alias habent remedium novi operis nuntiationis.

Præcipue non debent Epiſcopi permittere, ut Eccleſiæ campeſtres conſtruantur, niſi ſumma exigente neceſſitate vel utilitate, quia ſucceſſu temporis fiunt receptacula latronum, in quibus exercentur opera tenebrarum, & patiuntur inde Eccleſiæ Parochiales, quarum maximus in jure favor eſt. Harum proinde commodo & utilitati ſemper Epiſcopus debet conſulere, non privatis aliorum & anilibus ſæpe devotionibus in exſtruendis hiſce Eccleſiis campeſtribus, qua in re majores noſtri nimis zeloſi fuerunt, cum in quolibet fundo & agro Eccleſiam ædificare vellent.

ad N. 8. Major eſt difficultas, & quotidianæ lites circa reparationem Eccleſiarum moventur, de qua bene ait Author attendendam eſſe conſuetudinem, & alibi Eccleſias ex dotatione, aut fundatione proprios habere reditus, uti in Germania Eccleſiæ metropolitanæ, cathedrales, quibus etiam reparari debent. Si tamen hiſce non eſſet proviſum, neque conſtaret, ad quem onus fabricæ pertineret, in ſubſidium teneretur Epiſcopus, & Canonici, ſi haberent ſuperflua, quia ſupponeretur, diviſionem bonorum non rite factam eſſe, & Epiſcopum cum Canonicis fructus illos ad Eccleſiæ fabricam pertinentes percipere.

Frequentiores lites ſunt circa Eccleſias Parochiales, de quibus quidem regula eſt: wann der Heilige Mittel hat, ſo muß er ſich ſelbſt erhalten und bauen. His autem deficientibus ſervanda eſt ulterior conſtitutio Trident. Con. ſeſſ. 21. c. 1. poſtquam idipſum, quod modo dictum eſt, præmiſit, pergit Concilium, quod 2do Patroni, & alii, qui cum ipſo Patrono fructus abſque titulo Patronatus percipiunt, Eccleſiam teneantur ædificare. Proteſtantes tamen, quia jus Patronatus fundant in jure dominii, & cum quilibet dominus rem ſuam teneatur conſervare, indiſtincte Patronum obligant.

Q. An etiam decimatores laici teneantur reparare Eccleſias?

Reſp. Si non adſint ſufficientes reditus, nec conſtet, cui onus fabricæ incumbat, in Diœceſi Herbipolenſi ex generali conſuetudine tetenentur, quia decimæ ex primæva ſui inſtitutione & fundatione pertinent ad ſuſtentationem Parochorum, & per conſequens etiam ad conſervationem Eccleſiarum, in quibus Parochus ſacramenta adminiſtrare de-

debet. Quia ergo hoc onus est reale & fundo annexum, & in oneribus realibus non qualitas personæ, sed rei attendatur, si non constet, cui aliunde onus fabricæ incumbat, decimatores laici etiam indistinctè in illa Diœcesi, in qua consuetudo juris hujus dubii optima est interpres, tenentur concurrere, vel omnino Ecclesiam ædificare. Contra Adelsheim nolentes ædificare templum, usi sunt ibidem jure retentionis, & decimas non extradiderunt, egerunt illi ratione spolii, sed cum a decretis provisoriis quoad effectum saltem suspensivum non detur appellatio, Ecclesia cœpta & ædificata est. Non tamen in hoc casu omnes statim decimæ essent retinendæ, si præcipue decimator ex iis vivat, nec Ecclesia nimis ampla & sumptuosa ædificanda, sed ejus delineatio modo exhibenda esset.

Q. An etiam Parochi & Rectores Ecclesiæ ob decimas concurrere teneantur?

Si habeant superflua, & tam amplos reditus, uti in Austria, in qua secundum jus commune omnes decimas, & per annum sæpe 4000. imperiales percipiunt, utique tenentur etiam ad reparationem & ædificationem Ecclesiarum. In aliis tamen plerisque locis, quia tantum portio curæ & laboribus commensurata assignata est, plerumque absolvuntur ab hoc onere.

Q. An decimatores ad totam Ecclesiam, vel etiam turrim ædificandam teneantur?

Resp. Herbipoli, nisi adsit specialis observantia & recessus, decimatores ad totam Ecclesiam tenentur. In Moguntina Diœcesi tantum ad chorum, quia hunc ajunt pro sacerdotio esse. Navim autem sive: das lang Haus pro populo, quam etiam sibi construere debet.

Ad turrim autem præcipue latiorem & altiorem, quia potius ad ornatum pertinet, regulariter non tenentur, nisi adsit consuetudo. Sicut pariter non tenentur ad aras, ad scabella, cathedram, & alios interiores Ecclesiæ ornatus.

Q. Ad quas Ecclesias teneantur decimatores?

Resp. In regula tantum ad Ecclesias Parochiales matrices, quia hæ ad necessitatem, filiales autem pro propria tantum commoditate præsu-

fumuntur ædificatæ, quod non in præjudicium decimatorum ad augendum eorum onus factum esse censetur.

His omnibus deficientibus demum Parochiani tenentur, quibus pro facultatibus bonorum per modum tributi exactio imponitur. Quod si fieri non possit, Ecclesia potest dirui & populus assignari viciniori.

Q. An etiam filialistæ teneantur solvere suam portionem?

Resp. Attendendum est, si filialistæ habeant proprias Ecclesias, quomodo illis Ecclesia propria sit concessa, an cum reservatione hujus oneris, quod sæpe fit, & sic non obstante, quod propriam habeant Ecclesiam, etiam succurrere tenentur. Si non sit reservatum hoc onus, supposito, quod habeant proprium Sacellanum, & non frequentent Ecclesiam matricem, non obligantur etiam contribuere ad reparationem matricis. Ad ædes tamen Parochiales indistincte tenentur, quia hæ sunt communes etiam filialistis.

Pro coronide observandum, quod, cuicunque onus fabricæ incumbat, subditi tamen operas manuales & alias Hand- und Fuhr-Frohn, præstare teneantur, quicunque sint subditi sive nobilium, sive Capitulorum, ex fortissima præsumptione & maxima æquitate, quia qui sentit commodum, debet sentire & onus, & nisi concludenter possint probare privilegium & exemptionem, semper indistincte omnes pro rata iterum bonorum tenentur operas manuales & alias præstare.

TITULUS XLIX.

De immunitate Ecclesiarum, cœmeterii, & rerum ad eas pertinentium.

Quid sit jus asyli.

Nomine Ecclesiarum hic veniunt omnia loca pia authoritate Episcopi erecta. His duplex concessa est immunitas, alia realis, alia localis, quæ etiam jus asyli vocatur, & nihil aliud est, quam speciale privilegium Ecclesiis & aliis locis piis concessum, ne rei ad Ecclesiam confugientes violenter extrahi & puniri possint, sed securi reddantur a pœna mortis vel mutilationis. Volunt hoc jus asyli plures antiquiores esse juris divini, quod frequens illis fuit asserere, ut excluderent omnem con-

Cujus juris sit.

consuetudinem & præscriptionem. Id tamen fundamento omni caret, nec textus in sacra scriptura, nec traditio suffragatur, scimus potius hoc jus variasse, & usum in variis Ecclesiis strictiorem, in aliis largiorem fuisse. Ortum potissimum ex intercessione Episcoporum. Nam sicut indulgentiæ ortum habent ex intercessionibus sanctorum martyrum, qui in carceribus detenti pro remissione publicarum illarum pœnitentiarum reis impositarum sæpe supplicarunt & remissionem impetrarunt; sic & Episcopi quod persuasum illis olim fuisset, tam cito in reis conversionem cordis fieri non posse, ut rei per publicas & diuturniores pœnitentias facilius ad Deum converti possent, intercesserunt ex officio suo apud judices, ut vita donati pœnitentiis subjicerentur, quod & impetrarunt sæpius; & demum Imperatores & principes ad majorem Ecclesiis conciliandam æstimationem, ad exemplum Christi mansuetissimi, qui in illis immolatur, & non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, qui nec adulteram lapidari voluit in templo, & quia Ecclesia non sitit sanguinem, ex his aliisque rationibus hoc privilegium Ecclesiis concessere. *Si ais:*

Hoc privilegium repugnat rectæ rationi, quia homines facit audaciores in delinquendo. Resp. Tum non erat istud periculum, cum privilegium hoc concessum fuit, quia gravissimæ & diuturnæ pœnæ substitutæ erant pœnæ mortis vel mutilationis, ut sic delinquentes converterentur, & viverent, non autem ad delinquendum invitarentur. Sublatis deinde hisce pœnitentiis tamen remansit jus asyli. De quo

Q. Quid hodie sit sentiendum?

Resp. Ex his principiis facile colliges, quia hodie cessant illæ pœnitentiæ publicæ, etiam cessare finem & rationem juris asyli, & in tanta præcipue Ecclesiarum multitudine bono publico esse præjudiciosum, quia homines ob impunitatem audaciores fiunt in delinquendo. Ex hac ratione sublatum est in tota Gallia. Liberior adhuc ejusdem usus est in Italia & Germania; male tamen ex his principiis faciunt illi theologi, qui hoc jus nimium volunt extendere, & in dubio semper pro favore asyli concludere, cum potius pro favore boni publici standum, & hoc jus strictioris interpretationis esse deberet, cum præcipue ipsi Pontifices successu temporis plura exceperint crimina, de quibus potissimum inspiciendæ sunt constitutiones Apostolicæ Gregorii XIV. & Benedicti XIII. qui præter excepta a Gregorio hic in Authore recensita delicta,

diurnos etiam agrorum populatores, quodlibet præmeditatum homicidium (eſt autem homicidium præmeditatum, quod ſanguine frigido, non in calore iræ & rixæ vel contentionis fit, quale etiam committitur in duello, quando duo ex condicto conveniunt, & ab infanticidis, qui etiam non gaudent aſylo:) item telonia & banca publica defraudantes, cudentes falſas monetas, ſed in auro & argento tantum, excepit, & inſuper decidit, ſive delictum inchoatum eſſet in Eccleſia & extra conſummatum, vel viciſſim extra inchoatum & in Eccleſia conſummatum, Eccleſiaſtica immunitate non gaudere.

Q. In dubio an crimen ſit exceptum & non gaudeat immunitate, ad quem pertineat cognitio?

Reſp. Ex conſtitutionibus Apoſtolicis Gregorii XIV. & Benedicti XIII. præciſe hoc judicium pertinet ad verum Epiſcopum, nec a quoquam jurisdictionem quaſi epiſcopalem habente, velut olim ab Abbate Fuldenſi, nec a Magiſtro magno ordinis Teutonici Mergenthemii exerceri poteſt, ſed ad viciniorem Epiſcopum remittendum eſt, niſi talis Abbas ſpeciale privilegium vel indultum exhibere poſſet.

Q. Quid in praxi Rectoribus Eccleſiarum obſervandum, ſi rei confugiant ad Eccleſias?

Reſp. Statim examinare debent reum, an non ſit crimen exceptum, & ſi fuerit unum ex his ab ipſo commiſſum, mox illum monere, ut abeat, quia aſylum non haberet locum. Si autem ſit dubium, an crimen ſit exceptum nec ne, debent ſtatim illud denuntiare Epiſcopo, qui deſuper cognoſcat, & rem cum judicibus ſæcularibus componat; pendente autem lite nec debent reum extradere, nec poſſunt illum dimittere, & ſi crimen exceptum declaretur, ſine ſtrepitu debent reum extradere.

Subinde conſtat quidem, crimen eſſe exceptum, ſed non conſtat de authore, ſi tamen ille ſuſpicione gravatus ſit, ut ſi infanticida, prolem quidem a ſe enixam, ſed caſu ob abſentiam obſtetricis ad lapidem inter labendum offenſam affirmaret, extradi etiam debet, ut ſe ſuſpicione ad torturam ſufficiente purget, ſi autem ſuſpicione ſe non purget, ſed convicta & confeſſa fuerit, pœna ordinaria affici debet.

De

De profugis a signis militaribus observandum, quod illi pariter hoc jure non gaudeant, quia enim jus asyli non datur nisi crimine plene consummato, non possunt illi a signis abire, ut deinde rectores Ecclesiarum sint cooperatores & executores eorum malitiæ & furti, hos ergo debent monere, ut facti eos pœniteat, & iterum redeant, & si velint redire, debent intercedere apud judicem, ut non puniantur in vita & membris, sed mitior pœna substituatur; & hæc est etiam ratio, quare adhuc jus asyli admittendum est, quia non tollit omnem pœnam, sed tantum mitiorem substituit; sub hac conditione etiam sæpe in dubio extraduntur rei, si caveat judex, quod nolit eos lædere in vita vel membris.

Hoc jus autem non est trium tantum dierum, ut vulgo persuasum est, sed perpetuum, quamdiu scilicet quis in Ecclesia manet, nec amittitur, si reus ex necessitate exeat, veluti ob negata victualia, quia alias esset ridiculum; secus autem, si sponte & sine necessitate exeat.

§. II.

De privilegio fori, quo gaudent Ecclesiastici, dictum est alibi, hic agitur de immunitate rerum & personarum. Duæ sunt in hac materia authorum classes, qui sibi instar duorum exercituum fortiter resistunt, & in contrarias abeunt sententias, una Clericorum, qui pro aris & focis nimio zelo pugnantes ad apices sua volunt provehere privilegia, altera sæcularium, qui hæc omnino evertere & infringere contendunt, ita ut difficile sit statuere, quid in hac materia sit sentiendum.

Generalia hic inprimis advertenda sunt principia: Cuique suum; & quod status non debeat evertere statum, nec regio religionem, vel religio regionem, sed ambæ velut sorores sese invicem adjuvare. 2) Quod hic non legulejicis & philosophicis rationibus, sed potius principiis intrinsecis status & modernæ politiæ insistendum. Ridentur enim modo Scholasticorum argumentationes: quod accessorium sequatur principale, & quæ Clerico adhærent clericalia, quæ religioso religiosa efficiantur. Jam ergo

Q. Ad quam rempublicam pertineant Clerici?

Resp. Quoad ea negotia, quæ concernunt ministerium spirituale, functiones suorum ordinum, cultum divinum, & animarum salutem, pertinent utique ad rempublicam sacram; quoad temporalia autem, quia sunt cives & membra reipublicæ, de cujus tranquillitate & pace publica ipsi participant, spectant ad rempublicam profanam, & sicut in spiritualibus reges & principes subditi sunt superioribus Ecclesiasticis, sic per se loquendo Clerici & religiosi illis in sæcularibus sunt subjecti; sunt tamen membra privilegiata.

Q. Unde habeant hæc privilegia?

Ex c. 7. h. t. in 6. quod Bonifacius VIII. in dissidio illo cum Philippo Pulchro Galliæ rege nimis rigorose concepit, sicut & aliud famosum Cap. quod incipit: Clericis laicos infestos esse oppido tradit antiquitas: quod tamen iterum a Clemente V. ad normam juris communis revocatum est; defendunt plurimi hanc immunitatem esse juris divini; Sed explicandum est, ut supra de decimis, si nimirum læderetur congrua ministrorum præcipue necessariorum sustentatio. Ex intrinsecis ergo tum politiæ principiis, cum etiam pro majore status clericalis bono melius statuitur, hæc privilegia ab ipsis Imperatoribus & Regibus fuisse concessa ob gravissimas & plurimas rationes. Cum enim viderent Reges, cum religione catholica omnia sibi pariter bona venisse, quietem se & tranquillitatem circa subditos, quos ferro alias & igne domare & continere in obedientia non poterant, nactos esse ob orthodoxæ fidei principia, cum a ministris ejusdem religionis fideles subditi probe instituerentur, Superioribus esse parendum, reatum conscientiæ & æternæ damnationis incurrere rebelles, quam magis ac gladium temporalem timuerunt, spe item æterni præmii ad promtam obedientiam excitarentur: in compensationem istorum bonorum, & ut deinceps populus hoc freno spirituali & fidei in obedientia contineretur, ipsis ministris, ut majore in honore & veneratione essent, & majore cum authoritate prædicare possent, hæc privilegia concesserunt. Hac ratione, cum videant Reges & Principes, sine studio partium hæc privilegia ipsis in acceptis referri, & quod eorum intersit illa conservari, non erunt difficiles ad illa tuenda.

Verum itaque est, pari Clericos in republica gaudere protectione, esse membra reipublicæ, in qua velut in corpore omnia membra debent esse æqualia, & secundum proportionem æqualitatis concurre-

re

re ad onera publica, nec posse quemquam facile eximi, præcipue si incommoda redundent in alios. Sed hæc omnia intelligenda sunt, nisi majus bonum id exigat, si autem majora bona compensent illam deordinationem, plane ratio boni publici exigit, Clericos esse exemptos, quia ex hac ipsa exemptione bona in cives, & in statum redundant, cum per eos publica felicitas & tranquillitas conservetur.

Mutatur tamen subinde status & systema reipublicæ, in qua mutatione privilegia illa ob bonum publicum concessa, nimis obnoxia statui evadunt; & in his circumstantiis Clerici non debent utique ad apices sua protendere, nec a diverso laici tam odiosa fovere principia, ut cuncta iis erepta velint, & exhausto statu laicali etiam Clericos spoliare, nequid amplius eveniente necessitate in republica supersit. Cum enim Clerici non loquantur linguis omnium, ut Apostoli, nec nova hodie patrent miracula, quæ ab initio quidem necessaria erant, nunc autem cum temeritate exspectarentur, quia Deus non sine aliqua necessitate turbabit cursum causarum secundarum, non possent amplius spoliati & depauperati cum Apostolica libertate vitia arguere, & virtutes inculcare iis, a quibus mendicando miseram sustentarent vitam, si de congrua illis prospectum non esset.

Q. Quænam ergo privilegia iis competant?

Resp. Liberi imprimis sunt ab oneribus personalibus, vigiliis, excubiis, laboribus publicis, ut magis quiete cultui divino vacare possint. 2. Bona eorum dotalia (censentur autem dotalia, quæ ex primæva institutione & fundatione ad sustentationem ministrorum & Ecclesiarum conservationem assignata sunt, quæ instar dotis, maxime in jure sunt favorabilia, ut ipsi protestantes nullam contra illa præscriptionem admittant) libera sunt a quibuscunque impositionibus, exactionibus, steuris, decimis, tributis &c. quia hoc ipso, quod sint ad sustentationem ministrorum necessariorum assignata, jam sunt ad usum & bonum publicum destinata; bona autem privatorum necdum per usum privatorum aliquid ad bonum publicum conferunt, his ergo oneribus gravari possunt, non tamen pro libitu sine omni necessitate. Si tamen satis adhuc Clericis provisum maneret, ex altera autem parte magna Principem urgeret necessitas, si bello e. g. implicitus esset, ita ut, nisi succurreretur bonis Ecclesiasticis, hæc etiam amitterentur, sic utique, ut Clerici in suo ministerio, & Ecclesiæ in possessione bonorum suorum conserventur, succurrere etiam tenentur, dummodo necessitas non sit conficta ad lu-

xum Principis fovendum. Nunquam tamen congrua ſubtrahi poteſt, quia quoad congruam exemptio eſt juris divini, latior autem & amplior illa exemptio introducta eſt maxime per decretales Gregorii IX. & Bonifacii VIII. & poſteriores adhuc conſtitutiones.

Q. An bona communia ſint exempta?

Reſp. Bona communia ſunt, quæ poſt dotationem & fundationem Eccleſiæ acceſſerunt, & Jure Decretalium etiam ſunt exempta, tantum tamen favorem non habent, & magna quoad hæc diverſitas eſt, pro diverſitate locorum. Hic exurgit magna illa & multum in controverſiis jam agitata quæſtio de lege amortizationis, an Princeps prohibere poſſit, ne bona ſine venia in monaſteria transferantur?

Quid de lege amortizationis ſentiendum.

Reſp. Si non fiat ex rationabili odio, & monaſterio aliunde jam ſit proviſum, ut finis ſit acquiſitionum, & ne agrum agro copulent, ſi præcipue inde patiatur ſtatus, jura & reditus principis minuantur, non videtur negandum, hanc legem a Principe ſtatui & ferri poſſe, ne transferantur bona immobilia in monaſteria, niſi cum omnibus oneribus fundo annexis & alias annectendis, licet onera alias fuerint perſonalia, quocunque titulo Princeps iis legitime gaviſus fuerit.

Q. An bona etiam patrimonialia ſint exempta?

Ex allegatis ſupra principiis Scholaſticorum etiam hæc ſunt exempta, interim tamen ex aliis ibidem adductis reſpondendum eſt negative, hæc enim non percipiunt titulo officii eccleſiaſtici, ut miniſtri Eccleſiæ, ſed titulo civium tanquam membra reipublicæ, quæ proinde exemptione minime gaudent.

Ex his ergo colliges, principem in neceſſitate poſſe modum ponere, & aliquid exigere ex bonis eccleſiaſticis. In Cap. 7. tamen ordo ſtatuitur: 1. ſi non ſufficiant bona ſæcularium: 2. ut Epiſcopi examinent prius, an ſubſit neceſſitas. Et quia hi ſæpe ſubjecti ſunt regibus, ut ipſius etiam Pontificis judicium interveniat, tanquam ſupremi Inſpectoris in bona Eccleſiaſtica, ne male diſſipentur.

ANNO-

ANNOTATIONES
AD
DECRETALIUM
LIBRUM QUARTUM.
TITULUS I.
De Sponſaliis & matrimonio.

Author ſatis fuſe hanc materiam tractat quæ etiam magna ex parte ſpectat ad Theologiam, hinc breviter tantum annotabimus, quæ hic potiora occurrunt.

Q. I. An etiam Principes ſæculares poſſint quid ſtatuere circa matrimonium, & impedimenta politica introducere?

Reſp. Cum matrimonium diverſos habeat reſpectus, eſt enim Sacramentum, & ſimul ſtabilem vitæ conditionem introducit, in qua homines ſub principum jurisdictione vivunt, quorum intereſt, ne homines plane depauperati, qui ſe alere & vel ex bonis vel ex opificio ſuſtentare nequeunt, ſtatum ſuum & territorium repleant, hinc utique quoad effectus civiles impedimenta politica ſtatuere poſſunt, dummodo non excedant, & illa multiplicent; ſic olim jam apud Germanos par pari nubere debuit, nobilis ſcilicet nobili, liber liberæ, ſervus ſervæ, alias eorum matrimonia quoad effectus civiles non agnoſcebatur legitima, etſi vim Sacramenti habuerint.

Q. An ſponſalia gravem inducant obligationem?

Reſp. Affirmative. Sponſalia per ſe loquendo gravem inducunt obligationem, de jure tamen non poteſt quis abſolute cogi ad illa implenda, ita ut quis obtorto collo ad altare rapiatur, dann mit Muſquetirer führet man keinen zum Altar: patet hinc quod pœnæ adjectæ Sponſaliis non obſtent libertati matrimonii.

Q.

Aliud extraordinarium, quod etiam charitativum vocatur, quia nonnisi in necessitate & indigentia ob publicam necessitatem peti potest, & magis charitative, quam coactive debet exigi, ut filii patri succurrant. Qui plura de hoc subsidio pro & contra desiderat, legat acta inter Bonifacium VIII. & Philippum pulchrum Galliæ regem, ubi Pontifex omnia argumenta, quæ inveniri contra exactionem hujus subsidii possunt, congerit.

Q. An si nolint filii id præstare, possint cogi & compelli?

Resp. Quia est charitas in jure scripta, hinc Episcopus jus perfectum habet illud charitativum NB. in necessitate exigendi, & potest etiam Clericos cogere ad solvendum.

ad N. 12. *Q. An etiam monasteria teneantur præstare hoc subsidium?*

Resp. *Affirmative.* Episcopus enim generalis pater est eorum, quos ordinavit, sive sint Clerici, sive monachi, & ipsi sunt filii, ergo & illi patri egenti tenentur succurrere. Si quæras: An etiam exempta monasteria? Resp. *Affirmative.* Quia sunt instar filiorum emancipatorum, uti S. Bernardus ait, filii autem emancipati non solvuntur jure naturali, sed debent patri reverentialia præstare, & in egestate etiam alimenta. Sicut ergo exempti omnia reverentialia Episcopo præstare tenentur, uti erigere Baldachinum in Ecclesia &c. sic etiam in necessitate tenentur succurrere. Si tamen Episcopi excederent, esset hoc inter
ad N. 48. excessus Prælatorum, contra quos querelæ institui possent.

ad N. 18. Hic potissimum attendenda est consuetudo, & cum Episcopi jam habeant sufficientem assignatam portionem, hæc fere ubique ab usu recesserunt.

TITULUS XL.

De Consecratione Ecclesiæ vel Altaris.

Quia actum est potissimum in libro III. de rebus, quarum aliæ sunt spirituales, quæ spiritum perficiunt, aliæ Ecclesiasticæ, aliæ sacræ, quæ solenni inauguratione & deputatione unice ad cultum divinum

num promiscuo hominum usu sunt separatæ, circa finem inseritur materia de rebus sacris & earum consecratione, & jure, agitur item de spiritualibus in tit seq.

Q. Ad quem Consecratio pertineat? ad N. 9.

Consecratio Ecclesiarum, quæ nihil aliud est, quam apparatus variarum cæremoniarum, precum, unctionum, benedictionum, aspersionum, hymnorum, litaniarum &c. quibus Ecclesia cultui divino dedicatur, pertinet ad Episcopum, quia censetur actus ordinis. Cum autem sit cæremonia jure Ecclesiastico introducta, potest etiam ex speciali privilegio & indultu inferiori Abbati, usum præcipue Pontificalium habenti, competere.

Q. Ad quem Reconciliatio Ecclesiarum? ad N. 25.

Reconciliatio etiam ordinarie competit Episcopo. Fit autem & hæc variis ritibus, aspersionibus aquæ, ad hoc specialiter benedictæ, cui sal & cinis admiscetur &c. ut videre est in pontificali & C. 9. h. tit. Prohibetur quidem Episcopo illam simplici sacerdoti delegare, sed inter speciales facultates Germani Episcopi & hanc habent, ut reconciliationem simplici sacerdoti delegare possint. Quid respondendum Lutheranis & aliis, qui in hisce ritibus Ecclesiam judaizare & paganizare dicunt, dictum est jam alibi in tit. 1. L. 1. & hic potest repeti: In titulis, qui hic omittuntur, nihil speciale occurrit.

TITULUS XLVIII.

De Ecclesiis ædificandis vel reparandis.

Maxime in hoc titulo agitur de Ecclesiarum reparatione, major enim est necessitas conservare Ecclesias jam ædificatas, quam novas excitare; & quia non oportet discooperire unum altare, ut cooperiatur aliud, nec Ecclesiam contra Ecclesiam ædificare, ne sine necessitate Ecclesiæ cum præjudicio & damno aliarum multiplicentur, requiritur ad ædificationem consensus Episcopi, qui & locum cruce signare, & primum ponere debet lapidem, quod tamen alteri etiam sacerdoti delegare potest. Et quia sæpe in hoc versatur interesse aliorum, debent vo- ad N. 4.

cari & audiri ii, quorum intereſt. Alias habent remedium novi operis nuntiationis.

Præcipue non debent Epiſcopi permittere, ut Eccleſiæ campeſtres conſtruantur, niſi ſumma exigente neceſſitate vel utilitate, quia ſucceſſu temporis fiunt receptacula latronum, in quibus exercentur opera tenebrarum, & patiuntur inde Eccleſiæ Parochiales, quarum maximus in jure favor eſt. Harum proinde commodo & utilitati ſemper Epiſcopus debet conſulere, non privatis aliorum & anilibus ſæpe devotionibus in exſtruendis hiſce Eccleſiis campeſtribus, qua in re majores noſtri nimis zeloſi fuerunt, cum in quolibet fundo & agro Eccleſiam ædificare vellent.

ad N. 8. Major eſt difficultas, & quotidianæ lites circa reparationem Eccleſiarum moventur, de qua bene ait Author attendendam eſſe conſuetudinem, & alibi Eccleſias ex dotatione, aut fundatione proprios habere reditus, uti in Germania Eccleſiæ metropolitanæ, cathedrales, quibus etiam reparari debent. Si tamen hiſce non eſſet proviſum, neque conſtaret, ad quem onus fabricæ pertineret, in ſubſidium teneretur Epiſcopus, & Canonici, ſi haberent ſuperflua, quia ſupponeretur, diviſionem bonorum non rite factam eſſe, & Epiſcopum cum Canonicis fructus illos ad Eccleſiæ fabricam pertinentes percipere.

Frequentiores lites ſunt circa Eccleſias Parochiales, de quibus quidem regula eſt: wann der Heilige Mittel hat, ſo muß er ſich ſelbſt erhalten und bauen. His autem deficientibus ſervanda eſt ulterior conſtitutio Trident. Con. ſeſſ. 21. c. 1. poſtquam idipſum, quod modo dictum eſt, præmiſit, pergit Concilium, quod 2do Patroni, & alii, qui cum ipſo Patrono fructus abſque titulo Patronatus percipiunt, Eccleſiam teneantur ædificare. Proteſtantes tamen, quia jus Patronatus fundant in jure dominii, & cum quilibet dominus rem ſuam teneatur conſervare, indiſtincte Patronum obligant.

Q. An etiam decimatores laici teneantur reparare Eccleſias?

Reſp. Si non adſint ſufficientes reditus, nec conſtet, cui onus fabricæ incumbat, in Diœceſi Herbipolenſi ex generali conſuetudine tetenentur, quia decimæ ex primæva ſui inſtitutione & fundatione pertinent ad ſuſtentationem Parochorum, & per conſequens etiam ad conſervationem Eccleſiarum, in quibus Parochus ſacramenta adminiſtrare de-

debet. Quia ergo hoc onus est reale & fundo annexum, & in oneribus realibus non qualitas personæ, sed rei attendatur, si non constet, cui aliunde onus fabricæ incumbat, decimatores laici etiam indistincte in illa Diœcesi, in qua consuetudo juris hujus dubii optima est interpres, tenentur concurrere, vel omnino Ecclesiam ædificare. Contra Adelsheim nolentes ædificare templum, usi sunt ibidem jure retentionis, & decimas non extradiderunt, egerunt illi ratione spolii, sed cum a decretis provisoriis quoad effectum saltem suspensivum non detur appellatio, Ecclesia cœpta & ædificata est. Non tamen in hoc casu omnes statim decimæ essent retinendæ, si præcipue decimator ex iis vivat, nec Ecclesia nimis ampla & sumptuosa ædificanda, sed ejus delineatio modo exhibenda esset.

Q. An etiam Parochi & Rectores Ecclesiæ ob decimas concurrere teneantur?

Si habeant superflua, & tam amplos reditus, uti in Austria, in qua secundum jus commune omnes decimas, & per annum sæpe 4000. imperiales percipiunt, utique tenentur etiam ad reparationem & ædificationem Ecclesiarum. In aliis tamen plerisque locis, quia tantum portio curæ & laboribus commensurata assignata est, plerumque absolvuntur ab hoc onere.

Q. An decimatores ad totam Ecclesiam, vel etiam turrim ædificandam teneantur?

Resp. Herbipoli, nisi adsit specialis observantia & recessus, decimatores ad totam Ecclesiam tenentur. In Moguntina Diœcesi tantum ad chorum, quia hunc ajunt pro sacerdotio esse. Navim autem sive: das lang Haus pro populo, quam etiam sibi construere debet.

Ad turrim autem præcipue latiorem & altiorem, quia potius ad ornatum pertinet, regulariter non tenentur, nisi adsit consuetudo. Sicut pariter non tenentur ad aras, ad scabella, cathedram, & alios interiores Ecclesiæ ornatus.

Q. Ad quas Ecclesias teneantur decimatores?

Resp. In regula tantum ad Ecclesias Parochiales matrices, quia hæ ad necessitatem, filiales autem pro propria tantum commoditate præsu-

consuetudinem & præscriptionem. Id tamen fundamento omni caret, nec textus in sacra scriptura, nec traditio suffragatur, scimus potius hoc jus variasse, & usum in variis Ecclesiis strictiorem, in aliis largiorem fuisse. Ortum potissimum ex intercessione Episcoporum. Nam sicut indulgentiæ ortum habent ex intercessionibus sanctorum martyrum, qui in carceribus detenti pro remissione publicarum illarum pœnitentiarum reis impositarum sæpe supplicarunt & remissionem impetrarunt; sic & Episcopi quod persuasum illis olim fuisset, tam cito in reis conversionem cordis fieri non posse, ut rei per publicas & diuturniores pœnitentias facilius ad Deum converti possent, intercesserunt ex officio suo apud judices, ut vita donati pœnitentiis subjicerentur, quod & impetrarunt sæpius; & demum Imperatores & principes ad majorem Ecclesiis conciliandam æstimationem, ad exemplum Christi mansuetissimi, qui in illis immolatur, & non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, qui nec adulteram lapidari voluit in templo, & quia Ecclesia non sitit sanguinem, ex his aliisque rationibus hoc privilegium Ecclesiis concessere. *Si ais:*

Hoc privilegium repugnat rectæ rationi, quia homines facit audaciores in delinquendo. Resp. Tum non erat istud periculum, cum privilegium hoc concessum fuit, quia gravissimæ & diuturnæ pœnæ substitutæ erant pœnæ mortis vel mutilationis, ut sic delinquentes converterentur, & viverent, non autem ad delinquendum invitarentur. Sublatis deinde hisce pœnitentiis tamen remansit jus asyli. De quo

Q. Quid hodie sit sentiendum?

Resp. Ex his principiis facile colliges, quia hodie cessant illæ pœnitentiæ publicæ, etiam cessare finem & rationem juris asyli, & in tanta præcipue Ecclesiarum multitudine bono publico esse præjudiciosum, quia homines ob impunitatem audaciores fiunt in delinquendo. Ex hac ratione sublatum est in tota Gallia. Liberior adhuc ejusdem usus est in Italia & Germania; male tamen ex his principiis faciunt illi theologi, qui hoc jus nimium volunt extendere, & in dubio semper pro favore asyli concludere, cum potius pro favore boni publici standum, & hoc jus strictioris interpretationis esse deberet, cum præcipue ipsi Pontifices successu temporis plura exceperint crimina, de quibus potissimum inspiciendæ sunt constitutiones Apostolicæ Gregorii XIV. & Benedicti XIII. qui præter excepta a Gregorio hic in Authore recensita delicta,

 diur-

diurnos etiam agrorum populatores, quodlibet præmeditatum homicidium (est autem homicidium præmeditatum, quod sanguine frigido, non in calore iræ & rixæ vel contentionis fit, quale etiam committitur in duello, quando duo ex condicto conveniunt, & ab infanticidis, qui etiam non gaudent asylo:) item telonia & banca publica defraudantes, cudentes falsas monetas, sed in auro & argento tantum, excepit, & insuper decidit, sive delictum inchoatum esset in Ecclesia & extra consummatum, vel vicissim extra inchoatum & in Ecclesia consummatum, Ecclesiastica immunitate non gaudere.

Q. In dubio an crimen sit exceptum & non gaudeat immunitate, ad quem pertineat cognitio?

Resp. Ex constitutionibus Apostolicis Gregorii XIV. & Benedicti XIII. præcise hoc judicium pertinet ad verum Episcopum, nec a quoquam jurisdictionem quasi episcopalem habente, velut olim ab Abbate Fuldensi, nec a Magistro magno ordinis Teutonici Mergenthemii exerceri potest, sed ad viciniorem Episcopum remittendum est, nisi talis Abbas speciale privilegium vel indultum exhibere posset.

Q. Quid in praxi Rectoribus Ecclesiarum observandum, si rei confugiant ad Ecclesias?

Resp. Statim examinare debent reum, an non sit crimen exceptum, & si fuerit unum ex his ab ipso commissum, mox illum monere, ut abeat, quia asylum non haberet locum. Si autem sit dubium, an crimen sit exceptum nec ne, debent statim illud denuntiare Episcopo, qui desuper cognoscat, & rem cum judicibus sæcularibus componat; pendente autem lite nec debent reum extradere, nec possunt illum dimittere, & si crimen exceptum declaretur, sine strepitu debent reum extradere.

Subinde constat quidem, crimen esse exceptum, sed non constat de authore, si tamen ille suspicione gravatus sit, ut si infanticida, prolem quidem a se enixam, sed casu ob absentiam obstetricis ad lapidem inter labendum offensam affirmaret, extradi etiam debet, ut se suspicione ad torturam sufficiente purget, si autem suspicione se non purget, sed convicta & confessa fuerit, pœna ordinaria affici debet.

De

De profugis a signis militaribus observandum, quod illi pariter hoc jure non gaudeant, quia enim jus asyli non datur nisi crimine plene consummato, non possunt illi a signis abire, ut deinde rectores Ecclesiarum sint cooperatores & executores eorum malitiæ & furti, hos ergo debent monere, ut facti eos pœniteat, & iterum redeant, & si velint redire, debent intercedere apud judicem, ut non puniantur in vita & membris, sed mitior pœna substituatur; & hæc est etiam ratio, quare adhuc jus asyli admittendum est, quia non tollit omnem pœnam, sed tantum mitiorem substituit; sub hac conditione etiam sæpe in dubio extraduntur rei, si caveat judex, quod nolit eos lædere in vita vel membris.

Hoc jus autem non est trium tantum dierum, ut vulgo persuasum est, sed perpetuum, quamdiu scilicet quis in Ecclesia manet, nec amittitur, si reus ex necessitate exeat, veluti ob negata victualia, quia alias esset ridiculum; secus autem, si sponte & sine necessitate exeat.

§. II.

De privilegio fori, quo gaudent Ecclesiastici, dictum est alibi, hic agitur de immunitate rerum & personarum. Duæ sunt in hac materia authorum classes, qui sibi instar duorum exercituum fortiter resistunt, & in contrarias abeunt sententias, una Clericorum, qui pro aris & focis nimio zelo pugnantes ad apices sua volunt provehere privilegia, altera sæcularium, qui hæc omnino evertere & infringere contendunt, ita ut difficile sit statuere, quid in hac materia sit sentiendum.

Generalia hic inprimis advertenda sunt principia: Cuique suum; & quod status non debeat evertere statum, nec regio religionem, vel religio regionem, sed ambæ velut sorores sese invicem adjuvare. 2) Quod hic non legulejicis & philosophicis rationibus, sed potius principiis intrinsecis status & modernæ politiæ insistendum. Ridentur enim modo Scholasticorum argumentationes: quod accessorium sequatur principale, & quæ Clerico adhærent clericalia, quæ religioso religiosa efficiantur. Jam ergo

Q. Ad quam rempublicam pertineant Clerici?

Resp. Quoad ea negotia, quæ concernunt ministerium spirituale, functiones suorum ordinum, cultum divinum, & animarum salutem, pertinent utique ad rempublicam sacram; quoad temporalia autem, quia sunt cives & membra reipublicæ, de cujus tranquillitate & pace publica ipsi participant, spectant ad rempublicam profanam, & sicut in spiritualibus reges & principes subditi sunt superioribus Ecclesiasticis, sic per se loquendo Clerici & religiosi illis in sæcularibus sunt subjecti; sunt tamen membra privilegiata.

Q. Unde habeant hæc privilegia?

Ex c. 7. h. t. in 6. quod Bonifacius VIII. in dissidio illo cum Philippo Pulchro Galliæ rege nimis rigorose concepit, sicut & aliud famosum Cap. quod incipit: Clericis laicos infestos esse oppido tradit antiquitas: quod tamen iterum a Clemente V. ad normam juris communis revocatum est; defendunt plurimi hanc immunitatem esse juris divini; Sed explicandum est, ut supra de decimis, si nimirum læderetur congrua ministrorum præcipue necessariorum sustentatio. Ex intrinsecis ergo tum politiæ principiis, cum etiam pro majore status clericalis bono melius statuitur, hæc privilegia ab ipsis Imperatoribus & Regibus fuisse concessa ob gravissimas & plurimas rationes. Cum enim viderent Reges, cum religione catholica omnia sibi pariter bona venisse, quietem se & tranquillitatem circa subditos, quos ferro alias & igne domare & continere in obedientia non poterant, nactos esse ob orthodoxæ fidei principia, cum a ministris ejusdem religionis fideles subditi probe instituerentur, Superioribus esse parendum, reatum conscientiæ & æternæ damnationis incurrere rebelles, quam magis ac gladium temporalem timuerunt, spe item æterni præmii ad promtam obedientiam excitarentur: in compensationem istorum bonorum, & ut deinceps populus hoc freno spirituali & fidei in obedientia contineretur, ipsis ministris, ut majore in honore & veneratione essent, & majore cum authoritate prædicare possent, hæc privilegia concesserunt. Hac ratione, cum videant Reges & Principes, sine studio partium hæc privilegia ipsis in acceptis referri, & quod eorum intersit illa conservari, non erunt difficiles ad illa tuenda.

Verum itaque est, pari Clericos in republica gaudere protectione, esse membra reipublicæ, in qua velut in corpore omnia membra debent esse æqualia, & secundum proportionem æqualitatis concurre-

re

re ad onera publica, nec posse quemquam facile eximi, præcipue si incommoda redundent in alios. Sed hæc omnia intelligenda sunt, nisi majus bonum id exigat, si autem majora bona compensent illam deordinationem, plane ratio boni publici exigit, Clericos esse exemptos, quia ex hac ipsa exemptione bona in cives, & in statum redundant, cum per eos publica felicitas & tranquillitas conservetur.

Mutatur tamen subinde status & systema reipublicæ, in qua mutatione privilegia illa ob bonum publicum concessa, nimis obnoxia statui evadunt; & in his circumstantiis Clerici non debent utique ad apices sua protendere, nec a diverso laici tam odiosa fovere principia, ut cuncta iis erepta velint, & exhausto statu laicali etiam Clericos spoliare, nequid amplius eveniente necessitate in republica supersit. Cum enim Clerici non loquantur linguis omnium, ut Apostoli, nec nova hodie patrent miracula, quæ ab initio quidem necessaria erant, nunc autem cum temeritate exspectarentur, quia Deus non sine aliqua necessitate turbabit cursum causarum secundarum, non possent amplius spoliati & depauperati cum Apostolica libertate vitia arguere, & virtutes inculcare iis, a quibus mendicando miseram sustentarent vitam, si de congrua illis prospectum non esset.

Q. Quænam ergo privilegia iis competant?

Resp. Liberi imprimis sunt ab oneribus personalibus, vigiliis, excubiis, laboribus publicis, ut magis quiete cultui divino vacare possint. 2. Bona eorum dotalia (censentur autem dotalia, quæ ex primæva institutione & fundatione ad sustentationem ministrorum & Ecclesiarum conservationem assignata sunt, quæ instar dotis, maxime in jure sunt favorabilia, ut ipsi protestantes nullam contra illa præscriptionem admittant) libera sunt a quibuscunque impositionibus, exactionibus, steuris, decimis, tributis &c. quia hoc ipso, quod sint ad sustentationem ministrorum necessariorum assignata, jam sunt ad usum & bonum publicum destinata; bona autem privatorum necdum per usum privatorum aliquid ad bonum publicum conferunt, his ergo oneribus gravari possunt, non tamen pro libitu sine omni necessitate. Si tamen satis adhuc Clericis provisum maneret, ex altera autem parte magna Principem urgeret necessitas, si bello e. g. implicitus esset, ita ut, nisi succurreretur bonis Ecclesiasticis, hæc etiam amitterentur, sic utique, ut Clerici in suo ministerio, & Ecclesiæ in possessione bonorum suorum conserventur, succurrere etiam tenentur, dummodo necessitas non sit conficta ad lu-

xum Principis fovendum. Nunquam tamen congrua subtrahi potest, quia quoad congruam exemptio est juris divini, latior autem & amplior illa exemptio introducta est maxime per decretales Gregorii IX. & Bonifacii VIII. & posteriores adhuc constitutiones.

Q. An bona communia sint exempta?

Resp. Bona communia sunt, quæ post dotationem & fundationem Ecclesiæ accesserunt, & Jure Decretalium etiam sunt exempta, tantum tamen favorem non habent, & magna quoad hæc diversitas est, pro diversitate locorum. Hic exurgit magna illa & multum in controversiis jam agitata quæstio de lege amortizationis, an Princeps prohibere possit, ne bona sine venia in monasteria transferantur?

Quid de lege amortizationis sentiendum.

Resp. Si non fiat ex rationabili odio, & monasterio aliunde jam sit provisum, ut finis sit acquisitionum, & ne agrum agro copulent, si præcipue inde patiatur status, jura & reditus principis minuantur, non videtur negandum, hanc legem a Principe statui & ferri posse, ne transferantur bona immobilia in monasteria, nisi cum omnibus oneribus fundo annexis & alias annectendis, licet onera alias fuerint personalia, quocunque titulo Princeps iis legitime gavisus fuerit.

Q. An bona etiam patrimonialia sint exempta?

Ex allegatis supra principiis Scholasticorum etiam hæc sunt exempta, interim tamen ex aliis ibidem adductis respondendum est negative, hæc enim non percipiunt titulo officii ecclesiastici, ut ministri Ecclesiæ, sed titulo civium tanquam membra reipublicæ, quæ proinde exemptione minime gaudent.

Ex his ergo colliges, principem in necessitate posse modum ponere, & aliquid exigere ex bonis ecclesiasticis. In Cap. 7. tamen ordo statuitur: 1. si non sufficiant bona sæcularium: 2. ut Episcopi examinent prius, an subsit necessitas. Et quia hi sæpe subjecti sunt regibus, ut ipsius etiam Pontificis judicium interveniat, tanquam supremi Inspectoris in bona Ecclesiastica, ne male dissipentur.

ANNO-

ANNOTATIONES
AD
DECRETALIUM
LIBRUM QUARTUM.
TITULUS I.
De Sponsaliis & matrimonio.

Author satis fuse hanc materiam tractat quæ etiam magna ex parte spectat ad Theologiam, hinc breviter tantum annotabimus, quæ hic potiora occurrunt.

Q. I. An etiam Principes sæculares possint quid statuere circa matrimonium, & impedimenta politica introducere?

Resp. Cum matrimonium diversos habeat respectus, est enim Sacramentum, & simul stabilem vitæ conditionem introducit, in qua homines sub principum jurisdictione vivunt, quorum interest, ne homines plane depauperati, qui se alere & vel ex bonis vel ex opificio sustentare nequeunt, statum suum & territorium repleant, hinc utique quoad effectus civiles impedimenta politica statuere possunt, dummodo non excedant, & illa multiplicent; sic olim jam apud Germanos par pari nubere debuit, nobilis scilicet nobili, liber liberæ, servus servæ, alias eorum matrimonia quoad effectus civiles non agnoscebatur legitima, etsi vim Sacramenti habuerint.

Q. An sponsalia gravem inducant obligationem?

Resp. Affirmative. Sponsalia per se loquendo gravem inducunt obligationem, de jure tamen non potest quis absolute cogi ad illa implenda, ita ut quis obtorto collo ad altare rapiatur, dann mit Mußquetirer führet man keinen zum Altar: patet hinc quod pœnæ adjectæ Sponsaliis non obstent libertati matrimonii.

Q.

Q. Quid expediret introduci ad vitandas lites circa sponsalia?

Resp. Optandum sane esset, & quam maxime expediret Ecclesiæ plane annullari & irrita declarari sponsalia clandestine contracta, sicut jam in pluribus diœcesibus practicatur, quia sæpius ex clandestinis ejusmodi contractibus plurimæ deflorationes & gravissimæ deordinationes sequuntur. Plures enim juvenes in æstu libidinis tantum ad obtinendum usum corporis promittunt matrimonium, cujus facti deinde pœnitentes, dicunt se passionibus obrutos, nec satis liberos, nec advertentes transiliisse ad promissionem matrimonii, ita ut opus sit frequentissimis juramentis, ex quibus plurima sunt perjuria. Interim tamen, quia interest curiæ, ejusmodi irritationes a solis Episcopis factæ universaliter suum effectum non sortiuntur, sed alias iterum deordinationes introducunt, si enim ad curiam Romanam vel Nunciaturam desuper contingat appellari, certum est ibi dari actionem, & sententiam reformari, ex principio curialistarum, quod Episcopi non habeant potestatem statuendi impedimenta matrimonii.

Q. An sponsalia prima alteri facta per subsequens matrimonium omnino tollantur?

Resp. Affirmative. Non tantum suspenduntur ut aliqui volunt, sed omnino tolluntur, ratio est. 1. quod indecens sit aliquem obligari adhuc alteri stante matrimonio. 2. Stante matrimonio nulla valent pacta de alio matrimonio post mortem compartis ineundo, ob periculum captandæ mortis, hoc periculum autem in dicto etiam casu maneret. 3. In civilibus in emptione e. g. & venditione, ubi quis rem primo vendidit, sed non tradidit, postea secundo vendit & tradit, prior non habet actionem ad rem ipsam, sed tantum ad Interesse, quia fortius est jus in re, quam ad rem. Ergo a pari.

TITULUS II.

De Desponsatione impuberum.

Differentia notabilis inter Sponsalia puberum & impuberum est duplex. 1. Quod Sponsalia impuberum, tempore impubertatis, durat autem impubertas in masculis ad annum 14. in fœminis ad 12. mu-

tuo

tuo dissensu dissolvi nequeant, bene autem Sponsalia puberum. 2. Quod impuberes, dum annos pubertatis compleverunt a Sponsaliis resilire possint absque omni causa & parte etiam altera invita, non vero puberes; Si sponsalia puberum jurata mutuo dissensu solvantur, pro majori tantum cautela accedit licentia Episcopi. Puberes autem absque omni causa parte altera invita a Sponsaliis resilire nequeunt, plures autem dantur causæ resiliendi, & sufficientem sponso causam esse affirmant, aliqui, si videat sponsam libenter ab aliis ferre actus amatorios, tactus, oscula, &c. quia præsumitur inconstans. Fornicatio per se sufficit, si autem etiam vi stupretur sponsa, sponsus vi sponsaliorum eam non tenetur ducere, quia sponsa maximam inde patitur mutationem; quoad desponsationem parentum valet illa, si liberi præsentes ad eam pro se factam taceant, quia eorum consensus præsumitur.

TITULUS III.

De Clanteſtina Desponsatione.

Ecclesia maxime semper detestata est matrimonia clandestina; & licet illa ante Concilium Tridentinum irrita non declaraverit, fuerunt tamen semper prohibita; hodie autem ex Concilio Trident. Sess. 24. de reformat. matr. C. 1. plane sunt nulla & irrita. Ex hoc colliges matrimonia clandestina de se fuisse valida & etiamnum esse, ubi Concilium Tridentinum non est promulgatum & receptum, unde si in aliqua parochia, ubi tempore promulgationis fuissent hæretici Tridentinum non esset receptum, matrimonia clandestina ibidem adhuc essent valida.

TITULUS VII.

De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.

Agitur hic de impedimento criminis, quod exurgit quadruplici ex casu; 1. Quando quis occidit conjugem conspirante vel consentiente occisæ consorte ex c. laudabilem L. 3. tit. de convers. infidelium. 2. Si cum occisione unius conjugum præcessit adulterium cum superstite, etiamsi superstes in homicidium non consenserit, ita definiit Alexander III. C. super h. tit. 3. Cum adulterium commissum est, accedente promis-

missione acceptata futuri matrimonii post obitum conjugis. Nec refert quod promissio adulterium præcesserit, vel subsecuta fuerit. Dictum est notanter. 1. Accedente promissione, quia sine ea, *mortuo viro, eum quo connubium verum fuit, fieri potest conjugium cum quo præcessit adulterium*, inquit S. August. L. 1. de nupt. & concup. C. 2. a. Promissione acceptata, nisi enim altera pars expresse vel tacite acceptaverit promissionem, adulterium non irritat matrimonium. 4. Cum quis vivente legitima conjuge matrimonium iniit & consummavit cum altera conscia prioris conjugii, hanc enim non potest habere uxorem, si, quæ prius ab eo legitime ducta fuerat, fato fungatur c. veniens l. 4. h. tit.

TITULUS X.

De natis ex libero ventre.

Occasione hujus rubricæ quæritur, qualem religionem debeant sequi liberi a parentibus diversæ religionis concepti. R. In hoc casu solent plerumque pacta iniri, quibus etiam ad pacem publicam servandam standum est, debent autem parochi catholici ejusmodi matrimonia omnino dissuadere, & infelices eorum exitus energice ostendere, si autem neque in parentibus, neque sponsis possint proficere, debent erigi pacta, ut liberi vel sequantur sexum vel caput familiæ; si fœmina sit sagax & catholica, vir autem hæreticus & effœminatus, subinde non obest si liberi sequantur sexum, quia spes est, virum facile ab uxore ad veram religionem perduci.

Q. An non simpliciter ejusmodi matrimonia mixta prohiberi possint.

Resp. Affirmative. Quia per hoc nulli præjudicatur religioni. Dein ex talibus matrimoniis mixtis plurima oriuntur incommoda, tam in familiis, quam aliis effectibus politicis. Episcopus autem ubi locus mixtus est, ejusmodi matrimonia prohibere non potest.

TITULUS XIV.

De Consanguinitate, & affinitate.

Magna quidem differentia est inter consanguineos mere naturales & legitimos quoad successionem in bonis hæreditariis, in ordine tamen ad contrahendum matrimonium hæc differentia non attenditur.

De

De affinitate est notandum, quod jure novo ex copula licita tantum ad secundum gradum inclusive se extendat, ex licita vero usque ad quartum gradum matrimonium adhuc dirimat.

In linea recta consanguinitatis nullum extat exemplum, quod unquam fuerit dispensatum; an autem in primo gradu lineæ collateralis matrimonium jure naturæ sit prohibitum, incertum est, affirmant id plures, sed ejusmodi prohibitionis nullum extat vestigium, nec solida dari ratio potest, cum Deus ipse ita propagarit genus humanum, interim tamen exemplum proferri nequit, quod Ecclesia unquam in hoc casu dispensarit.

Pariter non habemus exemplum, quod in primo gradu affinitatis in linea recta fuerit dispensatum, statuunt hinc iterum aliqui, quod matrimonium in isto gradu sit jure naturæ prohibitum, sed solidam rationem non afferunt, certum est enim, quod privignus tantam non debeat reverentiam novercæ, quantam filius matri.

Si sponsaliis de futuro superveniat affinitas, non potest procedi ad matrimonium; sic sponsus, qui fornicaretur cum sorore sponsæ, neutram posset ducere in matrimonium, non sponsam ob contractam affinitatem, nec etiam sororem, ob impedimentum publicæ honestatis ex sponsaliis ortum, si vero ejusmodi affinitas superveniat matrimonio jam contracto, illud non quidem dissolvitur, pars tamen nocens, amittit jus petendi copulam, licet illam reddere possit.

TITULUS XV.

De frigidis, maleficiatis, & impotentia coeundi.

Sola impotentia perpetua dirimit matrimonium, de qua notandum, quod etsi ambo conjuges impotentiam affirment, iis tamen non credatur: sed res per ocularem inspectionem examinari debet, & judicium relinquitur in arte peritis medicis & chirurgis; si autem dubium sit, an sit perpetua, per tres annos cohabitare debent & copulam attentare; elapsis his annis ambo jurare debent, se copulam non potuisse consummare, præterea huic juramento accedere debet juramentum credulitatis a septem vicinis, quod credant hos conjuges copulam attentasse.

Præterea illa impotentia debuit antecessisse matrimonium, subsequens enim non dirimit, sufficit autem si sit respectiva, licet non sit absoluta, si mediis naturalibus sine gravi vitæ periculo tolli non possit.

Huic assertioni non obstat C. 6. h. t. nam ex ipsis verbis patet illam impotentiam fuisse facile auferribilem, & judicium Ecclesiæ relatione obstetricum fuisse deceptum, non mirum proinde, quod ad primum matrimonium redire jussi sint, cum tales sententiæ nunquam possint redire in rem judicatam.

Maleficiati plerumque ita constituti sunt, ut summo erga se invicem æstu ferantur, quam primum autem conveniunt, hic æstus ita extinguitur, ut horrorem & nauseam concipiant; intricatissimum est judicium circa impotentiam ex maleficio tam in quæstione, an existat, quam in alia, an præcesserit matrimonium, vel hoc contracto modo supervenerit; separati tamen ex maleficio, quamvis deinde in secundo matrimonio illud cesset, manent separati, cum impotentia, quæ mediis naturalibus & spiritualibus depelli non potuit, censeatur perpetua vide c. final causa 33. Q. 1.

TITULUS XVI.

De matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.

De raptu hic notandum, quod in eo variaverit Ecclesiæ disciplina, olim tantum fuit impedimentum impediens, hodie est dirimens. In Jure Civili statuitur, quod raptor nunquam possit raptam ducere, ante Concilium etiam Trident. fuit raptus impedimentum perpetuum, in Concilio autem Tridentino statutum fuit, ut quamdiu rapta est in potestate raptoris, illam raptor in uxorem habere nequeat, si autem in libertatem asserta illi nubere velit non prohibetur. Raptus autem ut constituat impedimentum, debet esse violentus, hinc si puella volens abducitur, raptus censeri non potest. Galli tamen distinguunt inter raptum violentum, & fraudulentum, & hunc ultimum dum puella volens invitis parentibus abducitur, vocant fraudulentum, & sic titulo raptus fraudulenti matrimonia invitis parentibus contracta annullant.

Q. *An si fœmina rapiat virum cum animo illum babendi in maritum, locum etiam babeat boc impedimentum?*

Resp. Negative. Quia jura de hoc casu raro & infrequenti noluerunt quid statuere, accedit quod raptus in favorem puellarum ob sexus imbecillitatem sit impedimentum constitutum.

De

De Dispensatione in impedimentis adverte breviter, quod in impedimentis impedientibus tantum, quæ sunt Ecclesiæ vetitum, tempus feriatum, sponsalia priora, votum castitatis perpetuæ non nubendi, suscipiendi sacros ordines, Episcopi dispensare possint, excepto solo voto castitatis perpetuæ, non autem voto non nubendi, vel suscipiendi sacros ordines, quia hæc potestas utpote restrictiva potestatis ordinariæ contra restringentem est strictæ interpretationis.

Q. An etiam Episcopi dispensare possint in impedimentis dirimentibus?

Resp. Præscindendo ab omni jure positivo, Episcopi possunt dispensare, quia in sua diœcesi habent potestatem solvendi & ligandi, nisi hæc potestas illis sit specifice adempta & reservata Papæ. Hinc etiam Episcopi usque ad sæculum 12. dispensarunt in impedimentis dirimentibus; adeoque magis ex consuetudine, quam canone Pontifex hoc jus privative sibi retinuit.

Q. Quomodo ergo hoc Jus pervenerit ad Pontificem?

Resp. Quia olim magis viguit canonum custodia, & Episcopi illorum erant observantissimi executores, anxii subinde fuerunt quoad dispensationes, an scilicet adesset causa sufficiens dispensationum, recurrerunt ergo ad Pontificem, & petierunt Concilium, an causa hinc inde allata sufficeret, & quia valde frequentes erant ejusmodi relationes, Papa ansam arripuit, hoc jus privative sibi retinendi. In Germania tamen ex speciali indultu Episcopi hanc potestatem exercent in certis tantum gradibus, quia ob distantiam loci nimis difficile esset semper recurrere Romam, Pontifices etiam facile hanc potestatem concedunt, & ducti quidem ratione prudenti, si enim essent difficiles, Episcopi primævam potestatem recuperare studerent.

Q. An hæc potestas dispensandi Episcopis competens sit strictæ interpretationis, sive an non subinde ex casu papali possit fieri Episcopalis?

Resp. Hæc potestas contra Episcopos non est rigorosæ & strictæ interpretationis, præcipue dum ex una parte difficilis est recursus Ro-

mam, ex altera autem periculum in mora, facilis est enim reditus ad jus primævum. Non tamen male factum esse dicimus, quod Episcopis potestas hæc sit restricta, quia alias nimis faciles essent in dispensando. Protestantibus, qui hinc & inde scandalum patiuntur ob dispensationes post solutam pecuniæ haud modicæ taxam factas respondendum est, quod non stemus pro omnibus curiæ subinde exorbitantis praxibus, sed pro canonibus.

Ante sæculum XII. sicut in omnibus canonibus, ita etiam rarissime dispensabatur in impedimentis matrimonii, quia Pontifices se magis adhuc tum temporis vindices & custodes canonum professi sunt. Sed dum Innocentius III. se Dominum canonum dixit, invaluit etiam consuetudo laxior dispensandi in impedimentis, quam etsi Concilium Trid. licet non aperte, restringere voluerit, stylus tamen & praxis contrarium tenuit & continuat.

Romæ non solet dispensari quoad impedimentum, si una pars sit catholica & altera hæretica, vel si dispensatur, additur clausula, abjurata prius hæresi. Hinc quæritur.

An in præfato hoc casu saltem Episcopus dispensare possit?

Resp. Affirmative. Sed quomodo poterit Episcopus, cum non dispenset Pontifex? Resp. Papa non dispensat ex ratione status, ne unquam pacto religioni præjudicioso consentire videatur, Episcopi autem vivere debent ad normam status Imperii, & juxta systema hujus status in Imperium introducti dispensare possunt, quia ex duobus minus malum est eligendum.

Ut autem Romæ & alibi obtineatur dispensatio, debent semper certæ causæ exprimi, quæ sunt vel publicæ vel privatæ. Publicæ sunt dignitas personarum, merita erga Ecclesiam, compositio dissidiorum inter familias, evitatio scandali, finis bellorum &c. Privatæ causæ maxime respiciunt feminas, quibus Ecclesia vult succurrere, ne innuptæ remaneant. Tales sunt v. g. si femina sit indotata, vel non sufficienter dotata, si sit superadulta, vel annum 24. jam egressa, si sit angustia loci, ut alium maritum quam consanguineum invenire non possit, quia difficile est, feminis extra opidum maritum quærere, si præhabita fuerit copula vel suspicio copulæ, quia alias difficilius nuberent &c.

Ex

Ex præfatis autem causis dispensatur tantum in gradibus remotis. In secundo autem æquali vel mixto nunquam dispensatur, nisi ex causa ultima, si præhabita fuerit copula vel adsit suspicio copulæ licet falsa, quia & hæc matrimonium difficilius reddit. Si tamen copula præhabita, vel suspicio excitata fuit cum animo facilitandi dispensationem, id debet specialiter exprimi, quia tunc difficilior redditur dispensatio, & aliter obtenta est invalida. Hinc ante executionem semper debet præmitti juramentum, copulam non fuisse habitam, vel suspicionem erectam cum animo facilitandi dispensationem.

Alia etiam est dispensatio in forma pauperum, alia in forma non pauperum. Quoad formam pauperum notandum est, quod ex stabili & constanti Curiæ praxi non dispensetur in forma pauperum in Dataria, nisi ex duabus unicis causis modo allatis, ex copula scilicet & suspicione copulæ, in aliis autem causis dispensatur etiam, sed non in forma pauperum; major enim & consueta taxa solvenda est, paupertas autem hic stricte non sumitur, neque parochi difficiles esse debent in dando testimonio paupertatis, quicunque enim non certos & stabiles ad congruam sustentationem reditus possident, hic veniunt nomine pauperum, quales sunt, qui ex opificio, operibus manuum, calamo & instructione, fundis etiam & prædiis, sed multis oneribus gravatis se sustentant; solent homines rudes, si ad facilitandam dispensationem interrogentur, an non liberiorem habuerint conversationem, annon sæpius hactenus convenerint, id negare, sed male, ex hoc enim emitur suspicio copulæ & facilitatur dispensatio in forma pauperum.

Specialem adhuc causam dispensationum habemus pro Germania, quæ est periculum perversionis, si timeatur, ne orator vel oratrix transeat ad hæreticos, & in hoc casu periculi extant exempla, quod in gradibus valde propinquis in secundo scilicet incurrente primum fuerit dispensatum. Hæc autem dispensatio non conceditur, nisi ex congregatione sacri officii.

Gradus omnes ab Ecclesia prohibitos Protestantes non attendunt, sed illos tantum, qui in Levitico statuuntur. Hinc quæritur:

An ergo non obligentur hisce gradibus. Resp. ut alibi jam dictum, per se loquendo licet filii rebelles obligentur, per accidens autem,

tem, quia leges Ecclesiæ factæ sunt impracticabiles, non obligantur, non ergo revalidantur eorum matrimonia antea contracta, si convertantur.

TITULUS XVII.

Qui Filii sint legitimi.

Regula est, quod natus in matrimonio censeatur etiam natus ex matrimonio, quæ tamen regula suam patitur exceptionem, si contrarium secundum leges civiles probari possit.

Quinam sit favor & effectus matrimonii subsequentis; satis explicatur in hoc tit. de quo adverte in regula, quod omnis proles per subsequens matrimonium legitimari possit, si vel tempore conceptionis, vel nativitatis, vel intermedio stare potuit matrimonium, etiam dispensative; nec Jus Civile, quoad confectionem instrumenti dotalis, vel detentionem concubinæ domi loco uxoris, ut habetur numero 10, attendatur. An autem proles e. g. ex adulterio prognata a concubina post mortuam legitimam conjugem in uxorem ducta ita legitimetur, ut filius e. g. Jus primogenituræ sortiatur, dubium est. Alii affirmant, quia fictione juris matrimonium retrotrahitur ad tempus conceptionis, alii autem id modificant, nisi alter jam sit in possessione primogenituræ. Ex data regula proles adulterina nunquam, incestuosa autem legitimari potest, quia Pontifex stante matrimonio dispensare non potest, sicut in incestu.

TITULUS XIX.

De Divortiis.

Quæcunque causæ divortii afferantur; non sunt perpetuæ. Sed dum cessant matrimonium restaurandum. Solum autem adulterium est causa divortii perpetui & totalis quoad mensam & thorum, & speciale est in C. 12. quod sufficiat etiam adulterium præsumptum.

ANNO-

ANNOTATIONES
AD
DECRETALIUM
LIBRUM QUINTUM.

TITULUS I.

De accuſationibus, inquiſitionibus, & denuntiationibus.

Juxta vulgatum verſum: *Judex, judicium, clerus, ſponſalia, crimen* agitur in L. V. de cauſis criminalibus, de pœnis delinquentium. Et quia his oppoſita ſunt privilegia, & exemptiones, & optime respublica regitur, ſi bene meriti præmiis, mali autem pœnis afficiantur, ſequitur poſt pœnas etiam de privilegiis & exemptionibus. Et quia in his ſubinde exceditur, agitur etiam de exceſſibus Prælatorum & privilegiatorum.

Quæri hic poſſet, quomodo ergo ad Eccleſiam pertineat judicare de criminibus?

Notandum eſt, ſicut olim ad terminandas citius lites conceſſa erat Epiſcopis facultas charitative per modum arbitrii ſecundum æquum & bonum cauſas civiles judicandi, a quorum ſententia nulla amplius dabatur appellatio, ſed præſens ſtatim urgebat executio, ne charitas chriſtiana, quæ eſt fundamentum noſtræ religionis, per lites, quæ huic maxime repugnant, læderetur; ita poterant etiam in cauſis criminalibus, ut peccatores converterentur & viverent, pœnas ſpirituales & pœnitentias publicas injungere, & publica præſertim crimina publicis coercere pœnitentiis, in

contumaces autem censuras ferre, & illos extra Ecclesiam ejicere. Hanc autem facultatem nullatenus excercere poterant in ordine ad infligendas pœnas civiles vindicativas, & modo forensi, sed tantum pœnas ordinatas ad agendam pœnitentiam, ut delinquentes converterentur & viverent.

Sed cum Sæc. XII. totus strepitus & processus forensis introductus esset in Ecclesiam, ita ut ob plures instantias lites in Ecclesia citius non finirentur, sed diutius protraherentur, illis tum in civilibus tum in criminalibus facultas judicandi adempta est, cum præcipue magis ad normam Juris Civilis pœnas vindicativas & forenses infligerent, exceptis tamen semper pœnis sanguinis & mutilationis; magna exinde Ecclesiasticos inter & Sæculares exorta est contentio. Repetebant hi facultatem puniendi delinquentes, quia ad se cura reipublicæ pertineret. Insistebant illi possessioni suæ, inter quos Bertrandus Episcopus fuit, quam tamen sæculares negabant in ordine ad infligendas pœnas civiles & forenses. Tandem facta quasi transactione uno dato altero retento quasdam causas privative tales Ecclesiasticis reliquerunt, alias privative sibi retinuerunt, & quædam factæ sunt fori mixti, ita ut locus esset præventioni.

Delicta mere Ecclesiastica manserunt delicta Clericorum. In Gallia autem sicut civiles eorum causæ factæ sunt sæculares, ita & majora eorum delicta, quæ rempublicam perturbant, foro sæculari sunt vindicata. Item delicta, quæ præcise religionem concernunt, ut hæresis, simonia, apostasia, schisma, privative sunt Ecclesiastica; quæ autem ad religionem & cultum divinum non spectant, foro sæculari sunt reservata.

Mixta denique censentur, quæ in hoc libro post delicta Ecclesiastica subnectentur, de quibus tamen hodie paucissima sunt fori mixti, sed fere omnia fori sæcularis, de quibus non amplius jus commune consulendum. Et nisi adsit specialis consuetudo, observantia vel ordinatio provincialis, omnia, quæ dicuntur fori mixti, privative hodie pertinent ad sæculares. Et bene. Cum enim in Ecclesia essent pœnitentiæ illæ publicæ olim ad correctionem injungi solitæ, & introductæ fuissent pœnæ potius vindicativæ & forenses, jure merito sæculares hanc sibi præjudiciosam potestatem iterum vindicarunt & retinuerunt.

Ad modum autem, quo introductæ sunt pœnæ forenses, introducti etiam sunt ad normam Juris Civilis modi deferendi delicta, per accusationem, inquisitionem, & denuntiationem. ad N. 27

Accusatio fuit olim modus ordinarius deferendi delicta. Et sicut in civilibus obtinuit: wo kein Kläger, ist kein Richter; ita etiam tum in criminalibus, ubi semper se debuerunt subscribere in pœnam talionis. Sed hodie hic modus recessit ab aula.

Processus inquisitorius, qui olim fuit extraordinarius, in quo semper mitior & non ordinaria pœna infligebatur, & in certis tantum delictis obtinuit, uti in tribus primis sæculis fuit, esse Christianum; id quod tamen Trajanus moderatus est, & prohibuit in Christianos inquiri, & tantum accusatos punire præcepit, quod multum persecutionem minuit; factus est ordinarius, ita ut judex ex officio teneatur in delicta inquirere. Non tamen statim ad specialem inquisitionem potest procedere, aut aliquem realiter sine injuria & injustitia citare, sed prius debet instituere inquisitionem generalem, an e. g. nemo sit de commisso homicidio diffamatus, an nulla adsint justæ suspicionis indicia, & si fama etiam adsit, instituendus prius & formandus est processus secretus, & videndum, an fama sit fundata, unde ortum suum habeat, an a viris fide dignis, an a mulierculis senescentibus, an sit contra virum magnæ famæ & existimationis, cujus fidei sint testes in his circumstantiis, & sic formato prius processu secreto, si sufficienter reus sit diffamatus & indiciatus, potest procedere ad citationem realem.

Quæ autem ulterius observanda, donec liceat procedere ad torturam, præscripta sunt omnia Judici. Hanc torturam Galli tanquam injustam damnant, ex ratione, quod nemo in civilibus, nisi causa plene probata damnetur, maxima autem pœna, qualis est tortura delicto necdum probato in criminalibus executive statim inferatur, & quod ita ex timore torturæ & metu, innocentes sæpe & minime rei, crimina maxima a se nunquam patrata fateantur. Justam hanc alii tuentur, quod scilicet intersit reipublicæ crimina puniri, & alius tamen modus veritatem eliciendi vix supersit.

Viguit etiam olim in Ecclesia denunciatio Evangelica, quæ erat ex textu Evangelii: *si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum ..... quod si non audierit, dic Ecclesiæ,* ad N. 28.

 sive

ſive obtinuit modus deferendi Epiſcopis delicta occulta eum in finem, ut per efficaces admonitiones diſponerent reum ad confitendum crimen, & hoc confeſſo canonicas injungerent pœnas & pœnitentias. Hunc modum Innocentius III. in famoſo Cap. 13. de judiciis accommodat modernæ diſciplinæ, & ex hoc textu aliisque rationibus vult probare, ad Eccleſiam pertinere, de omni delicto judicare, ſed bene ſemper diſtinguendum eſt, quoad forum conſcientiæ, & in ordine ad injungendas pœnas medicinales & canonicas, nunquam autem in ordine ad publicas & vindicativas pœnas. Sed & hic modus receſſit ab aula, & ſubſtituta eſt delatio hic in Authore deſcripta, quæ etiam loco accuſationis obtinet, fitque ſine ulla ſubſcriptione in pœnam, & eſt mera tantum judicis excitatio ad inquirendum & puniendum. Ad quod tamen ſine prævia delatione vel diffamatione, uti dictum eſt, procedere nequit.

Nota. In titulis, qui hic omittuntur, nihil ſpeciale occurrit.

TITULUS III.

De Simonia.

Quid ſit Simonia & quotuplex; habes in Authore. Quæritur jam, in quo conſiſtat turpitudo hujus criminis, & cur tam odioſum ſit hoc crimen?

Varias varii adducunt rationes. Vera & genuina eſt pro rebus per ſe Spiritualibus, quales ſunt ſacramenta, functiones ſacræ, quod injurioſum & indignum ſit res ſpirituales & divinas tam abjecte & contemptibiliter tractare, & rebus hiſce terrenis comparare. Sed minus frequens in hiſce committitur Simonia. Frequentior eſt in beneficiis, officiis, & dignitatibus Eccleſiaſticis, de quibus quæritur, quare hæc non liceat interveniente pretio mercari, & in contractum deducere. Dicunt aliqui, quia uno vendito, alterum non invenditum relinquitur, quod vendito ſcilicet jure percipiendi fructus & reditus ad miniſterium Eccleſiaſticum pertinentes etiam hoc miniſterium vendatur. Sed hæc ratio multas involvit difficultates. Quomodo ergo ſic poſſem quoad materiam vendere calicem conſecratum, licet pro conſecratione non ſpe-

speciale constituatur pretium. Unica ergo & solida jam sæpius data ratio est, quia officia & beneficia Ecclesiastica sunt juris publici. Ea autem, quæ sunt juris publici, sunt extra commercia privatorum, cum alias via præcluderetur dignis & doctis, & aperiretur ineptis, jejunis; indignis & rudibus ministris, ex quo maxima redundarent in Ecclesiam mala & damna. Hinc jure divino prohibitum est hæc officia vendere, & observandum Christi effatum; gratis accepistis, gratis date: nemo sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo, ut Aaron. Hinc gravissimæ pœnæ statutæ sunt in Jure Canonico contra Simoniacos, & olim maxime punitas esse legimus ordinationes Simoniacas, quia ordinatio per plura sæcula non erat separata a collatione beneficii.

Q. An Papa possit dispensare in Simonia?

Resp. Ex hoc principio, quod uno vendito alterum non invenditum relinquatur, ex quo prohibitam quidam dicunt Simoniam, Curialistæ solitis more suo argutiis docent, quod authoritate Pontificis Spirituale possit separari a temporali; & facta hac separatione nullam committi Simoniam, cum in primo instanti vendatur tantum jus percipiendi fructus & reditus, in altero autem conferatur modo ministerium sacrum, quod quam frivole tam periculose doceri, nemo non videt, cum sic gravissimis Simoniis via aperiretur. Cum igitur unica & solida ratio sit, quæ ducitur ex consectariis, quod ita maxima in Ecclesiam damna redundarent, cum plerumque indigni, inepti & jejunii, dummodo essent divites, præficerentur, ob quam rationem Simonia jure divino est prohibita, tam parum Pontifex in ordine ad committendam Simoniam dispensare potest, quam Episcopus vel alius.

Si autem Simonia sit commissa, quia taliter facta collatio vel electio est nulla, potest habilitare titulum, & de novo conferre beneficium, item absolvere ab excommunicatione & pœnis Simoniæ, remittere restitutionem, id quod olim tamen rarissime factum. Et, si publica sit Simonia, & dispensatio petatur in Dataria, debent omnes fructus percepti specificari, quia possidens beneficium tanquam iniquus detentor illos non fecit suos; officium deinde est in Dataria, quod vocatur officium componendæ, quod expost transigit super fructus, &

partem Pontifici vendicat, ex eo, quod Papa fit Dominus omnium beneficiorum, ex quo principio Jus Spolii, ut fupra jam meminimus introductum eft, quæ etiam una praxis eft ex iis, quam oporteret non effe introductam, falvatur tamen ex rationibus, ex quibus annatæ & aliæ exactiones fimiles.

Si quis autem fuper occulta Simonia in Pœnitentiaria difpenfationem petit, tam facile non auditur, fed fæpius ter quaterve debet pulfare fores, & ibi regulariter omnes fructus debent reftitui Ecclefiæ vel pauperibus, nifi aliquis ipfe fit pauper, & titulo paupertatis ei aliquid relinquatur. Neque tollitur hæc difficultas, fi quis conftitutus fit in majoribus, aut fuam alleget paupertatem, hinc non tam facilis eft difpenfatio, ut multi fibi perfuadent.

TITULUS VII.

De Hæreticis.

Quid fit hærefis traditur in Nro. I. In Germania duplicis generis habemus hæreticos alios in fenfu Theologico, alios in fenfu Juris Publici. Tres funt in Imperio toleratæ religiones; Catholica, quæ ita etiam appellatur in Inftr. P. W. in Pace autem religiofa 1555. inita, antiqua. 2) Proteftantium, qui vocantur confeffioni Auguftanæ addicti, qui formulæ a Melanchthone Lutheri difcipulo compofitæ, & Auguftæ Vindelicorum in comitiis exhibitæ adhærent; & 3) Calviniana, quæ Reformatorum appellatur. Ambæ hæ religiones in fenfu theologico funt hæreticæ, & iis addicti in fenfu theologico funt hæretici; Hæreticus enim in hoc fenfu eft, qui propofitionem aut articulum ab Ecclefia de fide definitum negat, atqui ifti plures ab Ecclefia definitos articulos fidei negant, ergo.

In

In ſenſu autem Juris Publici non ſunt, quia hoc ſenſu hæreticus dicitur, qui doctrinam publicis legibus non toleratam profitetur; ob pacem ergo & tranquillitatem publicam hoc nomine compellandi etiam non ſunt. Reliquæ autem ex his ortæ religiones Anabaptiſtarum, Quacker, &c. Pietiſtarum &c. in ſenſu etiam juris publici ſunt hæreticæ, & ſecundum literam Inſtrumenti Pac. Weſtph. tolerandæ etiam non ſunt, quia expreſſe dicitur: tres tantum religiones tolerentur. Proteſtantes autem, qui nimis faciles ſunt in ejusmodi recipiendis, diſtinguunt quoad exercitium publicum & privatum, ſive domeſticam devotionem, & quoad hanc volunt in arbitrio Principis eſſe illas tolerare, licet negative ſecundum literam reſpondendum eſſet. Ubi enim jus non diſtinguit, nec nos debemus diſtinguere.

Graviſſimæ in Jure tam Canonico, quam Civili pœnæ ſunt ſtatutæ in hæreticos. De his autem notandum eſt, quod mere temporales, infamia, inhabilitas teſtamenti factionis, confiſcatio &c. locum non habeant in Germania, & omnes tres ſupra dictæ religiones pari jure gaudeant, ut quod uni ſit æquum, alteri ſit juſtum, neque deſpicatui debeant haberi. Neque obtinent pœnæ Eccleſiaſticæ quoad effectus mere civiles, ſic ratione excommunicationis non amittunt facultatem ſtandi in judicio &c. Quoad effectus autem mere ſpirituales, quod ſint extra Eccleſiam, non habeant communionem ſacramentorum &c. obtinent.

Quoad alias pœnas Eccleſiaſticas, quod ſint incapaces beneficiorum & dignitatum Eccleſiaſticarum ex Inſtr. Pacis Weſt. attendenda eſt prima dies Januarii anni 1624. & ſi fuerint tum in poſſeſſione, adeo ſunt capaces beneficiorum & dignitatum, ut decedentibus alii ejusdem religionis debeant ſurrogari, nec numerus poſſit minui. Si autem tum poſſeſſionem non habuerint, & alterutra pars religionem mutet, habemus in Inſtr. reſervatum Eccleſiaſticum, de quo ſupra; ita ut, quamvis in regula ſine infamia fieri poſſit mutatio religionis, Epiſcopus tamen, Capitulum, vel Canonicus mutans religionem, beneficiis & dignitatibus excidat.

Pœ-

Pœna item, quod ex paterna ſtirpe uſque ad ſecundum gradum, ex materna uſque ad primum ſint incapaces dignitatum Eccleſiaſticorum, non obtinet, etſi parentes hæreſi eſſent immortui. Licet etiam tanquam ſubditi rebelles obligarentur legibus Eccleſiaſticis, quia tamen ob communem tolerantiam fiunt impracticabiles, per accidens non obligantur. Hinc non revalidantur eorum matrimonia, cum impedimento mere Eccleſiaſtico, extra gradus prohibitos in libro Levitici, contracta, ſi convertantur, quia ob turbarum & propriæ religionis periculum iſtæ leges habentur impoſſibiles.

TITULUS VIII.

De Schismaticis & ordinatis ab eis.

Schiſmatici olim etiam improprie dicti ſunt, qui noluerunt communicare cum Epiſcopo, in cujus diœceſi degebant; proprie autem Schiſmaticus eſt, qui ſe ſeparat a communione Eccleſiæ univerſalis, et quia hanc repræſentat ſummus Pontifex, qui eſt centrum unitatis & communionis, qui non communicat cum Pontifice; olim qui adhærebant Antipapis dicti etiam ſunt Schiſmatici, & quidem pure tales. Schiſma autem hæreticale eſt, quod habet errorem contra fidem conjunctum, quales Schiſmatici hodie ſunt græci, qui inſuper negant primatum ſummi Pontificis. Et contra hos omnes etiam pœnæ contra hæreticos ſtatutæ obtinent.

TITULUS IX.

De Apoſtatis & Reiterantibus Baptiſmum.

Contra apoſtatas proprie tales, qui ad infidelitatem tranſeunt, & vocantur Renegati, omnes pœnæ ſtatutæ obtinent. &c.

TITU-

TITULUS XII.

De Homicidio Voluntario & Casuali.

Hoc delictum, licet sit in Jure Canonico positum, privative ad forum sæculare pertinet. Sciendum enim est, Ecclesiam nunquam sitire sanguinem, sed maxime ejus effusionem semper abhorruisse. Et licet introducto strepitu forensi, Ecclesia omnes etiam pœnas vindicativas confiscationis, relegationis &c. introduxerit, pœnam tamen sanguinis & mutilationis semper abhorruit, quia maxime repugnat Ecclesiæ effundere sanguinem, quæ agnum mansuetissimum offert.

Hinc tribus delictis homicidio, mœchiæ sive adulterio & apostasiæ gravissimæ sunt pœnitentiæ statutæ in Canonibus, quia hæc maxime diffamabant Ecclesiam, & invisam reddebant infidelibus & paganis; mœchiæ quidem propter nocturnos conventus, quos hunc in finem institui ajebant pagani, ut promiscuam & vagam cum alienis uxoribus libidinem exercere possent; apostasiæ, quia per Apostatas calumniæ jaciebantur adversus Ecclesiam; & demum homicidio, quod credebant pagani ob communionem corporis & sanguinis Christi infantes occidi & manducari, id quod fortissimum contra Lutheranos est argumentum de reali Christi in Eucharistia præsentia, hinc nonnisi in articulo mortis absolvebantur ab homicidio.

Q. An pœna mortis contra homicidam sit juris divini?

Jure civili homicidio doloso statuta est pœna capitis, non autem culposo, quia dolus & culpa in criminalibus non æquiparantur. An autem hæc pœna ita etiam sit jure divino statuta, ut a Domino territoriali reus aggratiari non possit, disputant plures & affirmativam tenent, ex principiis autem canonicis, quia illa lex tantum fuit judicialis, nec necessario assumenda, negativa omnino tenenda est; scimus enim Episcopos frequentissime olim intercessisse pro ejusmodi reis, ut remissa pœna capitis pœnitentiis tantum publicis subjicerentur, quod alias contra jus divinum ab ipsis factum esse, affirmandum esset; & licet Christus hanc legem recensuerit, non tamen tenendam præcepit.

Ex hoc delicto duplex oritur irregularitas, alia ex delicto, alia ex defectu lenitatis, ex delicto oritur ex quocunque homicidio doloso & culposo, & adeo scrupulosi sunt canones, ut in dubio, an aliquis fuerit in culpa vel casuale tantum homicidium commiserit, teneatur se habere irregularem, nec potest in irregularitate ex homicidio, licet sit occulta, dispensare Episcopus, & si dispenset Pontifex, irregularis tamen non in vicinia commissi homicidii permanere permittitur.

Si autem homicidium esset mere casuale, vel necessarium ad tuendam vitam propriam; nulla incurreretur irregularitas.

Altera ex defectu lenitatis, quam incurrunt omnes authoritative vel effective concurrentes ad homicidium licitum, ut milites in bello justo occidentes, carnifex, Judices & advocati condemnantes reum &c. quia mansuetudini Christi, cujus personam repræsentant ministri ecclesiæ, repugnat effundere sanguinem.

TITULUS XIV.

De Clericis pugnantibus in duello.

Inscribitur hic titulus de Clericis, quia duellum olim erat modus purgationis vulgaris, & etiam a Clericis duellantibus usitatus. Quæ pœnæ duellantibus quibuscunque statutæ sint, lege in Authore.

TITULUS XVI.

De adulteriis & stupro.

De stupro habemus canonem, ut qui virginem seduxerit, dotet eam, & in uxorem habeat; alternativa autem pœna in plerisque dicasteriis est recepta. Ut autem ad hanc quis obligetur; stuprum 1mo debet esse publicum, quia alias cessat ratio, quod puella difficilius nubat.

bat. 2do debet eſſe ſeducta, præſumitur autem ſeducta a maſculo, quia maſculi ſunt audaciores, quam diu non probatur contrarium; ſi autem hic probet, ſe a puella eſſe ſeductum, non tenetur hac pœna. 3tio debuit eſſe virgo, quia autem puellæ a natura naſcuntur virgines, tales præſumuntur, quamdiu non probatur contrarium a maſculo, hinc meretrix a merendo dicta, quæ quæſtum facit uſu corporis, non poteſt agere in ordine ad hanc pœnam. Reliqua vide in Authore.

Reliqua, quæ hic deſunt, non multum inſervient uſui tuo, amice lector. Habes hic in compendio, quæ ex jure publico & recentioribus Conſtitutionibus ad Authorem ſunt adnotanda, utilitatem brevi percipies, ſi ad has Authorem adhibeas & Collegia doctiſſimi Profeſſoris, ex cujus ore hæc collegi, diligenter & ipſe frequentes.

F I N I S.